MATRIMONIUM

IN

ECCLESIA CATHOLICA

POTESTATI ECCLESIASTICAE

SUBJECTUM

CUM AMPLISSIMA COLLECTIONE

MONUMENTORUM,

ET

LITERATURA.

AUCTORE

AUGUSTINO DE ROSKOVÁNY,

EPISCOPO NITRIENSI.

TOMUS I.

INTRODUCTIONEM DOCTRINALEM, ET MONUMENTA NOVEMDECIM SECULORUM USQUE ANNUM 1868 COMPLECTENS.

MATRIMONIUM

IN

ECCLESIA CATHOLICA

POTESTATI ECCLESIASTICAE

SUBIECTUM:

CUM AMPLISSIMA COLLECTIONE

MONUMENTORUM,

ET

LITERATURA.

AUCTORE

AUGUSTINO DE ROSKOVÁNY,

EPISCOPO NITRIENSI.

TOMUS I.

INTRODUCTIONEM DOCTRINALEM, ET MONUMENTA NOVEMDECIM SECULORUM USQUE ANNUM 1868 COMPLECTENS.

PESTINI,
TYPIS ATHENAEI.
1870.

PRAEFATIO.

Quod in Monito Tomi V ,Monumentorum Catholicorum pro independentia Potestatis Ecclesiasticae ab Imperio Civili' a. 1865 publica luce donati promisimus, Monumenta quippe ad legislationem Ecclesiae matrimonialem spectantia distinctim a nobis evulganda fore: id nunc divina favente clementia in effectum deducimus, in lucem emittendo bina volumina Monumentorum pro eo, quod matrimonium in Ecclesia Catholica iurisdictioni sive potestati Ecclesiae sit subiectum. Quaestionem hanc de iurisdictione Ecclesiae in rem matrimonii iam a. 1837 ex professo pertractavimus, dum primum tomulum operis nostri ,de Matrimonio in Ecclesia Catholica' Augustae Vindelicorum edidissemus; tomulus enim iste hunc praefert titulum: ,De potestate Ecclesiae legislativa circa matrimonium.' Ab eo inde tempore quaestio isthaec, iam in se admodum gravis, maius adhuc consecuta fuit momentum, siquidem nisus et molimina, potestatem Ecclesiae matrimonialem partim ex theoria iuris pro arbitrio passim contexta, partim e principiis aliis impetendi et oppugnandi increverint; eoque iam rem deductam intuemur, ut per novas civiles legislationes matrimonium ceu rem mere profanam tractari, divinae potestati Ecclesiae eripi, civili auctoritati subdi, et sic dicti ,civilis

matrimonii' compellatione insigniri, taliterque malis ex simili coniunctione promanantibus latam portam aperiri, lugere debeamus. Opportunum proin censuimus, ipsa exhibere documenta, queis nititur divinum Ecclesiae ius, matrimonium Christifidelium regendi. Collectio haec Monumentorum non modo instar Commentarii serviet relate ad memoratum nostrum de matrimonio opusculum, verum etiam ob oculos sistet, quo zelo quave doctrina plenas repraesentationes ac protestationes ediderint quovis tempore Sacrorum Antistites cum singillatim tum una omnes seu in Synodis congregati sive dispersi ad vindicanda divina Ecclesiae iura; qualiter item Summi Pontifices suae vocis auctoritate avertere adnisi fuerint malum, quod iam nunc, proh dolor! in pluribus orbis regionibus deflere debet Ecclesia. Monumentis ordine chronologico dispositis praemisimus Introductionem doctrinalem de ipsa potestate Ecclesiae circa matrimonium, quae, demta una alterave Nota, ipsum superius citatum opusculum nostrum quasi denuo editum reddit, conspectu legum ecclesiasticarum matrimonialium adauctum; Monumentis porro cuiuslibet seculi praefiximus historicam introductionem, ad intelligenda Monumenta necessariam; demum adiecimus ampliorem literaturam super quaestione, quam tractamus. Dum itaque lectores nostros ad praefatas introductiones scopo intelligendorum Monumentorum remittimus, nil optamus ardentius, quam ut opus hoc nostrum ad firmandam convictionem de vero, hodie tantopere oppugnato, iure Ecclesiae vel tantillum conferat. — Nitriae, ultima die anni 1869.

Conspectus.

Errata			Corrigenda
Pag.	lin.		
3.	penult. filiolumfamilias		filiorumfamilias
48.	11. *post*: dirimentia	*adde*:	statuendi
89.	25. *post*: probaverit	*adde*:	provocarent,
92.	19. Canstantiae		Constantiae
107.	20. nos		eos
134.	34. obnorum		bonorum
153.	30. arrogasse		arrogasse
230.	10. exemtione		execntione
254.	10. abigo		ambigo
256.	22. *post*: Nuncii	*adde*:	ad Tractum Rheni
336.	20. Consiliorum		Consiliariorum
344.	28. videsset		vidisset
354.	5. praeciperet		praecipere
360.	5. Proto-Cancellarii		Pro-Cancellarii
387.	18. ananimis		unanimis
390.	2. idole		indole
415.	8. tam		tamen
484.	31. *ante*: mentem	*adde*:	in
492.	ult. *ante*: Seiten	*adde*:	von
603.	22. quoad		quo ad
682.	21. profecta		profecto
684.	2. quando		quomodo
726.	18. tenerunt		tennerunt
740.	ult. coelemets		coelestem
760.	25. 5.		4.
777.	16. definere		definire
805.	15. Quos		Quot
843.	5. irritum		initum
844.	14. praetertim		praesertim

I.

Introductio doctrinalis

de potestate Ecclesiae legislativa circa matrimonium, seu de iure statuendi impedimenta matrimonium dirimentia.

§. 1. *Quaestionis momentum.* Quaestionem de potestate Ecclesiae in causis matrimonialibus summi esse momenti et res ipsa loquitur, et inprimis historia trium ac quod excedit seculorum probat, dum ob oculos ponit acres controversias inter Ecclesiam et Civitatem e diversis, sibique e diametro, ut aiunt, oppositis de quaestione hac sententiis cum manifesto saepe in ipsum principalem tum Ecclesiae tum Civitatis finem influxu enatas, pro eo, quod, quemadmodum acute observavit Canonista Marpurgensis *Bickellius*, nullibi fere magis quam in hoc obiecto quaelibet sacrae ac profanae reipublicae collisio et dissensio ipsum publicum aeque ac privatorum bonum afficiat. Evolvantur, si placet, praeteritorum temporum Annales, et continuo apparebit: quales quantasve quaestionis nostrae discussio inde praesertim a sic dictae *Reformationis*, et *Launoyi* aetate excitaverit in Ecclesia Catholica concertationes et dissensiones. Iuvat historiam quaestionis nostrae summis saltim lineis exhibere.

---

§. 2—15. *Brevis historia quaestionis.* Potestatem Ecclesiae legislativam circa matrimonium, seu, ut dicunt, *in statuendis impedimentis matrimonium impedientibus ac dirimentibus*, ab omni retro aetate agnitam, omnium primi audacter contemsere *Waldenses*. At multo validiorem potestas haec Eccle-

siae hostem seculo quarto supra decimum in Imperatore *Ludovico Bavaro* nacta fuit, qui cum illius temporis Romanis Pontificibus diuturniori dissidio implicitus, cum exclusione eorumdem causas matrimoniales cognoscebat, et nominatim matrimonium inter Ioannem Regis Bohemiae filium et Margaretham Carinthiae Ducissam propria auctoritate dissolvit, hancque filio suo Ludovico uxorem dedit: duplici ex capite potestatem ac ius Ecclesiae violando; primum ideo, quod Margaretham vivente adhuc priore marito nuptui secundo dederit; dein quod propria civili auctoritate in tertio consangvinitatis gradu, quo Margaretha filio Caesaris Ludovico iungebatur, dispensaverit. Communis offensio, quam Imperator Ludovicus per causam istam matrimonialem propria auctoritate cognitam apud cordatos illius temporis viros incurrit, satis probat, eo tempore de potestate Ecclesiae legislativa in rebus matrimonialibus cognoscendis et decidendis neutiquam dubitatum fuisse. Ceteroquin ipsa quoque argumenta, quorum ductu factum Imperatoris legitimare, eiusdemque privativam potestatem in causis coniugalibus demonstrare duo non vulgares illius temporis eruditi et respective ipsius Caesaris theologi, Guillelmus Occamus, et, Marsilius Patavinus omni virium adstrictione nitebantur magis ex occasione ferventis inter Romanum Pontificem et Imperatorem dissidii, quam ex natura rei et causae, ut aiunt, visceribus petita fuerunt, ideoque non multum appenderunt. — Seculi XVI Novatores, aut, si placet, *Reformatores* cum in matrimonio nil nisi mere humanum, politicum, ac civile agnoscerent, omnes causas matrimoniales ad solos seculares Principes spectare contendebant. Negando matrimonium esse Sacramentum, alioquin omnem una Ecclesiae circa idem potestatem negare pronum iis erat. Stricte loquendo primum inde a sic dicta reformatione potestas Ecclesiae circa matrimonia validius impugnari coepit. *Lutheri* dogma, saltem initio, fuit: nullis hominum legibus matrimonia irritari posse. Cum tamen matrimonium ad classem rerum mere profanarum et contractuum pure civilium relegasset, Principibus secularibus potestatem in illud non denegavit, et omnem Ecclesiae in res matrimoniales iurisdictionem abiudicavit.

Ceterum adserta licet Principibus seculi in matrimonium potestate, non dubitavit et ipse propria auctoritate in causis matrimonialibus sententias dicere, instar decisionum ecclesiasticarum valituras: unde evenit, quod Lutheri sectatores mox primo reformationis seculo principium de solius Principis Civilis in matrimonia auctoritate non ubique adoptaverint, verum potius Ius Canonicum Catholicorum ceu normam in causis matrimonialibus decidendi suspexerint, et has ad forum ecclesiasticum derivare studuerint. — Errores Reformatorum circa potestatem Ecclesiae legislativam matrimonialem proscripsit *S. Concilium Tridentinum*, Ecclesiaeque potestatem stabilivit, cumprimis Can. 4 et 12 Sessionis XXIV. Etsi autem eo tempore, quo reformatio citatis progrediebatur passibus, universalis decretorum C. Tridentini acceptatio sperari haud potuerit: Eppi tamen tam XVI quam XVII seculo passim prout alia eiusdem Concilii decreta, ita haec quoque de causis matrimonialibus ad iudicium Ecclesiae pertinentibus in Conciliis Provincialibus debita cum promtitudine excepere, inque suis dioecesibus promulgavere, nec Principes Civiles initio conatibus suis repugnantes experti.

In Ecclesia *Gallicana*, ad quam frequenter provocant recentiores potissimum scriptores, tam XVI seculo quam XVII-i initio fere communis erat sententia: Ecclesiae competere ius statuendi impedimenta matrimonium dirimentia. Esto enim Henricus II Galliarum Rex a. 1556 ope famosi Edicti Blesensis causas matrimoniales ad iudicium Civilis Potestatis pertinere declaraverit: ipsi nihilominus Scriptores et Doctores animadverterunt, edicto hoc nullatenus attingi vim Sacramenti matrimonii, nec decretum C. Tridentini violari, sed totam illam nullitatis ac invaliditatis declarationem in edicto Blesensi contentam inter fines poenarum mere civilium concludi, nec de obligatione ipsius matrimonialis contractus in eo agi. Eadem Gallorum sensa magis adhuc confirmantur ex aetate Regis Ludovici XIII. Quum enim hic a. 1629 Edictum Blesense renovasset, Clerus non modica anxietate affectus, quod Rex ius sibi arrogare videretur invalidandi matrimonia (filiolumfamilias sine consensu parentum iuita), quae ab Ecclesia ut rata et valida ha-

bebantur: eodem adhuc anno Parisiis in Comitiis congregatus Regem monuit, quod declaratio illa nullitatis ac invaliditatis matrimonii non possit intelligi nisi per relationem ad contractum civilem; quare etiam Regem oravit, ut declarationem ederet, ope cuius legem suam de effectibus mere civilibus intelligendam esse indicaret; quod Rex omnino praestitit. Anno quidem 1632 Ducis Aurelianensis Gastonis cum Margaretha Lotharingiae Ducissa matrimonium grandium disceptationum occasio fuit: quia Rex Ludovicus, quo inconsulto matrimonium contractum esse apparebat, nuptias has ob defectum consensus regii, quem leges patriae in illis, qui ex regio sangvine ortum ducunt, requirerent, irritas pronunciavit. Cleri Gallicani Conventus a. 1635 die 7 Iulii hoc in obiecto celebratus praesente in casu votis regiis ea addita ratione subscripsit, quod consvetudo antiqua Gallicani regni rationi consentanea, legitime praescripta, et ecclesiastica etiam auctoritate munita id secum ferret. Quid necesse erat Clero Gallicano ad auctoritatem ecclesiasticam provocare, si iudicasset, Principem propria solum auctoritate impedimentum, de quo tunc quaerebatur, constituere posse? Interim iudicium et votum Cleri Gallicani improbatum extitit, Facultate Theologica Lovaniensi iam a. 1634 matrimonium Gastonis iuxta leges Ecclesiae valide initum declarante. Cuiusmodi iudicio Rex ipse a. 1643 subscripsit. Altero Seculi XVI dimidio et deinceps plures ex Gallis a prisca sententia de potestate Ecclesiae matrimoniali recesserunt, praesertim ubi *Ioannes Launoyus* Doctor Parisinus in famoso de regia in matrimonium potestate libro sententiam de exclusiva Principum potestate propugnavisset, et inaudito figmento contendisset, in Concilio Tridentino per Ecclesiam ipsos Principes seculares, quorum videlicet nomine et auctoritate Ecclesia potestate illa utatur, intelligi debere. — Sententia Launoyi resuscitata fuit post medium Seculi XVIII, reiecto unice commento de sensu vocis ‚Ecclesiae‘ in Canone Tridentino. Causidici et Canonistae Germani pro potestate Principum pugnantes adoptarunt eandem sententiam, quam Launoyus tuitus erat, et praetendebant: Ecclesiam in Synodo Tridentina non determinavisse clare, utrum e Christi institu-

tione, vel ex indulgentia Principum potestas Ecclesiae in causis matrimonialibus derivanda sit. Huiusmodi sententiam ceu novum conciliandi definitionem Ecclesiae cum doctrina novatorum modum eo liberius avidiusque amplexi sunt civilium rerum moderatores, quod ipsum aevum potestati Ecclesiae generatim adversum studiis ipsorum favere videretur. Partim ex theoria Iuris Naturalis, sed pro arbitrio passim contexta, partim secundum principia Systematis Protestantium Collegialis legislatio matrimonialis ecclesiastica impetebatur oppugnabaturque. Nec deerant, qui assererent, regulas de matrimonio in Sacris Literis contentas pro Iudaico solum populo latas extitisse, iuribusque Status Civilis derogare nequivisse. Stabilitis eiusmodi principiis Ius Matrimoniale iuxta illa in plerisque Statibus non modo Protestanticis, sed et Catholicis construi constituique coepit.

In *Austria*, ubi usque annum 1783 matrimonia iure Ecclesiae communi regebantur, magna hoc ipso anno rerum evenit conversio. Imperator quippe *Iosephus II* edita peculiari constitutione, cognitionem causarum matrimonialium iudicio Imperii Civilis commisit. Edicti istius matrimonialis sententia est: matrimonium per se vim pacti civilis habere, eiusque ac omnium, quae ex eo fluunt, iurium et obligationum sanctionem solis Principum legibus, controversiarum de iis motarum discussionem solis civilibus iudiciis competere; rempublicam cunctas matrimonii seu essentiales sive accidentales conditiones praescribere, eandem etiam ritus ad ineundum hunc contractum necessarios, proclamationem matrimonii, consensusque matrimonialis coram sacerdote et testibus declarandi formam exhibere, ac tandem quando matrimonium pro nullo habendum sit atque dissolvendum, definire; itaque potestatem legislatoriam circa matrimonia soli Reipublicae deberi, Ecclesiae vero in quibusdam tantum causis quoddam dispensandi ius, sed hoc quoque circumscriptum relinquendum esse. Summum proinde principium, cui nova haec legislatio matrimonialis innititur, est sequens propositio, iam antea multiplici vice partem in utramque disputata: matrimonium esse *civilem contractum*, et ut talem a paritate aliorum quorumvis contractuum et pactorum a civili foro regen-

dum, ideoque solum Civile Imperium vera, idest, dirimentia matr. impedimenta statuere, in iisve dispensare posse. Principium hoc in memoratis Caesareis Patentalibus literis clare expressum, in multis subsequis constitutionibus, quae per frequentes in praxi subversantes difficultates ac obstacula evocabantur, stabilitum fuit. Altera pars principii novae matrimonialis legislationis, in iisdem constitutionibus aeque clare ennnciata, est: Ecclesiam propria auctoritate vera impedimenta matrimonii statuere in iisque dispensare non posse, sed tantum ad conservandam Sacramenti matrimonii dignitatem praecepta quaedam prohibitiva, quae religionem moresque promoveant, edere posse. Ex his satis apparet, a Legislatore Austriaco matrimonium, i. e. contractum civilem uti antecedens, Sacramentum autem uti consequens considerari, ita, ut posterius locum habere nequiret, nisi prius cum omnibus per leges civiles postulatis conditionibus consummatum foret. Principium, quod legislatio Austriaca assumsit, Iuris Canonici principiis e diametro opponi clarum est. Nam antea Imperium Sacrum idem illud ius exercuit, quod Austriacum principium eidem abiudicat. In Austria exercitium iuris huius instar beneficii a Civitate concessi habitum est, ita, ut idem omni tempore per Civitatem revindicari possit. Clerus Austriacus quum ius statuendi impedimenta matrimonii Civitati litigando eripere nollet, et simul in plena, qua adhuc fruebatur, iuris illius possessione sustinere se non posse intelligeret: ad abrogandum tamen Ius Canonicum — id quod Legislator Austriacus intendit — Civilis Imperii declarationem nentiquam sufficere, sed Ecclesiae consensu opus esse defendebat. Hinc etiam AEppus Viennensis ad omnes dioecesis suae parochos Circulare emisit id continens, ut parochi, quoniam civilis constitutio matrimonialis ad contractum solum, et non una ad Sacramentum foret referenda, canonicas sanctiones circa matrimonium perlatas deinceps quoque observare pergerent. At vero Legislator Civilis iam nunc diserte declaravit: per suam Constitutionem canonicis quoque praeceptis ipsum Sacramentum attinentibus derogatum esse, omnesque Eppos obligari, ut dehinc civilem duntaxat constitutionem instar normae observent. Cum autem Clerus non

obstante hac declaratione porro etiam plures in praxi difficultates formaret, et matrimonium, quod canonicis requisitis rite concurrentibus initum foret, ut verum ratumque a Civitate agnosci debere palam enunciaret: diuturnum exortum est certamen, cuius sequela fuit, ut dispensationum systema pluries mutaretur. Quoad *dispensationes* matrimoniales iam ante editas Patentales literas, mox initio sui regiminis provocavit Caesar Praesules, ut eas sic dicto proprio sive ordinario iure ederent, et ad S. Sedem Apostolicam minime recurrerent. Omnes vero has constitutiones Imperator ad alias etiam ditiones, signanter *Belgium* et *Hungariam* extendit, utrobique energicas experiri coactus protestationes et repraesentationes, prout series *Monumentorum* exhibet. — Principia, quibus legislatio Austriaca nitebatur, in Magno Principatu *Hetruriae* adoptata, et a. 1786 per *Synodum* dioecesanam *Pistoriensem* sub Eppo *Scipione Riccio* propugnata fuere, Eppo per Memoriale Magno Duci exhibitum id proponente, ut e numero canonicorum impedimentorum nonnulla tolleret, alia vero restringeret.

In *Gallia* ultimo Seculi XVIII decennio dominatione Regum ope civilis belli eversa, et sacris omnis pene religionis excisis, matrimonium quoque ab Ecclesiae iurisdictione penitus abstrahi debuit. Lex a. 1792 eatenus rogata non modo ecclesiasticam vim ac indolem, verum omnem etiam gravitatem ac sanctitatem, quae matrimonio iam per se e moribus et sententia quarumvis cultarum gentium tribuebatur, eidem detraxit, et sublatis canonicis impedimentis dissolutionem vinculi matrimonialis per excogitatas diversas ratiunculas multum facilem reddidit, ita, ut levissimum brevissimumque evaderet matrimonii vinculum, et Parisiis intra 27 a rogata anni 1792 lege menses 5994 solutiones vinculi coniugalis numerarentur. Alioquin pro fundamento legis huius Gallicanae sententia illa posita fuit, quod matrimonium sit civilis humanusque contractus. Mutavit quidem tardius Napoleon per famosum suum Codicem matrimonialem leges Reipublicae Gallicae: verum et is omnem Ecclesiae auctoritatem a legislatione matrimoniali removit, et Civiles Magistratus huic negotio praefecit: qui unus actus ad incun-

dum legitimum matrimonium requirebatur, nec opus erat, quin nec licebat doctrinam catholicam de Sacramento matrimonii et de consensu coram parocho duobusve testibus declarando respicere.

Seculo nostro de matrimonio et legislatione matrimoniali principia vigent et passim per Civiles Legislatores applicantur illis prioris seculi haud dissimilia. Aiunt namque et hodie Politici: matrimonium esse contractum humanum ac pure civilem, variis in casibus solubilem ac rescindibilem, qui proprie per consensum mutuum contrahentium coram Magistratu civili expressum, ipso parocho nonnisi vice Civitatis fungente, iniri solet; sacram vero ceremoniam, ut dicunt, quae coram Ecclesiae ministro peragitur, benedictionisque nuptialis nomine venit, ad matrimonialis contractus valorem minime requiri, sed post matrimonium iam valide contractum a coniugibus pro lubitu adhiberi vel omitti posse; hincque patere, quod ius leges matrimoniales ferendi ad solos Civiles Imperantes spectare possit. Nec desunt, qui contendant, principia, queis legislatio matrimonialis in Galliis inducta superstruitur, ab obviis quibusque Germaniae Canonistis tradita fuisse, actuque tradi, taliaque reipsa esse, quae quilibet Status Publicus tuto amplecti valeat, tanto magis, quod, ut aiunt, Ecclesia nonnisi regnante per orbem ignorantia post eversum per barbaros Occidentale Imperium in possessionem iuris circa rem matrimonialem devenerit! Evenit quidem hoc seculo, ut mutuis inter supremam Ecclesiae Potestatem et Civiles Imperantes tractatibus institutis ius Ecclesiae circa causas matrimoniales agnitum, et per sic dicta *Concordata* seu Conventiones stabilitum fuerit: verum Concordata haec per plura Civilia Gubernia extra vigorem posita, aut saltem in uno alterove obiecto vi obligandi exuta. fuere, prout novissime in Austria factum fuisse dolemus, Series Monumentorum a nobis vulgandorum cuncta haec, quae in historica deductione summis lineis attigimus, uberius evolvet.

§. 16—18. *Notio Matrimonii.* Matrimonium varias a variis accepit definitiones, propterea quod illud tamquam scientificae disquisitionis obiectum plures eaeque ab invicem plane diversae disciplinae ac scientiae pertractare solerent. Antiquiorum theologorum scholasticorum plurimas de natura ac essentia matrimonii disputationes hac una eiusdem definitione complecti voluit quidam haud ignobilis Canonista, quod matrimonii nomine et contractus inter virum ac mulierem initus et vinculum ex contractu ortum et solvi nequiens intelligenda sint. Quorumdam porro Iuris Naturae doctorum definitiones de matrimonio datae prorsus unilaterales et a momento religioso-morali plane abludentes existunt: id quod ex parte inde etiam explicari posset, quia, ut iam *Gehrardus* acutus Lutheranorum theologus animadvertit, maxime diversa moralitatis principia ex iusti, decori, utilis, honesti ac pii praescriptis, necnon ex natura negotii deducenda strenue confusa fuerunt. Erant, qui matrimonii notionem praecise ad id, quod in eodem sensuale est, et ad satisfaciendum stimulo sexuali tendit, restringerent. His igitur matrimonium erat: societas diversi sexus personarum ad naturalem et rationabilem stimuli sexualis expletionem inita. Postquam autem recentior Philosophia et praesertim Rationalismus ac Naturalismus omnem revelatam religionem e scientia eliminasset, pronum fuit a matrimonio etiam omne religiosum momentum abstrahere, in eoque nil nisi quemdam contractum suspicere, quem personae diversi sexus ad exsatiandum stimulum sexualem ineunt; cuiusmodi notionis matrimonio subtrusae illud fuit prorsus naturale corollarium, ut matrimonium in ratione duntaxat contractus humani consideraretur, totumque legislationi civili subiiceretur. Dici non potest, quali quantoque dignitatis matrimonii et moralitatis cum detrimento praeexposita unilateralis et a momento religioso-morali penitus abludens matrimonii notio connexa fuerit. Pro eo porro, ac principia iuris universim, item contractus, proprietatis, etc. notiones, quarum ductu recentiores nostrique Philosophi et Iureconsulti theoriam de matrimonio concinnavere, diversa essent: ipsam quoque theoriam ac notionem matrimonii diversimode construi oportuit, adeo, ut vix duos sit reperire

Doctores, qui solam naturalis rationis auctoritatem sequuti, matrimonium eodem modo definiisent. Ita scilicet et hic historia experientiaque demonstrat, rationem sibi relictam in non exiguam secum ipsa pugnam devenisse, e qua tunc tantum cum spe victoriae exeundi locus est, si salutari revelatae doctrinae luce collustretur. Hac praeeunte matrimonium est individua societas unius maris uniusque feminae legitime eo fine inita, ut sint sibi mutuo adiutorio, liberos procreent ac educent, et libido ipsa iustis finibus contineatur. Hanc societatem matrimonialem Iesus coelesti benedictione consecravit, id est, gratiam sacramentalem eidem adnexuit, ut ex honorabili coniugio et thoro immaculato populus christianus ad veri Dei et Salvatoris Iesu Christi cultum excitaretur. Estne matrimonium *contractus*? Iis, qui potestatem circa statuenda matrimonii impedimenta Imperio Civili adscribunt, matrimonium utique contractus tantummodo habet rationem: quae ratio etiam subsistit, si de accessoriis ac obligationibus illis sermo sit, quae ex matrimonio in Civitate inito huius respectu necessario nascuntur. Verum quoad naturam ac substantiam suam consideratum matrimonium nihil minus est quam contractus. Deest enim obiectum seu res, super qua contrahi possit. Substantiam quippe matrimonii efficit mutua obligatio coniugum ad amorem et fidelitatem, quae omnem contrahendi ac paciscendi naturam refugit. Hinc nonnisi improprie matrimonium contractus dici potest, in quantum videlicet verbum *contrahere* ad exprimenda ea, quae per matrimonium intenduntur, usu quadamtenus roboratum adhiberi solet; hinc etiam illi, qui matrimonium quacunque ratione pro contractu habuerunt, hunc nihilominus ceu singularem quempiam contractum, a reliquis toto, ut aiunt, coelo diversum esse asseruerunt; et inter ipsos Philosophos non defuere, qui sententiam recentiorum Philosophiae ac Iuris Doctorum de contractu matrimonii iusta crisi perstringerent; ut adeo negari non possit, hanc de contractu matrimonii aliis contractibus analogo sententiam nonnisi in praeiudicium iurisdictionis ecclesiasticae circa causas matrimoniales divulgatam propugnatamque fuisse.

§. 19—21. *Finis matrimonii.* Non deerant, qui seu e perplexitate, in quam ob multas sibique non raro oppido adversantes circa finem matrimonii eruditorum sententias inducti sunt, seu e motivo diversitatis respectu finium, quos homines ad vota matrimonialia transeuntes in specifico sibi praefigere possunt, obtinentis omnem hanc de indagando fine societatis coniugalis tractationem superfluam contenderent. At vero quaestioni huic gravissimum inest momentum: tum ideo, quod e consideratione humanitatis, religionis, et temporalis hominum felicitatis summopere intersit constitutiva societatis matrimonialis apprime nosse, quibus alioquin ceu basi cuipiam leges et statuta in materia matrimonii perferenda inniti debent; tum ideo, quod ubi ad declarandam vinculi coniugalis nullitatem proceditur, in causarum, ob quas id fieri debeat, curata determinatione numquam non finis matrimonii attendendus sit; tum denique ideo, quod determinatio finis matrimonii cuiuslibet hominis matrimonium iniro cupientis arbitrio ac phantasiae nonnisi cum manifesto humanitatis, religionis et moralitatis detrimento relinqui possit. Circa exitum prioris et ad initium praesentis seculi de vero fine matrimonii multum disputatum est, praesertim in Germania, aliis moralem, aliis idealem, aliis iuridicam et politicam, quibusdam etiam historicam notionem de matrimonio sibi praeferenter efformantibus, et inde varios fines deducentibus, nonnullis philosophiam quoque matrimonii, ut dicebant, construentibus, in eaque argumentum isthoc magno ingenii nisu et eruditionis apparatu persequentibus. Recentissimis etiam temporibus visum est viris, quos ipsa natura quasi ad origines rerum rimandas formasse videtur, diversum matrimonio dare finem. Iurisperitis autem, qui definitionem matrimonii e Iure Romano adoptarunt, ipsa haec definitio, iuxta quam scilicet matrimonium est coniunctio maris et feminae individuam vitae consvetudinem retinens, nimis generica et nequaquam praecisa occasionem praebuit, matrimonii finem aut indeterminatum aut a variis certo varium statuendi. Ex Canonistis quidam mutuum amorem coniugum et felicitatem pro principali fine statuunt: sed eorum opinio aliis haud probatur; nonnulli mutuum adiutorium pro exclusivo matri-

monii scopo ponnnt, sed et hi adversarios nanciscuntnr; alii stimuli sexualis expletionem pro primario fine matrimonii habent, sed et hanc opinionem in examen vocatam fuisse deprehendimns. Nec illos denique, qui generationem prolium pro scopo matrimonii praecipuo commendarunt, rem acu tetigisse alii evicere. In tanta opinionum diversitate consultissimnm est, notionem matrimonii in Ecclesia Catholica superius datam in memoriam revocare, ex eaque tutissimnm matrimonii eruere finem. Finis matrimonii respectu quidem naturali est propagatio humani generis, respectu vero morali ac religioso educatio prolium, glorificatioque Dei cum per coniuges tum per proles, mutua demum in negotio consequendae tam temporalis quam aeternae felicitatis cooperatio. Ab hac designatione finis matrimonii non multum divergit 1. illa, quam quidam ita exprimunt, quod finis matrimonii in genere sit summa earum rerum, ad quas in matrimonio consequendas homo viribus iustructus est, sive sint proles procreandae et educandae, sive mutuum adiutorium, sive etiam ex mutua coniunctione orinnda felicitas; finis autem, quem ipse homo matrimoninm inire cupiens sibi proponit, non alius sit ac ipsa honestas, ut nimirum homo natnrae fidelis et sibi consequi studeat qnod illa intendit, ita, nt sui rerumque sit potens, atqne hoc ipso vinculo inito non modo honestatem in nulla re nsqnam laedat, sed etiam nti suos ita coningis mores excolat; 2. haec, quod finis matrimonii sit conservatio et perfectio individuorum et generis, religionis fundamento snperstructa: in hac quippe determinatione finis tam educatio prolium religiosa ac moralis, quam mutuum adiutorium et intima coninnctio includitur.

---

§. 22—26. *Matrimonium N. L. Sacramentum.* In notione matrimonii superins data insinuatum est, matrimonio per Iesum Christum gratiam sacramentalem adnexam fuisse, quod ipsum in Synodo Tridentina solemniter definitum extitit. Fatendum nihilominus, in ipsius Catholicae Ecclesiae gremio fuisse Doctores et Theologos, tam ante qnam post definitionem Conc. Tridentini, qui in hac de sacramentali dignitate

matrimonii quaestione aliter senserunt. Docuerunt enim nonnulli : matrimonium esse duntaxat improprie dictum sacramentum, quatenus sit signum rei sacrae, sed non esse signum practicum gratiae sanctificantis; atque sic si non nomen, certe vim ac virtutem Sacramenti matrimonio detraxerunt. Aliis placuit affirmare: matrimonium, seu, ut aiebant, connubialis contractus solennia ab Ecclesia in numerum primariarum ceremoniarum, in partem cultus Dei publici, in Sacramentorum systema assumta fuisse, et vel hinc conspicuum reddi, quod Ecclesiae a Christo relicta sit potestas Sacramentis ab ipso institutis alia pari auctoritate et effectu superaddendi, utprimum per circumstantias licuerit ac expedierit. Ab immediata Sacramenti matrimonii per Christum institutione eo magis praescindendum esse existimabant haud pauci Doctores, quod, ut aiunt, in Sacris Paginis nullum sit pro illa argumentum, in Traditione vero valde obscura sint testimonia, primusve sit S. Augustinus, qui vocem ‚Sacramentum' de matrimonio adhibet, sed et hic Pater vocem Sacramenti improprie et probabilius mystico ac typico sensu, quo nimirum delectabatur, accipiat. Videamus iam, quid S. Literae, quid Traditio de Sacramento matrimonii contineant. Praecipuus locus, qui pro probando Matrimonii Sacramento adduci solet, continetur in epistola B. Pauli ad Ephesios c. 5. v. 32. in quo Apostolus matrimonium ‚magnum in Christo et Ecclesia Sacramentum' esse dicit. Locus hic Paulinus multas subiit vicissitudines per conatus recentiorum, qui nil non agebant, ut eundem omni probandi vi destituerent. Plerique dictitabant : omnem de matrimonio qua sacramento doctrinam in Ecclesia Catholica ambiguae vocis per Apostolum adhibitae (Mysterion) interpretatione niti. Aliis placuit asserere : id ad summum ex textu Paulino sequi, fundamentum atque monitum aliquod a Paulo Ecclesiae suggeri, ut sacra connubialia inter sacramentales assumat ceremonias, eumque illa celebrandi ritum praescribat, qui veri nominis foret Sacramentum. Alii existimabant : epiphonemate Paulino v. 32 non aliud innui, nisi quod iam praecessit v. 24: sicut Ecclesia subiecta est Christo, ita et mulieres viris; et v. 25: viri diligite uxores vestras, sicut et Christus dilexit Ecclesiam ; sen-

sum ergo esse, plura convenire coniugibus, quae conveniunt Christo et Ecclesiae; hinc autem neminem inferre posse, matrimonium ab Apostolo ut Sacramentum sensu nostro sumtum describi, nisi forte notionem vocis usu ecclesiastico invectam Paulino textui subtrudere quis velit. Rursum alii inter matrimonium ut sacramentum theoreticum seu sensibilem repraesentationem coniunctionis Christi cum Ecclesia, et sacramentum practicum, quo gratia Dei interna supernaturalis ad officia matrimonii rite explenda confertur, distingvendo, ita argumentantur: de valore momenti ex loco Paulino petiti dubitari nequire, si de matrimonio ut sacramento theoretico sermo sit, cum certissimum sit, illud hoc loco ab Apostolo velut signum sensibile tam illius primae coniunctionis Christi cum Ecclesia, quam et permanentis unionis repraesentari; at si de matrimonio uti sacramento practico quaeratur, tum pro eo ex loco Pauli argumentum ideo solum formari posse, quia ex doctrina Pauli ibi tradita dignitas quoque matrimonii deduci posset, hanc tamen ipsam dignitatem matrimonii ex testimonio Apostoli plena cum certitudine vix inferri posse. Vel ex his, quae de intellectu loci Paulini adlata sunt, satis apparet, quam vexatam reddiderint eiusdem interpretationem ipsi Catholici Doctores ac Theologi. Quod ad vocem ‚Mysterion' (sacramentum) attinet, negari quidem nequit, vocabulum isthoc in S. Paginis nusquam eum sensum praecise referre, quem illi tribuere Doctores; at non ex verbo, sed ex comparatione et praestantia Novae Legis patet, matrimonium in Ecclesia Catholica speciali gratia exornari ad illam mutuam dilectionem coniugum efficiendam, quae par est amori Iesu Christi Ecclesiam suam complectentis repraesentando; et de hac gratia Apostolum loqui, ex contextu loci non obscure apparet. Eo ipso enim, quod matrimonium e sententia Apostoli coniunctionem Christi cum Ecclesia repraesentet, coniugibus in memoriam revocat Apostolus, quod ita se invicem habere debeant, sicut Christus et Ecclesia; eo ipso porro, quod Apostolus expresse dicat, matrimonium hanc habere significationem, concluditur, Apostolum in effato suo ea omnia comprehendisse ac intellexisse, quae coniugibus ad consequendum excelsum matrimonii finem

necessaria sunt, quorum profecto summum est collatio gratiae sanctificantis. Quodsi autem ne haec quidem satis clara videntur ad demonstrandum dogma catholicum, locusque Paulinus ideo quoque, quod nec Concilium Trid. illi perfectam vim probandi tribuere existimetur, haud sufficit: valet tamen ad dogma illustrandum, quod ceteroquin Traditio extra omne dubium ponit. Praeter illum ad Eph. V. 32. locum alii insuper ad probandum dogma sacramenti matrimonii ex S. Scriptura adferri solent: qui tamen curatius expensi dogma illustrant quidem, sed clare non probant. Nam id, quod e. g. I. Tim. 2, 15 dicitur: ‚Mulier salvabitur per filiorum generationem, si permanserit in fide et dilectione cum sobrietate', nimis generale est, et de quolibet hominis officio dici potest; — pariter ex I Cor. 7, 7. ss. qua ratione dignitas sacramentalis matrimonii inferri queat, non apparet; si enim ex eo, quod Apostolus castitatem coniugalem donum Dei esse dicat, matrimonium esse sacramentum infertur: quid obstat, quominus id ipsum de virginitate dicatur, quam pariter donum Dei esse eodem loco affirmatur? imo eo magis virginitas hoc titulo digna, quo in comparatione castitatis coniugalis excellentius donum Dei est. Ex his itaque et similibus S. Scripturae locis effici nequit, matrimonium numero Sacramentorum N. L. comprehendi; quamquam enim Apostolus forte ad gratiam Sacramenti respexerit, fatendum tamen, hanc veritatem ex eius verbis certo erui non posse. — In Ecclesia Catholica semper et ubique creditum fuisse, quod matrimonium sit verum ac proprium Novae Legis Sacramentum, multis argumentis probaverunt viri magni nominis, ita, ut his nil pene addendum esse videatur. Quam infundata sint ea, quae adversarii nostri de recentiori primum matrimonii in numerum Sacramentorum relatione, porro de nulla eiusdem apud primos Ecclesiae Patres ac Doctores mentione, sed prima forte per S. Augustinum inventione in medium proferunt, nullo negotio perspicitur. Iam enim antiquissimi Ecclesiae Patres matrimonium in numero Sacramentorum habuerunt, dum matrimonium partim conceptis verbis sacramentum esse asseruerunt, v. g. Tertullianus, Ambrosius, Chrysostomus, Augustinus; partim matrimonium ex ordine

contractunm civilinm exemerunt, uti Ignatius, Clemens Alexandrinns, Ambrosins; partim matrimonium ab Ecclesia conciliari affirmarunt, uti Ignatius, Tertnllianus. Quod vero nominatim ad S. Augustinum attinet, qui matrimonia fidelium saepins sacramenti nomine exornat, iis quidem, qui nonnisi sensu lato ac improprio id accipere volunt, circumstantia haec favere videtur, quod S. Pater nuspiam diserte exponat, quo significatn vocem ‚Sacramentum' accipiat; interim expensis iis, quae aliis locis de baptismo, ordine qua sacramentis disserit, deque utrinsque sanctitate disputat, omni iure concluditur, quid eo loco, quo de Sacramento matrimonii verba facit, per hoc vocabulum indicare voluerit; prout enim illic vera sacramenta intellexit, ita et hic eodem sensu matrimonio nomen sacramenti tribuit. Maximum autem pondus argumento nostro addit continua dogmatis huins in Ecclesia professio, et perpetuns Ecclesiae Latinae et Graecae usque ad funestam in Germania scissionem consensus.

---

§. 27. 28. *Minister Matrimonii.* De Ministro Sacramenti matrimonii magna viget inter Theologos controversia. Alii enim ipsos Contrahentes, alii vero Sacerdotem pro Ministro habent. Si Summum Ecclesiae Pontificem Benedictum XIV, qui argumentum hoc in celeberrimo suo de Synodo Dioecesana opere solide pertractavit, audiamus: tum quidem sententiam de contrahentibus ceu Ministris Sacramenti matrimonii propugnarunt fere omnes antiqui Theologi, Iurisque Canonici interpretes. Nimium tamen dicturum existimo, qui sententiam hanc adeo universalem fuisse adstrueret, ut contraria, quae scilicet sacerdotem pro Ministro matrimonii statuit, primum Sec. XVI in lucem protracta extiterit. Iam enim Sec. XIII *Guilelmus*, qui a. 1248 qua *AEppus Parisiensis* obiit, in suo tractatu de Sacr. Matr. c. IX. qu. 1. et c. 1. de bapt. defendebat, sacerdotem esse Ministrum Sacr. Matrimonii. Hanc Guilelmi sententiam, quam occasione agitatae in Concilio Tridentino de matrimoniis clandestinis controversiae nonnulli Parisienses Theologi duce *Simone Vigorio* in

medium protulere, paucos habuisse sectatores scribit quidem Pallavicinus, sed praeter Guilelmum supra memoratum idem quod ille de Ministro Matrimonii mox sequenti Seculo XIV et subseque plures tradiderunt. Paulo ante, quam Simon Vigorius opinionem Guilelmi Parisiensis Patribus Tridentinis exponeret, anno nimirum 1562 publici iuris factum est celebre opus *Melchioris Cani* de Locis Theologicis, in quo Guilelmi opinio instaurata, multisque argumentis sustentata fuit. Ab eo tempore pro utraque sententia pugnantes inveniebantur Doctores. — In re adeo gravi, quam nec Ecclesia in Concilio Tridentino definivit, sequimur monitum doctissimi Pontificis Benedicti XIV ita scribentis: ‚Utriusque opinionis (de Ministro Matrimonii) solidiora fundamenta innuimus, non animo quemquam inducendi ad unam aut alteram amplectendam, sed ut Eppis sit persvasum, utramque esse probabilem, suosque habere magnae auctoritatis patronos. Acturi in Synodo de Matrimonio proponant quidem doctrinam a CC. Florentino et Tridentino traditam; sed caveant, ne aut parochum aut ipsos contrahentes eiusdem Ministros appellent.' Quamvis autem de thesi illa, quod sacerdos sit Minister Matrimonii, id, quod *Stattler* asseruit, eam scilicet pro dogmate aliquando definiri ab Ecclesia perinde posse, atque actu Tridentinum definivit, Sacramentum N. L. esse matrimonium eoque gratiam conferri, — plena cum convictione affirmare nolimus, negari tamen non posse ultro enunciamus, primorum iam seculorum Patres pro hac ipsa sententia, quod scilicet Matrimonii Minister sit sacerdos, testimonium perhibuisse, dum necessitatem benedictionis sacerdotalis praedicarunt; cum enim nomina materiae, formae, ministri tardius primum in theologiam illata fuerint, non poterant Patres rem forte commodius et clarius exprimere, nisi dicendo: nubentes per benedictionem sacerdotis sanctificari.

Nota. His expressimus verbis in prima editione nostri *de Matrimonio* operis (1837) sententiam nostram quoad quaestionem controversam de Ministro Matrimonii, postquam uberiorem praemisissemus de eadem quaestione literaturam. E verbis nostris complures concluserant, nos sententiam de sacerdote tamquam Ministro Matrimonii propugnare. Equidem

opus nostrum memoratum perlegenti, et finales quoque paragraphos consulenti mira videri debet huiusmodi conclusio. Nam 1. verbis illis non plus enunciavimus, quam quod sententia, quae sacerdotem ponit Matrimonii Ministrum, suos magnae auctoritatis habeat defensores, quemadmodum altera de Contrahentibus ceu Ministris: quod ipse Benedictus XIV affirmavit. 2. Verbis, quibus pronunciavimus, Patres primorum seculorum pro hac sententia perhibere testimonium, non potest alius inesse sensus, quam quem ipsi per id innuimus, quod e mente illorum nupturientes per benedictionem sacerdotis sanctificarentur. 3. De materia Matrimonii agentes diserte reiecimus (ut infra) sententiam, quae illam in contractu civili reponit, cuiusmodi sententiae patroni sacerdotem habent pro Ministro. 4. In finalibus assertionibus operis nostri, signanter §. 49. clare pronunciavimus convictionem nostram: in Ecclesia Catholica rationem Sacramenti Matrimonii ab illa contractus matrimonialis separari haud posse: quod quidem cum sententia de sacerdote qua Ministro conciliari nequit. Imo in eodem loco diserte scripsimus: Melchiorem Canum, qui sententiae de separatione contractus a sacramento per aliam suam opinionem, iuxta quam sacerdotem fecit matrimonii Ministrum, proluserat, talia in causae suae patrocinium advocasse testimonia, quae ad rem non attinent. 5. Quodsi his non obstantibus quispiam de sensu nostro adhuc dubitaret, clare enunciamus: nos prout in aliis omnibus, ita in hac etiam quaestione absque ulla adhaesione sive dubitatione sententiam S. Matris Romanae Ecclesiae amplecti, cui conformior est illa de Contrahentibus qua Ministris opinio.

---

§. 29. *Materia Matrimonii.* Apud antiquos Theologos quemadmodum in genere de materia Sacramentorum parum aut nihil traditum reperitur, ita nec materiae Sacramenti Matrimonii ulla occurrit mentio. Ubi autem vox haec in scholis recepta fuit: tum quidem Theologi de materia Sacramenti Matrimonii acres disceptationes literarias instituebant; verum adeo inconstantes et varii sunt, adeo incerti et ambigui, ut

oleum et operam perdidisse censendus sit, qui in tanta illorum varietate ac discrepantia sententiam aliquam certam et exploratam conetur efficere. Ex quo porro opinio de exclusiva Principum Civilium in res matrimoniales potestate invaluit,ea de materia Matrimonii propugnabatur hodieque propugnatur assertio, quod *contractus* matrimonialis *civilis* sit Sacramenti Matr. materia, quem quippe contractum, prout tunc temporis ab hominibus frequentabatur, adeoque humanis legibus subiiciebatur, Christus Dominus Sacramenti Matrimonii institutor ad dignitatem Sacramenti elevaverit. Quam infirmo consistat assertio haec pede, non multis opus est docere rationum momentis. Cum enim nullae tunc forent civiles de matrimonio leges, quae legi Christi non adversarentur, dum quippe et Hebraeorum et aliarum gentium leges repudii dabant facultatem, et posteriores insuper superstitionum ac vitiorum plenissimae erant: quis credat, Christum Dominum has leges hisque obnoxium contractum fecisse Sacramenti materiam, a quibus legibus divina, quam de matrimonio ferebat, lex prorsus abhorruit? quis credat, Christum Dominum matrimonii materiam constituisse vagam ac incertam, qualis est civilis contractus, qui a populorum moribus, a temporum ratione, ab hominum voluntate arbitrioque dependet? Materia Matrimonii fixa esse debet, et eadem et stabilis per totam Ecclesiam: qualis profecto non est contractus civilis, sed *naturalis* unice contractus, qui consistit in mutuo ac libero consensu inter duas diversi sexus personas iuxta legem religionis ac Ecclesiae ad ineundam matrimonialem societatem habiles. Christus Dominus nulla habita ratione humanarum legum matrimonium consideravit prout a Deo primitus erat institutum, dum adhuc nulla extabat lex vel potestas civilis, nec ullus contractus civilis. Aliud est dicere: Imperantem Civilem posse coniunctioni matrimoniali quaspiam conditiones scribere, et aliud asserere: materiam Sacramenti Matrimonii esse contractum civilem. Liceat hic subnectere verba Summi Pontificis Pii VI ad Carolum (C. Esterházy) Eppum Agriensem dd. 11 Iul. 1789 scribentis: ‚Matrimonium esse contractum naturalem divino iure ante omnem civilem societatem institutum et firmatum, hocque insigni discrimine differre ab

alio quocunque civili contractu, quod in civili consensus certis de causis interdum per legem suppleatur, in matrimonio vero nulla humana potestate suppleri consensus valeat.

---

§. 30. *Status quaestionis de iure statuendi impedimenta matrimonium dirimentia, et summa dicendorum.* Iis, quae de notione, fine, ministro, et materia Matrimonii dicenda erant, iam expositis, ad discutiendam summi momenti quaestionem de legislativa Ecclesiae in re matrimonii potestate gressum facimus. Quo in opere ut systematice procedatur, ante omnia argumentatio illorum proponetur, qui potestatem sive ius statuendi impedimenta matrimonium dirimentia Principibus Civilibus vel ex toto, vel certe maiori ex parte attribuunt; tum illa adversariorum Potestatis Ecclesiasticae argumenta in crisim seu examen vocabuntur, quorum ductu ex ipsorum opinione Ecclesiae memoratum ius adscribi non possit; demum argumenta pro iure Ecclesiae tum e S. Scriptura, tum ex ipsa rei natura, tum ex historia, tum e solemni definitione Ecclesiae in Concilio Tridentino facta promentur; ac tandem circa quaestionem: an utrique Imperio, sacro videlicet et profano, ex aequo ius, de quo agitur, competere queat, et si non, cui in specie et quomodo ius idem vindicari debeat? convictionem nostram enunciabimus.

---

§. 31. *Proponuntur et simul examinantur argumenta sententiae, quae ius statuendi imped. matr. dirimentia Civili tribuit Imperio.* Praevie advertimus, in eo quaestionis cardinem verti, an Principes Civiles impedimenta matrimonium dirimentia eo cum effectu constituere possint, ut illis obstantibus nullum sit Matrimonii Sacramentum, defectu videlicet sufficientis materiae, quam nempe in contractu civili reponunt huius sententiae patroni ? Praecipuum quippe sententiae istius fundamentum est: in matrimoniis Christianorum occurrere contractum civilem humanis legibus subiectum; solum vero Civilem Principem de quolibet civili contractu pro varie-

tate temporum leges ferre posse, ita, ut idem ad commune reipublicae bonum, pacificam nimirum vivendi rationem et communis hominum societatis concordiam dirigatur; negari autem non posse, quod matrimonialis contractus ratio modusque magnum in communem reipublicae finem habeat influxum, eoque plus commodi, quo melius, eo plus incommodi, quo peius initum est, ex eo consequatur; hunc civilem contractum legibus humanis civilibus subiectum a Christo Domino ad dignitatem Sacramenti elevatum, ac per consequens pro legitima materia Sacramenti Matrimonii constitutum fuisse, taliterque porro etiam civilibus Principum legibus obnoxium mansisse; tanto magis, quod soli Principi Civili ex supremae inspectionis et coërcitivae potestatis iure competat auctoritas attendendi, ne societates Civitati noxiae incantur. Haec est omnium Iuris Canonici et Politici Doctorum pro supremo Principum in matrimonium iure pugnantium argumentandi ratio, haec praecipna momenta, iam magis iam minus acute et eleganter exposita et repetita. At enimvero quam infirma sint haec rationum momenta, queis Ecclesiasticae Potestatis adversarii suam superstruunt sententiam, nullo fere negotio perspicitur. *Primo* enim argumentatio exposita id nullatenus probat, quod civilis Potestatis defensores volunt: an scilicet matrimonii valor sola Civilis Imperantis voluntate ita determinari queat, ut iurisdictio Ecclesiastica exclusa maneat? Ad summum id evincit praefata ratiocinatio, quod etiam Civilis Princeps in obiecto iucundorum matrimoniorum leges quaspiam ferre valeat. *Secundo*, argumentatio memorata habet insuper alia vitia, quorum ductu non ruere non potest. Dum enim matrimonium Christianorum ad eandem cum ceteris contractibus civilibus categoriam ponitur, exindeque omnis Principum in illud potestas derivatur: satis sane per hoc fundamenti, cui similis concludendi ratio innititur, infirmitas ostenditur. Matrimonium contractibus civilibus oppido false adnumeratur, quum spectata natura sua ac substantia nihil minus sit quam contractus. Obligationes profecto, quae ex matrimoniali foedere nascuntur, prorsus diversam ab obligationibus e contractibus civilibus e. g. emtione, venditione etc. resultantibus naturam habent, ita quidem, ut earum vis non

ab observatis civilibus legibus, sed aliunde proprie pendeat. Neque eo solo consistit matrimonium, quod obligationem ad aliquid praestandum vel faciendum involvat, et pro suo cum bono communi Civitatis nexu commoda vel incommoda e bene vel male contracto coniugio oriantur : sed alia quoque et praeprimis spiritualia sunt vinculi coniugalis momenta. Maxime vero in oculos incurrit argumentationis praedictae debilitas, si ea sui parte consideretur, qua contractum civilem matrimonialem humanis legibus subiectum a Christo Domino ad dignitatem Sacramenti evectum, ac proinde instar materiae Sacramenti constitutum fuisse, consequenter deinceps etiam legislationi Principum Civilium obnoxium mansisse statuit. Praeter ea enim, quae de sententia illorum, qui contractum civilem pro materia Sacramenti venditant, superius iam proposuimus, inprimis quaerimus ex adversariis : qualesnam humanas leges respexerit Christus Dominus, dum contractum, ut dicunt, matrimonialem ad dignitatem Sacramenti elevavit? Hebraeorum matrimonium quoad substantiam ac vinculum nullis proprie legibus humanis erat subiectum, sed iis duntaxat ordinationibus obnoxium, quas Deus populo Israelitico per Mosen praescripsit; apud alias autem gentes matrimonium ex ipsarum humanarum legum dispositione multis abominationibus subiectum fuit. Christus Dominus nulla habita legum humanarum ratione matrimonium, prout primitus a Deo erat institutum, consideravit, et in Ecclesia sua Sacramentum esse voluit. Quod demum de iure supremae cuiusdam inspectionis Principum in ipsa matrimonia additur, ad rem nil confert, cum ius inspectionis Principibus salvum maneat, etiamsi tanta, quantam adversarii volunt, potestate in re matrimoniali eosdem non vestiverimus.

---

§. 32. *Examen sententiae, quae tenet : Ecclesiam non posse gaudere iure statuendi imped. matr. dirimentia.* Qui hoc tenent, eo ex fundamento egrediuntur, quod matrimonium habeat rationem contractus, ipsi matrimonio materiam praebentis, Ecclesiae vero ius de contractibus leges ferendi

nemo dederit. Dicunt porro: Ecclesiae haud esse concessam potestatem in temporalia, nec potestatem coërcitivam; eam igitur determinare nequire, quandonam contractus hic vel ille sit validus aut irritus; finem potestatis ecclesiasticae esse aedificationem ac sanctificationem hominum, nec alia eidem ad hunc finem promovendum suppetere media, nisi quae in docendo, monendo, et refractarios a communione segregando sita sunt; coactiva media, qualia in re matrimoniali saepe prorsus sunt necessaria, Ecclesiae nulla suppetere; ipsum Auctorem Ecclesiae docuisse, quod regnum suum non sit de hoc mundo; omnem proinde, quam Ecclesia circa matrimonium sibi vindicare potest, potestatem eo comprehendi, quod coniugibus ac liberis praecepta morum tradere, eosque de societatis matrimonialis gravitate edocere valeat. Hac et simili ratiocinatione adversus potestatem Ecclesiae legislativam in re matrimoniali nil effici iam ex iis, quae superius de genuina matrimonii notione et materia dicta sunt, prono fluit alveo; ad enervandam tamen adversariorum argumentationem sequentia insuper animadvertere licet. Ex eo, quod regnum Christi non sit de hoc mundo, quod item Ecclesiae in temporalia potestas data non sit, nondum sequitur, nullas per Ecclesiam circa matrimonium leges dirimentes ferri posse. Matrimonium enim non temporalibus duntaxat, sed praeprimis spiritualibus internisque consistit momentis. Non potest quidem Ecclesia legem ab se de matrimonio latam seu bonorum temporalium publicatione, sive carceris custodia exequi, aut ad matrimonium contra suam prohibitionem convolantes civili alia poena afficere: hinc tamen plane nihil contra ius Ecclesiae, positivis innixum rationibus, concluditur. Neque ex eo, quod finis sacrae potestatis sit aedificatio ac sanctificatio hominum, quidquam in obversum iuris Ecclesiae statuendi impedimenta dirimentia evolvi valet: cum potius propter hunc ipsum Potestatis Ecclesiasticae finem summe exoptabile sit, ut Ecclesia circa matrimonium ea sanciat, queis non servatis nullum reddatur matrimoniale foedus, prout hoc e vestigio positivis argumentis demonstratum ibimus, e quibus simul illorum confutabitur opinio, qui omnem Ecclesiae in res matrimoniales

auctoritatem ad solam fere doctrinam, exhortationem, verbo ad sic dicta impedimenta impedicutia restringunt.

---

§. 33. *Argumenta positiva pro potestate Ecclesiae circa imped. matr. dirimentia ex S. Scriptura.* Tum antiquiores tum nonnulli recentiores Theologi pro potestate Ecclesiae in statuendis impedimentis matr. dirimentibus argumentum Scripturisticum e pluribus Evangelii textibus desumunt, signanter ex locis Matth. 18, 18. 28, 18. et Ioan. XX. 21. nil dubitantes, iisdem, si animo a praeiudiciis vacuo considerentur, sique in eo sensu accipiantur, quo a Patribus et Doctoribus Ecclesiae semper intellecti et declarati fuere, invicte probari, quod sacrum sive ecclesiasticum regimen, suo in genere summum et a civili imperio non dependens, Ecclesiae rectoribus concessum, huicve sacro regimini speciatim administratio et dispensatio Sacramentorum commissa fuerint, ac proinde etiam in matrimonium tributa potestas. Porro e textu Ioan. XXI. 17. ubi de potestate supremo Ecclesiae Pastori concessa sermo est, ultro sequi existimant, Ecclesiam ferendarum legum ad bonum reipublicae sacrae promovendum utilium vel necessariarum potestate gaudere, cumque inter has leges illae non infimum habeant locum, quae nuptiarum conditiones et celebrationem concernunt, harum quoque condendarum iure Ecclesiam pollere. At non placet aliis argumentum isthoc Scripturisticum e generali illa ligandi ac solvendi auctoritate a Christo Domino Ecclesiae rectoribus data deductum: cum, ut putant, nimium probare videatur, eo, quod plures res tum publicae tum privatae enumerari queant ad felicitatem hominum indubie collaturae, quin tamen Ecclesiae in easdem potestas tanta competat, ut de illarum valore vel nullitate decidere valeat. Quidquid sit de his exceptionibus, negari certe non potest: in generali ligandi ac solvendi potestate a Christo Domino Ecclesiae data contineri una potestatem ferendi leges matrimoniales cum effectu nullitatis matrimonii; hoc magis, quod in S. Scriptura indubia adsint exempla exercitae tam ab Auctore Ecclesiae quam Apostolis huius-

modi potestatis. Inprimis Dominum Iesum Christum de fidelium matrimoniis disposuisse, impedimenta certa fixisse, et in causis controversis ius dixisse, SS. Literarum eloquia palam testantur. Is enim matrimonium ad primaevam monogamiae simplicitatem ac vinculi insolubilitatem revocavit, dimissionem uxoris fornicariae ratam quidem habuit, sed novam ducendi facultatem vivente priore coërcuit, opponendo ligaminis impedimentum. Luculenter his factis docuit Dominus, coniunctionem matrimonialem quoad ipsam substantiam ac essentiam suam in Ecclesia neutiquam mere civilibus rebus esse accensendam, sed tamquam obiectum legislationi Ecclesiae suae speciatim subordinatum habendam. Apostoli auctoritate Domini freti pariter plures de fidelium matrimoniis leges pertulerunt, praesertim S. Paulus in prima ad Corinthios epistola. Ut adeo etiamsi in S. Scriptura disertis verbis expressa haud legatur haec veritas: ‚Ecclesiae competit potestas statuendi impedimenta matr. dirimentia', ea tamen, quae de generali leges ferendi auctoritate tamquam Ecclesiae propria in S. Scriptura continentur, cum factis Iesu et Apostolorum coniuncta validissimum ex ipsis Sacris Paginis pro Ecclesiae potestate legislativa matrimoniali suppeditant argumentum.

---

§. 34. *Argumenta ex ipsa natura rei et ratione.* Eandem potestatem vindicat Ecclesiae ipsa rei natura ac ratio. Nam 1. rem in summa saltim generalitate contemplando, an non aequum est, ut Ecclesia in moderandis fidelium matrimoniis potestatem habeat, quae omnibus universim humanis actibus et officiis summo iure modum ac normam praescribit, ut ad honestatis regulam exigantur? Dum Ecclesia in ceteris fere omnibus, de quibus homines transigere ac pacisci solent, id, quod aequitati et veritati consentaneum est, pro Reipublicae Christianae bono decernere potest: solane matrimonialis societas, qua sanctior nulla, nulla diligentiori circumspectione digna, eius iurisdictioni subtrahetur? 2. Ius Ecclesiae, de quo quaerimus, necessaria consecutione fluit ex iure, quod eadem ad legislationem habet. Ubi enim, quaeso, maior exer-

cendi iuris huius subvcrsatur necessitas, quam ibi, ubi de Sacramento digne suscipiendo, ac proinde operanda aeterna salute agitur? Per meras prohibitiones, seu, ut vocant, impedientia impedimenta finis non obtinetur, nisi Ecclesia leges suas cum effectu nullitatis societatum coniugalium fini adversantium pertulerit. Hoc et unitatis in fide, et morum castimoniae conservandae ratio exposcit. A coniugio enim bene vel male inito tam privata quam publica fidelium felicitas, in specie vero et parentum salus et liberorum moralitas pendet. Quis itaque Ecclesiae potestatem abiudicet tales ineundis matrimoniis conditiones scribendi, quas sub periculo nullitatis matrimonii servare oportet? 3. Omnes fere obligationes, quae ex matrimonio oriuntur, altioris sunt indolis ac naturae, quam ut praecipuas hoc in negotio partes externae ac civili iurisdictioni vindicare liceat. Alioquin nec potest proprie iniri coniugium absque morali ac religioso fine: cui vero alii, nisi Ecclesiae attribuamus ius ea decernendi, quae ad promovendum hunc matrimonii scopum apta et accomoda inveniuntur, et ita quidem decernendi, ut leges huiusmodi ecclesiasticas Civitas quoque agnoscere ac revereri teneatur? 4. Dignitas ipsa et sanctitas foederis matrimonialis exigit, ut summum intuitu eiusdem ius talis auctoritas dicat, cuius principia et constitutiva sunt immutabilia, et in toto terrarum orbe eadem; qualis auctoritas nonnisi illa Ecclesiae est, quae quippe sola iisdem legibus fundamentalibus, quas Auctor eidem scripsit, invariabiliter regitur, ac proinde sola quoque leges bonum coniugii efficacissime promoventes ferre valet, dum ex adverso legislatio politica vicissitudinibus temporum subiacet, et alia hic, alia illic deprehenditur. 5. Denique habita ad Novam Legem reflexione, Sacrae N. T. Paginae extra omne dubium collocant, matrimonium per Iesum Christum ad primaevam suam institutionem reductum et Sacramenti gratia donatum esse; quo ex incidenti negari non potest, Ecclesiae ius datum imo obligationem impositam esse tum sollicite cavendi, ne occasione ineundorum inter fideles matrimoniorum tale quid committatur, quod substantiae dignitatique matrimonii adversatur; tum eo enitendi, ut per fideles ad vota matrimonialia transeuntes ea omnia debite observen-

tur ac in effectum deducantur, quae eosdem gratiae sacramentalis participes efficiant; seu, quod idem est, Ecclesiae indubitanter competit legislativa circa matrimonium potestas. Argumenta haec, quae pro Ecclesiae potestate ipsa rei natura ac penitior matrimonii consideratio suppeditat, tam fortia sunt, ut, etiamsi matrimonium ad dignitatem Sacramenti evectum non fuisset, Ecclesia tamen iure merito praecipuas circa illud partes sibi vindicare censenda foret.

---

§. 35. 36. *Argumenta historica.* Historia clare ostendit, Ecclesiam potestate, de qua loquimur, constanter usam fuisse. At constans potestatis huius ex parte Ecclesiae exercitium maxime impugnant adversarii nostri, eo omnes nervos suos intendentes, ut sententiam de potestate Principum circa ferendas leges matr. dirimentes ex testimoniis historicis evincant. Aiunt ipsi: ex tota antiquitate clarum esse, quod iurisdictio in causis matrimonialibus, et nominatim ius statuendi impedimenta dirimentia soli Civili Imperio sic servata fuerint, ut doceri prorsus non possit, primis Ecclesiae seculis vel unum dirimens impedimentum a Patribus ac Rectoribus Ecclesiae constitutum fuisse; praesumi autem citra iniuriam haud posse, sanctos illos primaevae Ecclesiae Patres, si credidissent, potestatem huiusmodi a Christo Domino Ecclesiae concessam hab ri, usque adeo fore segnes potestatisve suae incurios, ut saltim iis in casibus, in quibus matrimonia sub poena excommunicationis interdixere, ea non uterentur; Ecclesiam porro duntaxat adoptasse leges civiles de matrimonio perlatas, hisque sanctionem sua ex parte addidisse; Canones Conciliorum in hac materia editos, et Patrum statuta aut praeviis iam Imperatorum edictis niti, aut certe non de impedimentis dirimentibus sonare, aut demum dicendum restare, nullam vim obligandi eadem statuta habitura fuisse, si regia confirmatio non accessisset; imo si Canones Conciliares de matrimoniis editi penitius inspiciantur, id apparere, quod iisdem solum prohibeantur matrimonia, et ad summum poenae quaepiam canonicae contrarium facientibus infligen-

dae dicuntur, minime vero irrita declarentur, si fuerint contracta, ac proinde Ecclesiam non ea intentione canones matrimoniales pertulisse, quasi persvasa esset, iure proprio leges eiusmodi ab se condi posse; serius primum Ecclesiam ad exercitium iurisdictionis causarum matrimonialium indulgentia et concessione Principum pervenisse, principiis per merces Pseudo-Isidori vulgatis adintam, aliisque, praesertim rudis aevi, faventibus circumstantiis succolatam. Haec est opinione adversariorum nostrorum origo iuris Ecclesiae, circa ferendas leges matrimonium irritantes, haec eorumdem argumentandi ratio!

Quam frivolae sint adversariorum exceptiones contra genuinum sensum Canonum Conciliarium et effatorum SS. Patrum formatae, ex infra dicendis uberius patescet. Placet primo in genere ad argumentationem partis adversae ex historia depromtam respondere. Paucas extare e primis Ecclesiae seculis leges circa fidelium matrimonia ab Ecclesia perlatas ultro largimur; nec repugnabimus, si id dicatur, Ecclesiam olim adoptasse leges Principum matrimoniales etiam quoad effectus ecclesiasticos; non videmus enim, quare id Ecclesia facere nequivisset, postquam observavit leges illas doctrinae Christianae haud esse contrarias. Hinc vero nondum sequitur Ecclesiam leges matrimoniales propria auctoritate non tulisse. Propria quippe fuit semper Ecclesiae rectoribus potestas ferendarum legum in causis ecclesiasticis seu spiritualibus: igitur primis etiam temporibus in arbitrio ipsorum erat, an proprias ad effectus sacros conderent leges connubiales, aut vero iustis de causis Principum constitutiones adoptarent? praesertim si ex huiusmodi agendi ratione concordiam firmari, tranquillitatem subditorum ob evitatam multitudinem legum et ecclesiasticarum a profanis diversitatem conservari, zelum demum Principum pro re christiana accendi viderent. Quis asserat: Ecclesiam delegata duntaxat auctoritate in ferendis legibus connubialibus usam fuisse? Si enim ita: cur Ecclesia in suo Codice ad auctoritatem legum civilium diserte non provocavit, cur verba legum harum non retinuit, cur sanctionem civilem non adoptavit? Omnes leges ecclesiasticae de matrimonio perlatae ita potius comparatae

sunt, ut manifeste appareat, Ecclesiam propria auctoritate praecepisse, vel prohibuisse, dum ad legem divinam, ad doctrinam apostolicam et evangelicam, ad statuta Patrum provocat; honestatem, sanctitatem matrimonii, salutem fidelium respicit, sensui SS. Literarum se conformat, et inobedientes poena mere ecclesiastica privationis communionis plectit, verbo a legislatione civili plane discrepat. Sed quaerimus porro ab adversariis, ut assignent nobis Principem illum, qui omnium primus privilegium sive potestatem in quaestione positam Ecclesiae delegaverit? Edictis quidem suis Principes Christiani saepius confirmant, protegunt, executionique mandari disponunt leges Ecclesiae : at potestatem et ius condendi leges non tribuunt, quod quippe aliunde accepit Ecclesia. Imo ipsi Principes commendant leges canonicas circa matrimonia, ad has sua edicta conformant et accomodant, ad auctoritatem Ecclesiae confugiunt, declarantque se unice civiles effectus suis edictis intendere; supponunt itaque Ecclesiam proprio nativoque iure matrimoniales constitutiones edere. Quod dein ad enervandam vim argumenti nostri adducunt adversarii, quasi sententiis SS. Patrum et Canonum Conciliarium tantum prohibeantur et non irritentur matrimonia : hoc quidem inane effugium esse tenor ipse legum sacrarum demonstrat. Sufficiat hic loci id solum notare, Ecclesiam multo efficacius et fortius leges suas matrimoniales inculcasse, quam Civiles Principes : dum aut divinam legem et iura naturae per nuptias has vel illas perrumpi, aut adulteria committi ait, et in obversum prohibitionum agentes anathematisat. Neque sane ex eo, quod in Canonibus haud semper addatur, matrimonia fore irrita ac nulla, sequitur, quasi huiusmodi matrimonia pure prohiberentur, et non irritarentur. Quod de usurpata per Ecclesiam potestate legislatoria proferunt adversarii, ea quidem manifesta criminatio esse dignoscitur. Nullum enim assignari potest tempus, quo ius hoc antea incognitum Ecclesia usurpare coeperit. Proferant adversarii auctores invasionis illegitimae; retegant artes et machinationes, quibus ambitiosum adeo consilium ad optatum exitum Ecclesia molita sit perducere. Non enim in re adeo gravi frivolis coniecturis, sed ratione et auctoritate pugnan-

dum. Quo, quaeso, modo fieri potuit, ut in illam praetensam usurpationem simul ac semel consenserint orbis christiani Praesules. Cum ius simile clanculum usurpari nequiverit, conscribendi igitur erant canones, quibus in usum deduceretur; concedendae dispensationes, queis nuptiarum per leges civiles prohibitarum fieret indulgentia: qua ratione iam poterat fieri, ut in communi omnium offensione ne unus quidem reperiretur, qui de violato iure gentium, et oppressa libertate nuptiarum conquereretur? Quis credat, omnes ad unum silere potuisse de re, quae tanti intererat? Quis in animum suum inducat, ut existimet, nullum civilem magistratum in novum illud usurpationis genus insurrexisse, cum alioquin illis temporibus de multis causis Principes inter et Ecclesiam disceptatum sit? Spurias scilicet Isidori decretales adiutorio fuisse, dictitant adversarii: verum cantilena haec est sexcenties refutata. Canones quippe matrimoniales non in praeattactis decretalibus, sed antiquis Conciliis, et indubitatis Summorum Pontificum rescriptis leguntur, quae Seculum IX longo temporum intervallo praecesserunt; et quamprimum suppositiae illae decretales lucem viderunt, earum falsitas illico tum Hincmaro Remensi, tum aliis innotuit; nuspiam tamen legitur, seu Hincmarum, sive alium quemquam, ut spuriis his mercibus fidem detraheret, eo usum fuisse argumento, quod contra morem antiquum et receptam ubique disciplinam potestatem tribuerent Ecclesiae, matrimoniis impedimenta opponendi, quod quidem argumentum omnium fere validissimum futurum erat.

---

§. 37—40. *Exceptiones contra sensum Canonum Conciliarium et rescriptorum Pontificiorum per adversarios positae refelluntur.* Praemissis generalibus adversus argumentum historicum, prout illud adversarii construunt, animadversionibus, praecipuas speciales eorumdem exceptiones contra sensum Canonum Conciliarium et rescriptorum Pontificiorum in causa impedimentorum dirimentium formatas succinctae crisi subiiciendas censemus. 1. In epist. *Callisti* Papae, vigesimis sec. 3 annis cathedram Petri tenentis, ad Galliae Eppos data

claris verbis enunciatur coniunctionum matrimonialium inter *consangvineos* prohibitio. Epistolae huius authentiam impetebant adversarii, cum ex obtutu clarae admodum legis nullam difficultatem movere scirent. Verum plures doctores, qui spuriorum canonum in decreto Gratiani occurrentium catalogum texuere, laudatam epistolam inter spurias non recensent. 2. *Iulius* Papa, qui a. 337 in Cathedra Petri sedit, impedimentum *consangvinitatis usque ad septimum gradum* stabilivit. Contra hanc constitutionem reflectunt adversarii: tempore Iulii Papae ignotam adhuc fuisse doctrinam de prohibitis usque septimum cognationis gradum nuptiis, Ecclesiamque in hoc obiecto leges civiles secutam esse, quae apud Romanos inter consangvineos proximiores matrimonium inire vetabant, Seculo autem quarto a Theodosio Imperatore cautum esse, ne inter consobrinos nuptiae contrahantur. At ratiocinatio haec contra vim argumenti nostri nil probat. Lex enim Iulii Papae per id non redditur incerta aut dubiae fidei, quod matrimonium inter cognatos usque ad septimum gradum prohibeat, dum lex civilis prohibitionem ad quartum gradum restrinxit. Id solum seqnitur ex hac discrepantia, quod legislator ecclesiasticus amplius quid statuerit, quam civilis. Accedit, quod legem Iulii et collectores canonum Burchardus ac Ivo memorent, et Concilium *Aurelianense* a. 538 quoad substantiam repetat can. 10. Pariter Syn. *Epaonensis* a. 517. can. 30. — 3. Conc. *Neo-Caesareense* a. 314 can. 2. impedimentum *affinitatis* sanxit. Cuius canonis vim ut effugerent adversarii, per operosam inductionem ex ipsis plane ICtis Romanorum, puta Caio, evincere adnisi sunt civilem originem impedimenti affinitatis, contendentes, Concilium iure veteri civili nixum fuisse, nec aliud intendisse, quam ut similia matrimonia interdiceret, contracta tamen haud dirimeret. Ast clara dispositio Canonis Neocaesareensis per effugium istud minime eliditur. Ex toto contextu Canonis patet, eo veram legem ecclesiasticam contineri, adiecta sanctione. Verba canonis sunt: ‚Mulier, si duobus nupserit fratribus, abiiciatur usque ad mortem. Verumtamen in exitu propter misericordiam, si promiserit, quod facta incolumis huius coniunctionis vincula dissolvet, fructum poenitentiae consequatur.' Pa-

tet etiam ex verbis canonis, frivolam exceptionem de solo impediente impedimento per sensum vere dirimentis in canone contenti fugari. Idem impedimentum clarissime continetur in canonica epistola S. *Basilii* secunda ad Amphilochium c. 23. — 4. Impedimentum *publicae honestatis* sauxit *Siricius* Papa in epist. ad Himerium Tarraconensem c. 4: ‚De coniugali violatione requisisti, si desponsatam alii puellam alter in matrimonium possit accipere? Hoc ne fiat, modis omnibus inhibemus, quia illa benedictio, quam nupturae sacerdos imponit, apud fideles cuiusdam sacrilegii instar est, si ulla transgressione violetur.' Operosis disquisitionibus, quales adversarii, vim rescripti elusuri, de sensu benedictionis instituunt, sensus clari loci non obscuratur. Non quaeritur enim, de qua benedictione agat Siricius, sed unice de eo, an declaraverit, virum et sponsam alterius ad valide ineundum matrimonium admitti non posse? Hoc cum aperte enunciaverit, non est dubium, eundem de impedimento publicae honestatis constistituisse. — 5. Impedimentum *Voti* enunciant: Conc. *Eliberitanum* can. 13; C. *Carthaginense* IV can. 104; C. *Chalcedonense* can. 16; *Siricius* PP. cit. ep. ad Himerium Tarrac. et *Innocentius* I Papa ad Victricium Rothom. c. 12. Ex his Conciliorum Eliberitani et Carthaginensis vim oppugnant adversarii. Sed frustra. Nam cum Conc. Eliberitanum diserte statuat, virginibus, quae per infirmitatem aut seductionem lapsae fuerint, in fine tantum vitae dandam esse communionem, si omni vitae suae tempore poenitentiam egerint et a coitu abstinuerint: manifestum est, matrimonium in sensu huius canonis non modo ut illicitum sed etiam ut invalidum decerui. In Concilio autem Carthaginensi matrimonium a persona voto obstricta initum instar adulterii habetur: quod teste ipso Augustino, ad quem provocant adversarii, quasi neget eiusmodi matrimonia esse vera adulteria, tamquam nullum haberi debet; addit enim S. Pater: lapsus et ruinas a castitate sanctiori, quae Deo vovetur, adulteriis esse peiores. — 6. De impedimento *raptus* statuunt: Syn. *Ancyrana* a. 314 can. 11; Syn. *Chalcedonensis* can. 27; *Symmachus* Papa epist. ad Caesarium c. 3. — 7. De impedimento *criminis* loquitur S. *Augustinus* ad Valer. de nuptiis, et S. *Leo M.* apud Gratian.

Caus. 31. qu. 1. c. 1. — 8. Impedimentum *cultus disparis* in pluribus occurrit canonibus, et Patribus, signanter apud *Tertullianum* de cor. mil. c. 13. in Conc. *Eliberitano* c. 15—17. — in C. *Arelatensi* c. 11, in C. *Arvernensi* c. 6.

---

§. 41. 42. *Exceptiones contra nonnulla Patrum dicta, earumque crisis.* Provocant Potestatis Ecclesiasticae adversarii potissimum ad *SS. Ambrosium, Augustinum, Leonem,* et *Thomam de Aquino.* 1. *Ambrosium* ad edicta civilia Caesarum respexisse aiunt, dum de nuptiis inter cousangvineos haud ineundis verba faceret lib. VI. Epist. 48 ad Paternum, inquiens: gradum tertium cognationis civili iure a consortio coniugii excipi, et Theodosium Imperatorem vetuisse patrueles, fratres et consobrinos coniugio necti. Verum ex tota, quam tenet S. Pater, argumentatione contrarium patet: nam ante omnia enunciat: ‚primo sacrae legis scita interrogemus, praetendis enim in tuis literis, quod permissum hoc divino iure connubium existimetur, eo quod non sit prohibitum.‘ Provocat itaque ad legem divinam, ad Apostoli praecepta, ad pietatis et honestatis ordinem, et tum demum subiungit, civili etiam Theodosii lege nuptias inter consobrinos vetitas esse. 2. *S. Augustinus* de Civ. Dei l. 15. c. 16. praemisso eo, quantum consvetudo et honesti mores ad alliciendum vel offendendum humanum sensum apud impios etiam falsorum deorum cultores, legibus perversis permittentibus, valuerint, ait: ‚qui mos cum in hac causa (matrimonii) immoderationem concupiscentiae coërceat, eum designari, atque corrumpi merito esse nefarium iudicatur. Si enim iniquum est, aviditate possidendi transgredi limitem agrorum, quanto est iniquius libidine concumbendi subvertere limitem morum? Experti autem sumus in connubiis consobrinorum etiam nostris temporibus, propter gradum propinquitatis fraterno gradui proximum, quam raro per mores fiebat, quod fieri per leges licebat, quia nec divina prohibuit et nondum prohibuerat lex humana.‘ Haec argumentatio S. Patris manifeste supponit, legem divinam in contrahendis coniugiis prae illa humana

audiendam esse; nil autem continet totus locus, e quo concludi posset, S. Augustinum credidisse, quod soli Principi Civili competat in matrimonia potestas. 3. *S. Leo M.* tantum abest, nt solis Imperantibus ius condendarum legum matrimonialium tribuat, ut potius legum civilium vim ac auctoritatem ex legibus Ecclesiae derivet, diserte enunciando: legem divinam ab initio constitutam in matrimoniis ineundis servari debere, ut haec vera sint ac legitima: ‚Cum societas nuptiarum ita ab initio constituta sit, ut praeter sexuum coniunctionem haberet in se Christi et Ecclesiae Sacramentum, dubium non est, eam mulierem non pertinere ad matrimonium, in qua docetur nuptiale non fuisse mysterium.‘ Ep. ad Rust. Narb. — 4. *S. Thomae Aquinatis* Doctoris Angelici auctoritatem multis in medium adferre placet, nt potestatem imperatoriam in legislatione matrimoniali primas ac praecipuas habere partes comprobent. Duo cumprimis loca ex opp. S. Doctoris solent allegare: alterum, in quo sub triplici respectu matrimonium considerat, uti est officium naturae, nt ad bonum politicum ordinatum, adeoque ordinationi legis civilis subiacens, ut Sacramentum; alterum, in qno S. Doctor a potestate civili non minus quam a iure naturae ac divino impedimenta matr. dirimentia statui posse asseverat. (Lib. IV. cont. Gent. c. 78. — In IV Sent. dist. 34.) Ex neutro tamen horum locorum sequitur id, quod adversarii volunt. S. Thomas tam aperte docet, leges politicas nequaquam sufficere ad constituendum dirimens impedimentum, nisi id simul Ecclesia statuat, nt nullum dubium de vera eius mente atque sententia moveri possit. Dicit enim: ‚Prohibitio legis humanae non sufficit ad impedimenta matrimonii, nisi interveniret Ecclesiae auctoritas hoc idem prohibentis.‘ (In IV Sent. dist. 42.) Insuper potestatem Ecclesiae in plurimis opernm suorum locis praedicat, e. g. l. IV cont. Gent. c. 78. — In Quodlib. V. art. 5. — Dist. 40. art. 4. — Dist. 37. art. 1. qu. 1. — Dist. 42. qu. 1. a. 1. — Dist. 37. qu. 2. a. 2. — Dist. 42. qu. 2. a. 2. etc. Quod de triplici matrimonii respectu S. Doctor affert, opinioni adversae minime patrocinatur; nam illic non agit seu de impedimentis matrimonii, sive de auctoritate ea constituendi, sed solum explicat varios coniugii fines, eorum-

ve obtutu matrimonium quasi diversis legibus obnoxium dicit. Subiicit coniugium diversis legibus, sed non aliter, quam in libris suis in IV Senteut. declaraverit, dum idem Ecclesiae legibus voluit esse obnoxium. In altero loco sensus verborum S. Doctoris non is est, ut lex civilis quempiam inhabilem reddere valeat ad contrahendum matrimonium: sed is, quod unaquaeque legum a b. Thoma memoratarum efficere possit, ut quis ineundo coniugio inhabilis reddatur, nempe legem naturalem, omnibus hominibus communem, posse impedimenta statuere relate ad omnes, etiam eos, qui nullius subsunt imperio; legem civilem, quae matrimonia unice habita ad commune reipublicae bonum ratione respicit, posse condere impedimenta civilia relate ad subditos infideles; Ecclesiam demum coniugia christianorum invalida decernere posse, quae cum ad Sacramenti naturam evecta sint, tum ex sua essentia, tum ex effectibus multo nobiliorem civilibus gradum obtineant.

Nota. In prima editione operis nostri de Matrimonio(1837) paucos duntaxat, eosve praecipuos indicavimus canones seu ex Conciliis seu ex Patribus et Pontificiis Constitutionibus, qui de impedimentis matr. dirimentibus tamquam a Potestate Ecclesiastica stabilitis agunt. Cum interim argumentum historicum ex canonibus huiusmodi pro Potestate Ecclesiae deductum magni sit ponderis, et argumentationem partis adversae ex historia petitam penitus prosternat: opportunum censuimus, reliquas etiam Ecclesiae leges de hoc obiecto ordine Seculorum commemorare, nullo pro nunc habito respectu ad sententias nonnullorum Criticorum, unum alterumve horum Monumentorum ad spurias merces referentium.

Conspectus legum ecclesiasticarum de imped. matr. dirim. E Sec. I. 1. *Can. Apost.* 47 et 66. de imp. ligaminis, et raptus. 2. *Clemens I.* Papa a. 93. epist. 1. ad Iac. fr. Dom. de imped. criminis. 3. E Sec. II. *Evaristus* Papa a. 112. ep. ad Epp. Afr. nr. 2. de coniugio cum benedictione sacerdotali ineundo. 4. *Hyginus* Papa a. 154. decr. 1. de imp. cognationis. 5. E

Sec. III. *Calixtus I* Papa a. 221. ep. 2. ad Epp. Gall. nr. 4. de imped. cognationis. 6. *Fabianus* Papa a. 238. decr. 3—5. de imp. affinit. et consangv. item de furiosis. 7. *Eutychianus* Papa a. 275. de imp. cultus disparis. (Caus. 28. qu. 1.) 8. E Sec. IV. C. *Eliberitanum* a. 313. can. 8. 9. 61. 66. 67. de imped. ligaminis, criminis, affinit. item de comicis ac scenicis. 9. Conc. *Arelatense* a. 314. can. 10. de adulteris. 10. C. *Ancyranum* a. 314. can. 10. de imped. raptus. 11. C. *Neo-Caesareense* a. 314. can. 2. de imp. ligaminis. 12. *Sylvester* Papa a. 324. in Capit. de imped. cognationis spiritnalis. 13. C. *Nicaeni I.* a. 325. can. arab. 21. 23. 51. 66. 67. de imp. cognationis spiritualis, criminis, et ligaminis, item de concordia inter dissidentes coniuges qualiter tentanda. 14. *Iulius I* Papa a. 337. decr. 3—5. 10. de sponsalibus, de imp. cons. et affin. item conditionis. 15. *Siricius* Papa a. 385. ep. ad Himer. Tarr. nr. 4. de imp. pnblicae honestatis. 16. E Sec. V. *Innocentius I* Papa a. 402. Syn. Rom. can. ad Epp. Gall. 9. 11. et epist. ad Probum de imped. affin. et ligaminis, de secundis nuptiis. 17. C. *Chalcedonense* a. 451. can. 27. de imp. raptus. 18. *Leo M.* Papa a. 458. ep. ad Nicet. Aquil. de imp. ligaminis, uberius de circumstantia absentiae coniugum diuturnae, et novis interea initis connubiis. 19. E Sec. VI. C. *Agathense* a. 506. can. 61. de incestis coniunctionibus. 20. C. *Aurelianense I.* a. 511. can. 18. de imped. affinit. 21. *Hormisdas* Papa a. 514. decr. c. 6. et ep. ad Euseb. Epp. de benedictione sacerdotali, et de imped. vis ac metus. 22. C. *Epaonense* a. 517. can. 30. de incestis connubiis. 23. C. *Toletanum II.* a. 531. can. 5. de imp. affinitatis. 24. C. *Aurelianense II.* a. 533. can. 10. 11. de matr. ex capite infirmitatis non solvendo, et de matr. cnm noverca. 25. C. *Arvernense* a. 535. can. 12. de imp. affinit. 26. C. *Aurelianense III.* a. 538. can. 10. de incestis coniunctionibus. 27. *Vigilius* Papa a. 540. ep. ad Caesar. Arel. de imped. affinit. 28. C. *Aurelianense IV.* a. 541. can. 22. 24. 27. de imp. vis et metus, conditionis, et de incestis matrimoniis. 29. *Pelagius I.* Papa a. 555. ep. ad Potentium defens. de imp. conditionis. 30. C. *Parisiense III.* a. 557. can. 4—6. de imp. affin. 31. C. *Turonense II.* a. 567. cap. 21. contra incesta coniugia. 32. C. *Antisiodorense* a. 578.

can. 27—32 specifice enumerat gradus propinquitatis, intra quos matr. consistere nequit. 33. C. *Matisconense II.* a. 583. can. 18 contra incestas coniunctiones. 34. *Gregorius M.* Papa a. 592. ss. ep. ad Aug. Angl. Epp. item ad Felicem Messan. Ep. — ad Mauritium Imp. — ad Theoctistam — ad Venerium Calarit. Ep. — ad Ioannem Ravenn. Ep. de imped. cons. affin. cultus disparis, impotentiae, et de frigidis. 35. E Sec. VII. *Deusdedit* Papa ep. ad Ep. Hispal. de cognatione spirituali. 36. C. *Parisiense V.* a. 614. can. 14. de incestis coniugiis. 37. C. *Remense* a. 625. can. 8. aeque de incestis nuptiis. 38. C. *Herndfordiense* a. 673. cap. 10. de imp. ligaminis, et de adultera non ducenda vivente priore marito. 39. C. *Toletanum XII* a. 681. can. 8. idem quod prius Concilium de adultera uxore. 40. C. *Trullanum* a. 692. can. 53. 54. de imp. cognationis tam carnalis quam spiritualis. 41. E Sec. VIII. Conc. *Romanum* sub Gregorio II PP. a. 721. de iisdem imped. et insuper de raptu et sponsalibus. 42. *Gregorius II.* PP. a. 726. ep. ad Bonifacium Ep. et Capit. ad Martinianum partim de imp. cognationis usque quartum gradum, partim de impotentia, et affinitate. 43. *Zacharias* Papa a. 741. ss. ep. ad Bonif. ad Pipinum et Epp. ac Proceres Gall. item in decretis de imped. affin. et ligaminis, item cognationis spiritualis. 44. C. *Liptinense* a. 743. can. 3. contra adulteria et incesta matrimonia. 45. C. *Romanum* a. 743. cap. 6. 7. de affin. et raptu. 46. *Egberti Eboracensis AEppi excerptiones* a. 748. can. 106. 118. 120—129. item dial. de inst. eccles. tum impedimenta plura evolvunt, cumprimis impotentiae, tum quae ad celebrationem matr. spectant, clare proponunt. 47. C. *Vermeriense* a. 752. can. 1. 2. 5. 9. de imped. cognationis usque quartum gradum, criminis, et de absentia longiore alterutrius coniugis. 48. *Stephanus II* Papa a. 754. in resp. ad consulta Gallor. de conditione, impotentia, cognatione spirituali, et de leprosis. 49. C. *Vernense* in Gall. a. 755. can. 15. de nuptiis publice faciendis. 50. C. *Compendiense* a. 756. can. 1—3. 10. de imp. consangv. et affin. 51. C. *Bavaricum* a. 772. decr. 10. de conditione. 52. *Hadrianus I* Papa a. 774. in Epit. Can. de imp. ligaminis, et affin. 53. C. *Calchutense* in Angl. a. 787. cap. 15. contra incesta coniugia. 54. Capit. *Aquisgranense* a.

789. c. 51. renovat Siricii decretum de imp. publ. honestatis. 55. C. *Forojuliense* a. 791. cap. 8—10. de imp. affinit. pubertatis, et de adultero coniuge. 56. E Sec. IX. C. *Arelatense VI.* a. 813. can. 11. contra incestas coniunctiones. 57. C. *Moguntinum* (813) can. 53—56. itidem de incestis nuptiis, et de spirituali cognatione. 58. C. *Cabilonense II.* a. 813. can. 28—31. de affinitate, conditione, et cognatione spirituali ex Confirmatione. 59. Capit. *Aquisgranense* a. 816. de raptu. 60. *Hattonis Basil. Capitulare* c. 21. de utraque cognatione, carnali et spirituali. 61. C. *Meldense* a. 845. cap. 64—66. contra raptores. 62. C. *Moguntinum* (847) can. 28—30 repetit sanctiones prioris Moguntini Concilii. (num. 57.) 63. *Leo IV* Papa a. 847. ad Epp. Britann. de imped. cognationis. 64. C. *Suessionense II.* a. 853. can. 12 contra incestuosos, ut per iudices publicos ad Eppum deducantur puniendi. 65. C. *Romanum* a. 853. can. 36—38 de imp. voti, cognationis, et de unitate matr. 66. *Nicolaus I* Papa a. 865. ss. ad consulta AEpi Vesontion. ad Epp. Salonit. Bituric. Constant. Portuens. Ficolens. Mogunt. Albinum AEp. item in decr. et resp. ad cons. Bulgar. fusius pertractat rem matrimonii, signanter de imp. cons. et affin. cognationis spiritualis ex bapt. et confirm. criminis, porro de amentibus et furibundis, de consensu ad matr. absolute necessario, de tempore vetito. 67. C. *Wormatiense* a. 868. can. 32—34. 77—79. de cognatione usquedum generatio memoria retinetur, de affin. et cogn. spirit. item raptu. 68. C. *Duziacense II.* a. 874. in epist.. synodica ad Epp. Aquitaniae omni attentione dignam continet exhortationem contra incestuosa matrimonia. 69. C. *Ravennatense* a. 877. cap. 6. de imp. raptus. 70. *Ioannes VIII* Papa a. 879. ep. ad Rostannum AEp. et Anselmum Ep. Lemovic. de imp. raptus et de non separando ab uxore sua viro, qui filium suum ad extrema vitae devenientem in absentia sacerdotis baptisavit, propriisque manibus retinendo suscepit. 71. C. *Coloniense* a. 887. cap. 6. contra incestas nuptias. 72. C. *Moguntiacense* a. 888. cap. 18 de cognatione spirituali. 72. C. *Triburiense* a. 895. can. 38—51. de disparitate cultus, crimine, impotentia, affinitate, cognatione spirituali fuse disserit, et contra fornicationes severa perfert sanctiones. 73. E Sec.

X. C. *Troslejanum* a. 909. can. 8. contra raptores et incestuosos. 74. C. *Confluentinum* a. 922. cap. 1. de imp. cons. usque septimam generationem. 75. *Leo VII* Papa a. 937 ad Gallos et Germ. de cognatione spirituali et carnali usque quartum gradum. 76. E S e c. XI. C. *Aenhamense* a. 1009. cap. 8. contra propinquorum coniunctiones, spiritualem cognationem, et eos, qui ab aliis repudiatas ducunt uxores. 77. C. *Bituricense* a. 1031. can. 16—18. de non ducenda alia, vivente adultera, uxore, et de cognatione usque septimam progeniem. 78. C. *Romanum* a. 1059. can. 11. de consangvinitate usque septimam generationem, vel quousque parentela cognosci possit. 79. C. *Turonense* a. 1060. cap. 9. de imp. cons. et raptus. 80. *Alexander II* Papa a. 1061. ss. ep. ad Gnil. Monstrolium, et Mangisum Ep. Venet. de consangvinitate. 81. C. *Romanum* a. 1063. can. 9. 10. de cognatione usque septimum gradum. 82. C. *Gerundense* a. 1068. can. 3. 4. tum incestuosos tum dimittentes uxores suas et alias accipientes excommunicat. 83. C. *Gerundense* alterum a. 1078. can. 8. de consangvineis. 84. *Urbanus II* Papa a. 1087. Sanctium Regem Aragonum a cogenda nepte in negotio matr. dehortatur. 85. C. *Nemausense* a. 1096. can. 10. 13. de consangvineis et de puellis usque annum 12 non elocandis. 86. E S e c. XII. C. *Londinense* a 1102. can. 24. de cognatis usque gradum septimum. 87. *Paschalis II* Papa a. 1103. Regino Eppo de imped. publicae honestatis. 88. C. *Lateranense I.* a. 1123. can. 5. coniunctiones cognatorum sub poena infamiae vetat. 89. C. *Londinense* a. 1125. cap. 16. 17. de cognatione usque septimam generationem. 90. C. *Nannetense* a. 1127. contra incestuos poenas gravissimas sanxit, teste epistola Hildeberti AEppi Turonensis ad Honorium 3 Papam, et huius ad illum responso. 91. C. *Remense* a. 1131. can. 16. contra coniunctiones consangvineorum. 92. C. *Lateranense II.* a. 1139. can. 17. ut Remense. 93. *Eugenius III* Papa a. 1145. Moysi Ravenn. AEppo, et Esculapio Presbytero de imp. publ. honestatis, et de matrimonio puellae septennis, quod Pontifex ratum habuit. 94. *Alexander III* Papa a. 1159. ss. pluribus literis ad Praesules Cantuar. Upsal. Gothor. Exonensem, Papiensem, Panormit. Vigiliens. Genuensem, Londin. Wigorniensem etc. impedi-

menta matr. fusius tractat, aliaqne de matr. necessaria proponit. 95. C. *Cassiliense* a. 1172. cap. 1. de cons. et affin. 96. C. *Londoniense* a. 1175. can. 18. 19. de nnptiis palam cnm benedictione sacerdotali celebrandis, et impuberibns a matr. arcendis. 97. *Const. Synod. Odonis Ep. Parisiensis* a. 1198. cap. 7. plura ennmerat impedimenta, et solennitates externas praescribit. 98. C. *Dalmatiae* a. 1199. cap. 6. 10. de cognatione usqne septimnm gradum. 99. E Sec. XIII. C. *Londinense* a. 1200. cap. 11. de utraque cognatione, et de externis matrimonii solemnitatibus. 100. *Const. Gallonis Card.* a. 1208. in Addit. Wilhelmi Paris. cap. 13. 16. de dennntiandis matrimoniis, et confessione per sponsos praemittenda. 101. C. *Lateranense IV.* a. 1215. can. 50—52. imped. cognat. et affin. ad qnartnm gradum restrinxit, et clandestina coniugia prohibuit. 102. *Consti'. Richardi Poore Eppi Sarum in Brit.* a. 1217. can. 54—66. decisa C. Lateranensis seqnntus prohibuit clandestina connubia, et multa praescripsit pro digna celebratione matr. 103. *Const. synod. Eppi anonymi in Brit.* a. 1237. eadem repetnnt, qnae in Later. Synodo et praeced. Constit. sancita erant. 104. C. *Valentinum* a. 1258. de imped. cons. et affin. item de iis, quae occasione celebrandi in facie Ecclesiae matrimonii observari debent, necnon de matr. clandestinis. 105. C. *Arelatense* a. 1260. can. 4. de matr. coram Ecclesia celebrando. 106. *Stat. syn. Bremense* a. 1266. contra matr. in gradn prohibito. 107. C. *Claromontense* a. 1268. cap. 8. Lateranensis Synodi canones repetiit. 108. C. *Exoniense* a. 1287. cap. 7. de matr. in praesentia sacerdotis celebrando. 109. C. *Cicestrense* a. 1289. cap. 24. 25. de domicilio coniugnm, et praesentia rectoris ecclesiae ac testium. 110. C. *Salisburgense* a. 1291. contra matr. clandestina. 111. E Sec. XIV. C. *Baiocense* a. 1300. cap. 68—72. reiterat decreta Lateranensia. (1215.) 112. C. *Compendiense* a. 1304. cap. 1. contra matr. clandestina. 113. C. *Coloniense* a. 1310. cap. 22. aeque contra clandestina connnbia. 114. C. *Ravennatense* a. 1311. rubr. 19. de solemnitatibns matr. et temporibus vetitis. 115. C. *Palentinum* a. 1322. cap. 18. de constitutione Conc. Generalis Lateran. et Viennensis quoad gradus prohibitos republicatione. 116. C. *Silvanectense* a. 1326. cap. 6. de clandest.

matr. 117. C. *Londinense* a. 1328. cap. 8. de bannis. 118. C. *Lambethense* a. 1330. cap. 5. de bannis et praesentia parochi. 119. C. *Salmanticense* a. 1335. cap. 9. 10. de clandestinis coniugiis, et gradibus prohibitis. 120. C. *Londinense* a. 1342. cap. 11. contra matr. clandestina. 121. C. *Parisiense* a. 1346. cap. 12. de forma procedendi in causis matr. 122. C. *Vaurense* a. 1368. cap. 110. contra connubia clandestina. 123. E Sec. XV. C. *Salisburgense* a. 1420. cap. 12—15. inprimis imped. cognationis spiritualis tractat et parochis committit, ut eatenus fideles debite instruant. 124. C. *Parisiense* a. 1429. cap. 32. 33. de copulationibus in Ecclesia peragendis, et dispensationibus restringendis. 125. C. *Frisingense* a. 1440. cap. 19. de clandestinis matr. 126. C. *Turonense* a. 1448. cap. 12. ut praecedens. 127. C. *Andegavense* a. 1448. cap. 12. ut praecedentia duo Concilia, insuper de imp. voti. 128. *Constit. Thomae A Eppi Cantuariensis* a. 1455. contra clandestina matr. 129. C. *Suessionense* a. 1456. de tempore vetito accurate servando. 130. C. *Toletanum* a. 1473. cap. 16. 17. de vetito tempore et clandestinitate. 131. C. *Senonense* a. 1485. Art. IV. c. 4. 5. de solemnitatibus et vetito tempore rite observandis. 132. E Sec. XVI. *Const. Campegii S. Sedis Leg. pro Germ.* a. 1524. cap. 21. de solennitatibus et vetitis temporibus. 133. C. *Senonense* a. 1528. decr. fid. 10. et decr. mor. 39. de sanctitate matr. deque pia eiusdem celebratione et contra clandestinas nuptias. 134. C. *Coloniense I.* a. 1536. Part. 7. cap. 40. ss. fuse proponit ea, quae de celebratione et impedimentis matr. tenenda sunt, enunciatque: matrimonii Sacramento, si cum benedictione sacerdotali suscipiatur, donum Spiritus conferri. 135. C. *Augustanum* a. 1548. cap. 21. de bannis et de matr. in ecclesia ineundo. 136. C. *Coloniense II.* a. 1549. tit. 7. cap. 31—33. de clandestinis matr. de parocho proprio et de ecclesia qua loco celebrandi matr. 137. C. *Moguntinum* a. 1549. cap. 36—38. de sanctitate matr. de bannis, et aliis solennitatibus. 138. C. *Narbonense* a 1551. can. 53. de bannis sine spe obtinendae in iis dispensationis, nisi peculiaria adiuncta unius adsummum banni relaxationem exigant. 139. C. *Tridentinum* a. 1563. conclusum universam, ut notissimum est, doctrinam de matrimonio uberrime complectitur, omnia-

que recenset impedimenta: Conciliis subseque in variis orbis catholici provinciis celebratis, Tridentina decisa amplexis; e quibus Conciliis aliquot adhuc subnectere placet. 140. C. *Remense* a. 1564. stat. 4. 5. de cognatione spirituali et tempore vetito. 141. C. *Augustanum* a. 1567. can. 10. universam doctrinam de matr. succincte proponit. 142. C. *Salisburgense* a. 1569. const. 49. cap. 1. 2. item c. 4—6. ut praecedens Synodus. 143. E Sec. XVII. C. *Sedunense* a. 1626. cap. 5. de clandestinitate et imped. impedientibus. 144. C. *Osnabrugense* a. 1628. Part. 1. cap. 20. prout etiam 145. E Sec. XVIII. C. *Bisuntinum* a. 1707. Stat. 14—26. universam doctrinam de matr. complectuntur. Atque hic sistendo, conspectum statutorum synodalium ulterius prosequi superfluum censemus, siquidem universim post decreta C. Tridentini de iure et facto, quemadmodum etiam antea, Ecclesia in rebus matrimonialibus potestate sua constanter usa fuerit, et leges opportunas de matrimonio pertulerit. Is autem, quem usque initium Seculi superioris perduximus, conspectus quemadmodum ininterruptam sistit legum Ecclesiae matrimonialium seriem, ita et spectato ipso tenore legum inconcussum pro eo suppeditat argumentum, quod Ecclesia in plena potestatis suae conscientia leges tulerit. Provocant enim leges Ecclesiae ad traditionem patrum, imo et ipsius Domini ac Apostolorum mandata; in nonnullis legibus declaratur, ab ipsis Principibus terrae stringi incestuosos aliosque legum Ecclesiae violatores, ut per iudices publicos ad praesentiam Praesulum deducantur, ius et iustitiam recepturi; ipsi Reges in causis suis matrimonialibus iudicio Summorum Pontificum se submiserunt; leges ecclesiasticae non ad civilia praecepta vel decreta, sed semper ad proprium Ecclesiae ius, ad antiqua statuta Ecclesiae etc. appellant, et nonnisi accidentaliter faciunt subin legum civilium mentionem, dum hae legibus Ecclesiae suffragantur; clare edicunt, sine iudicio Ecclesiae nec separationem coniugum nec novum matrimonium locum habere etc.

---

§. 43. 44. *Dogmatica definitio Conc. Tridentini.* Argumentis pro iure Ecclesiae in statuendis impedimentis matr.

dirimentibus ex S. Scriptura, ratione, Patribus, et historia adductis pondus addit dogmatica definitio Ecclesiae in Conc. Tridentino. Sancta haec Synodus Sess. XXIV can. 4 definivit: ,Si quis dixerit, Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta matrimonium dirimentia, vel in iis constituendis errasse, anathema sit.' Item Can. 12 eiusdem Sessionis: ,Si quis dixerit, causas matrimoniales non spectare ad Iudices Ecclesiasticos, anathema sit.' Clarius et disertius sententia Ecclesiae pronunciari vix potuerat: sed vel ideo adversarii omnes virium nervos huc intendebant, ut definitionem Ecclesiae obscurarent et eliderent. Quidam in Canone IV C. Trid. per ,Ecclesiam' Reges ac Principes intelligi debere contendebant, quorum nempe nomine ac auctoritate Ecclesia utatur, dum de matrimonio quidpiam decernit. Visum fuit aliis excipere: Concilium haud definiisse, utrum e Christi institutione, aut ex Principum indulgentia tacita vel expressa auctoritas Ecclesiae dimanet. Alii rursum existimabant: Canone IV dogma quidem contineri, sed non dogma revelatae doctrinae, verum iuris naturalis veritatem, siquidem et huius custodia ac defensio Ecclesiae competat; sensum proin Tridentini canonis hunc fore, quod, quum Ecclesiae potestas quoad impedimenta matr. dirimentia e beneficio Principum obtigerit, et tempore C. Tridentini plurium iam seculorum possessione tranquilla firmata fuerit, tali vero potestate secundum iuris naturalis principia quisque legitime uti possit: iure Concilium iis anathema dixerit, qui eam potestatem Ecclesiae negarent; anathema tamen casum in eum, si Principes ius suum maiestaticum revocarent, et potestatem, quam Ecclesiae largiti sunt, ipsi deinceps exercerent, effectu suo carere debeat, cessante ratione, ob quam vibratum fuit. Nonnulli porro aeque ingeniose in medium adduxerunt: per Ecclesiam in Canone Tridentino solos Ecclesiae Rectores intelligi, rem tamen esse controversam, neque ab Ecclesia hactenus decisam, utrum Canon memoratus sit dogmaticus seu doctrinalis, et an de propria, sive a Christo accepta potestate accipi debeat necne? Hi igitur non modo fidei certitudinem denegant doctrinae, quae ius Canone expressum Ecclesiae asserit, verum eandem doctrinam inter meras scholae

opiniones relegant, quas quisque pro lubitu sequi vel reiicere valet. Nec desunt, qui Canonem Tridentinum elusuri, primo examinant, quid nomine regulae fidei veniat, tum ad hanc tamquam lapidem lydium applicando Canonem, contendunt, in eo meram disciplinam contineri, cum nec e S. Scriptura nec e Traditione pro ea doctrina suppetant argumenta. Alii ad circumstantias et historiam Canonis controversi reflectendum esse aientes, existimabant, ex historia Canonis constare, per anathema eos solum feriri, qui potestatem constituendi impedimenta matr. dirimentia Ecclesiae ideo denegarunt, ut dogma Sacramenti abolerent, quive libertatem ineundi matrimonii sine ulla restrictione indulgendam esse contenderunt, qua admissa ne delegata quidem potestate Ecclesiam impedimenta statuere potuisset, qui demum Ecclesiam usurpatae alienae potestatis ream fecerunt; ac proinde eos, qui iuris publici universalis principiis et antiquae traditioni, ut aiunt, inhaerentes potestatem illam Ecclesiae ex beneficio Principum obvenisse affirmant, nec dogma Sacramenti abnuere, nec potestatem sic concessam vel acquisitam qua legitimam inficiari.

Multiplices hi nisus adversariorum in torquendo ad sua placita Tridentini Canonis intellectu claram et disertam Canonum Tridentinorum de propria potestate Ecclesiae sententiam neutiquam obscurant. Nam 1. quod de interpretatione vocis ‚Ecclesia' in Canone IV proferunt adversarii, id quidem argumentum est, quo nullum perditae causae illustrius esse potest. Quis enim credat, Ecclesiam, quae omnibus, ac proin Tridentinis quoque Patribus semper est Ordo Ecclesiasticus, duobus duntaxat Canonibus Sessionis XXIV, quarto scilicet et duodecimo, pro civili potestate sumi? quis existimet, Patres oecumenici Concilii, qui cuncta suis propriis germanisque explicant vocabulis, studio ac diligentia singulari illo tantum loco a proposito discessisse, vocabulique significationem pervertisse, ut disputationi facerent locum, et una integrum relinquerent Lutheri errorem, cuius omnes conatus ad oppugnandam potestatem ecclesiasticam dirigebantur? Quis credat, Principum Oratores, qui Concilio intererant, solliciteque curabant, ne quid verbis aut factis eorum pote-

stati detraheretur, permittere voluisse, ut haec potestas, quae suo proprioque vocabulo clarissime designari potuerat, tali voce comprehenderetur, quae tantum violenter detorta ac minus proprie eam significatura erat? At vero opus non est, putidissimo de huiusmodi significatu vocis ,Ecclesia' commento uberius confutando immorari: quod simulatque effictum est, a pluribus doctissimis viris pro merito castigatum fuit. 2. Quod de expressa aut tacita Principum Civilium indulgentia additur, cui quippe potestas Ecclesiae adscribenda sit, quaeve per Synodum Tridentinam intelligi debeat: id tum praxi Ecclesiae ante Conc. Trid. adhibitae, tum intentioni Concilii e diametro opponitur. Ecclesia enim prout supra satis ostendimus, propria semper auctoritate tulit leges circa matrimonia fidelium, non a Principibus mundi mutuata, sed ab ipso Auctore suo sibi attributa; tulit leges etiam tunc, dum concessioni ac indulgentiae Principum nullus erat locus; tulit tales quoque leges, quae civili legi et consvetudinibus Regnorum nequaquam consonae sed plane adversantes fuere. Insuper ad retundendam adversariorum contortam interpretationem, e qua, si penitius discuteretur et urgeretur, absurda a Concilio Trid. sancita fuisse sequeretur, iuvabit ad historiam controversi Canonis paulisper advertere animum. Quaenam fuit, quaeso, illa doctrina, in quam proprie Canon IV anathema vibravit? Coryphaeus sic dictae reformationis negavit matrimonium esse Sacramentum, et adstruxit, non alias matrimonii prohibitiones fieri, nec alia impedimenta dirimentia statui posse, quam quae in S. Literis expresse continentur, ac proinde Ecclesiam non posse constituere impedimenta dirimentia. Synodus itaque Tridentina, postquam priora Lutheri errata iam Canone 2 et 3 anathemate percussisset, hunc quoque eiusdem errorem, potestati Ecclesiae proprie oppositum Canone 4 perstringendum iudicavit, ita, ut definitio Synodi sit doctrinae Lutheri contradictoria. Quae quum ita sint, iure optimo quidam expositionem adversariorum Canonis IV de delegata Ecclesiae potestate accepti, formalem fore satyram adversus iurisdictionem Ecclesiae enunciarunt; iure etiam condemnavit AEppus Mechliniensis propositiones Professorum Lovaniensium de sensu

dicti Canonis eo modo expressas, quasi in Canone non de propria Ecclesiae potestate a Christo accepta, sed aliunde derivata sermo fieret. 3. Canonem Tridentinum dogmaticum esse absque haesitatione pronunciamus. Postquam enim Synodus Tridentina hanc de matrimonio doctrinam Canonibus comprehendit, quibus semper catholicum dogma stabilire solet; postquam porro initio Sessionis XXIV, in qua Canones de matrimonio continentur, diserte declaravit, se catholicam contra haereses doctrinam definire, insigrioresque errores exterminare velle: his in adiunctis dum inter canones de matrimonio, omnium consensu doctrinales ac dogmaticos, illum quoque quartum de potestate Ecclesiae recensuit Synodus, nonnisi obfirmata cavillandi licentia Canonem hunc doctrinalem et dogmaticum esse inficiabitur. Nec iuvat ad firmandam sententiam, quasi Canon IV sit tantum disciplinaris, ad Canones 7 et 12 provocare: hi enim Canones aeque doctrinam spectant, non disciplinam; Canone quippe septimo anathema dicitur ei, qui Ecclesiam in doctrina de matrimonio non dissolvendo erroris incusaverit; Canon vero duodecimus cum ipso iure Ecclesiae in matrimonia cohaeret; ceteroquin si Ecclesia de matrimonio leges ferre valet, valet etiam de eodem iudicare. Uterque igitur Canon doctrinam de potestate ecclesiastica concernit: et quemadmodum par error est negare matrimonio Sacramenti naturam et dignitatem, ac negare Ecclesiae potestatem: ita par doctrina Canone 1 et 4 enunciatur. 4. Iis, qui contendunt, a Concilio per canonem IV non illis dici anathema, qui ius Ecclesiae statuendi impedimenta negant, sed his, qui ius hoc ideo negant, quod matrimonium non sit Sacramentum, breviter reponimus: Concilium in genere definivisse, quod Ecclesia impedimenta dirimentia iure constituere potuerit; de rationibus autem sive causis, quibus quis innixus ius hoc negaverit, ne verbo mentionem fecisse. Nec opus erat, sententiam doctrinae de Sacramento oppositam novo canone configere, utpote quae iam canone 1 condemnata fuit. 5. Ex eo, quod Synodus Tridentina in Canone IV nulla argumenta seu e S. Literis, sive e SS. Patribus adferat, nihil contra veram Ecclesiae potestatem concludi potest: Ipsi enim Patres

in Synodo congregati viva voce ediderunt testimoninm universalis Ecclesiae fidei a maioribus acceptae; ueque ea, quae seu in SS. Patrum scriptis, sive iu Canonibus Conciliorum reperiuntur, solam ac totam traditionem constitunnt: sed totius Ecclesiae fides in genere, cuius universi Eppi vel iu Synodis congregati vel per orbem dispersi, et cnm Summo Pontifice concordes, testes snnt. Nulli itaqne dubio locum relictnm censemus, memorato Canone IV de vera ac propria Ecclesiae potestate sermonem esse. 6. Quod speciatim Canonem XII attinet, snnt, qni verba eiusdem captiose interpretando, defendant, Patres Concilii, quod hac formula usi non fueriut ,ad solos Indices Ecclesiasticos', vel ,omnes causas matrimoniales', potestatem reliqnisse secularibus iudicibus cognoscendi causas matrimoniales, saltem illas, qnae sunt meri facti. Verum verba Canonis XII adeo generalia sunt, nt omnes causas matrimoniales comprehendant; spiritns vero sive ratio Canonis tam late patet, ut nullum exceptioni aut restrictioni locum relinqnat. Advertere quoqne iuvat, Canonem XII per recentiora Concordata semper agnitnm fuisse. 7. Deniqne observare licet, prorsns singulare videri, qnod Potestas Civilis, si, ut urgent adversarii, exclusivam in causis matrimonialibns auctoritatem sibi competere credidisset, iu Concilio Tridentino nullam contra Canones hos protestationem interposuisse legatur.

---

§. 45. *Status quaestionis de eo : an utrique Potestati, sacrae et profanae, ius imped. matr. dirimentia competere possit nec ne?* Argumenta, qnae pro ecclesiae potestate in ferendis legibus matrimonialibus, seu, nt dici amat, in statnendis impedimentis matr. dirimentibus hactenus adduximus, extra dubium ponnnt quidem Ecclesiae potestatem. At per id quaestio, qnam pertractandam assnmsimus, nondnm plene decisa est. Utnt enim vel ea rationnm momenta, quae pro potestate Ecclesiae adlata snnt, si penitins examinentur et cum argnmentis pro potestate Civilinm Principnm proferri solitis combinentur, sat innnant, Ecclesiam multo magis quam Impe-

rium Civile dictam potestatem pro se vindicare posse, ac proin sententiam illorum, qui opinantur, argumenta pro et contra adducta sese mutuo elidere, et tam pro civili quam ecclesiastica stare potestate, minime subsistere: uberius tamen inqnirendum adhuc superest, an potestas haec statuendi impedimenta matr. dirimentia utrique Iurisdictioni, sacrae videlicet et profanae, ex aequo competat, possitve competere, et si non, qualem utraque Iurisdictio legislationis matrimonialis partem pro se vindicare valeat?

---

§. 46—48. *Utrique Potestati, Ecclesiasticae ac Civili, ius impedimenta matr. dirimentia ex aequo competere non potest.* Id mnltis rationum momentis probare superfluum est. Sacra enim et Civili Potestate ab invicem haud dependentibus, fine vero et mediis ad promovendum commune bonum, queis utraque Potestas utitur, ab invicem discrepantibus, quis non videt, evenire facile posse, ut conflictus inter duas Iurisdictiones oriatur, dum altera hoc vel illud matrimonium validum, altera invalidum pronunciabit? Nam quod nonnulli asserunt, controversias inter cives et perplexa matrimonia facillime remota manere, utriusque regiminis legibus observatis, neque repugnantiam ibi cerni, quod idem homo qua re sub uno respectu liber est, sub alio ad eam teneatur, ecclesiasticam item ac civilem potestatem ab se invicem neutiquam independentes esse: assertum isthoc ne ii quidem, qui totam circa regulandas causas matrimoniales potestatem Civili Imperio adindicant, admittunt, cum et hi in iure publico thesim de mutua utriusque potestatis independentia propugnent. Ut adeo consequentia illa indubitata maneat, quod concesso ex aequo utrique Potestati iure ferendi leges matrimoniales dirimentes simultatibus controversiisque apertus campus praebeatur. Hinc iam magnus *Bellarminus* sequenti ratione argumentabatur: „Si matrimonium esset solum civilis contractus, possent sine dubio Politici Principes impedimenta constituere, sicut fecerunt praesertim ethnici imperatores. Sed quia matrimonium est Sacramentum, et huius dispensatio ad Ecclesiam

pertinet, ideo potestas impedimenta matrimonii constituendi maxime proprie ad Principem Ecclesiasticum pertinet, ad Politicum autem non pertinet nisi cum consensu et subordinatione ad Principem Ecclesiasticum : non enim eadem potestas ad duo diversa tribunalia aeque ac immediate et proprie pertinere potest.'

Controversias et collisiones inter Ecclesiam et Civitatem in merito legum matrimonialium praecavendi medium in promtu adesse arbitrati sunt illi, qui matrimonium, ut aiunt, civiliter validum ac legitimum a Sacramento penitus separando, potestatem statuendi impedimenta dirimentia exclusive Civili Imperio vindicarunt, et huic ipsi Imperio auctores fuerunt, ut potestatem in matrimonia, quam prioribus seculis exercuerat, resuscitet, sibique postliminio restitui procuret; exemplo ab Austria petito, ubi differentiae circa matrimonii impedimenta in praxi facillime componi dicuntur, potestate Civili Imperio adserta. Existimant hi Iurisperiti, materiam Sacramenti matrimonii esse contractum matrimonialem civiliter legitimum ac validum, de principali proinde matrimonii re Statum publicum civilem iudicare, Ecclesiae vero nonnisi potestatem circa administrationem Sacramenti relictam esse, et hoc etiam respectu latas ab Ecclesia leges Placeto Regis subesse; ad tollendas itaque quasvis simultates id fore peropportunum, si Ecclesia in suis ceremonialibus legibus et in sanciendis impedimentis matrimonium impedientibus sese Maximis Civitatis accomodaverit, et palam declaraverit, leges illas canonicas matrimonium prohibentes, quae per Statum politicum pro talibus agnitae non fuerint, abrogatas esse. Nec deerant, qui ecclesiae protestanticae exemplum adferrent, quam scilicet media via in subversante argumento incedere, ac proin tutissimum tenere dictitabant. Imo nonnulli usque adeo abiecte de ratione Sacramenti matrimonii senserunt, ut arbitrio fidelium relinquendum censuerint, an Sacramentum suscipere velint nec ne? Verum sententiae hae reiiciendae sunt. Quantum roboris habeat exceptio, quae existimat, potestatem ferendi leges matr. dirimentes primis seculis ab imperio civili et non ab Ecclesia exercitam fuisse, satis ostendimus, dum contrarium ex ininterrupto potestatis

huius per omnia secula ab Ecclesia exercitio demonstravimus. Porro ex iis, quae de materia Sacramenti matrimonii, item de eo, quod matrimonium ad sphaeram civilium contractuum perperam referatur, superius proposuimus, nullo negotio intelligitur, sententias praeadductas non subsistere. Sufficiat id unum praesenti loco adhuc adiicere : nimium desiderare eos, qui Potestati Ecclesiasticae auctores sunt, ut suas circa matrimonium leges illis reipublicae civilis accomodet, atque palam declaret, se ad abrogandas leges de impedimentis matrimonii perlatas, in quantum eae Civitatis rationibus haud consonarent, paratam fore. Quis enim est cordatus Reipublicae civis, qui non desideret, ut potius civilis imperii statuta ad normam et trutinam religionis, quae ipsius civilis societatis fundamentum sit oportet, revocentur? hoc magis, quod Civitas in suo ad matrimonia influxu aequi iustique limites facile transilire, atque sic pro summo rei bonae detrimento potestate sua abuti possit.

---

§. 49—51. *Sententia nostra de potestate statuendi imp. matr. dir.* Praemissis necessariis disquisitionibus, nostram de proposita quaestione enunciamus sententiam, et asserimus : 1. *In Ecclesia Catholica rationem Sacramenti matrimonii a ratione contractus separari non posse.* Sententiae, quae in matrimonio duo diversa realiter distingvit, seu contractum a sacramento secernit, prolusit Melchior Canus, existimans, non omne matrimonium inter christianos legitime initum esse Sacramentum, sed illud duntaxat, quod a ministro ecclesiastico solemnibus verbis benedicitur. Seculo XVI ad finem vergente quaestio haec inter Theologos magis agitari coepit. Occasione publicatae legislationis matrimonialis Austriacae et subin Gallicanae eadem quaestio pluribus editis libellis partem in utramque disputata fuit, hodiedumque disputatur, in affirmativam sententiam de separabilitate contractus a matrimonio abeuntibus omnibus, qui potestatem legislativam circa matr. Civili Imperio exclusive adiudicant. Etsi non diffiteamur, plures magni nominis eruditos et olim adhaesisse

et hodie adhaerere illi opinioni, quae Sacramentum a matrimonio civiliter inito separat: affirmamus tamen, in Lege Nova matrimonium et Sacramentum matrimonii ab invicem divelli non posse. Dum enim Servator noster beniguissimus coniunctionem viri ac feminae in matrimonium, quam ad originariam divinam revocavit institutionem, in Ecclesia sua Sacramentum esse voluit: hoc ipso voluit una, ut fideles gratia sua omnino utantur, ac proinde non aliter quam servatis conscientiae ac Ecclesiae legibus et praeceptis in foedus coniugale coalescant. Iuxta principia catholica quodvis fidelium matrimonium legitimum Sacramentum sit oportet: et quemadmodum quaevis ad operandam aeternam salutem instituta divinitusque ordinata media Ecclesiae essentialia sunt, ita eorumdem mediorum usus ac susceptio neutiquam arbitraria et a beneplacito voluntateque iis uti cupientium dependet. Excusabiles sane non sunt, qui arbitrio fidelium susceptionem Sacramenti matrimonii relinquunt. — 2. *Sola Ecclesia Catholica gaudet potestate ferendi leges matr. dirimentes.* Haec propositio suapte fluit e priori. Sicut enim ipsa rei natura et institutio Sacramenti Matrimonii assertionem nostram inviete probant, ita hic unicus simul modus est, quasvis collisiones et dissensiones cum Civitate praecavendi. Sola Ecclesia est, quae iuxta doctrinam et exemplum Auctoris sui salutares et cum dignitate Sacramenti consonas constitutiones circa ineundum foedus coniugale ferre, et potestate sua minime abuti potest. Hoc ipsum iam et antiquiores theologi non obscure enunciarunt, et Principibus Civilibus potestatem circa dirimenda coniugia sic tantum concedi posse censuerunt, si Ecclesiae approbationem ferrent leges ab iis editae, imo ex historia ipsa solidis comprobarunt argumentis, quod Civiles Principes nonnisi concurrente Ecclesia impedimenta dirimentia constituerint. Unius nimirum Ecclesiasticae Potestatis est, ea, quae vim ac substantiam Sacramenti Matrimonii concernunt, ordinare et constituere, idque a Statu Civili independenter, cum Status Civilis Matrimonium quoad essentiam cassum ac nullum efficere nequaquam possit; nec concipere licet in Ecclesia Catholica contractum quempiam matrimonialem, quem iurisdictio civilis absque respectu ad Ecclesiam

legislationi suae subiicere quiret; siquidem, ut praemissum, separatio eiusmodi Sacramenti a contractu uti realis in Ecclesia admitti haud possit. Quod quidem adeo clarum est, ut nulla attentione digna videatur exceptio, quasi in nostra sententia notio Ecclesiae nimis materialis foret, et Ecclesia quapiam extraordinaria potestate vestiretur. Notio Ecclesiae Catholicae multum differt ab illa, quam Protestantes, memoratam exceptionem obmoventes, sibi efformant, invisibilem fingendo Ecclesiam. — 3. *Qualis igitur est Principum Civilium quoad matrimonium potestas?* Secundum Ecclesiae Catholicae principia non alia, quam quae *effectus civiles* respicit. Cum nimirum nuptiales civium coniunctiones ad publicam tum familiarum tum Reipublicae universae felicitatem promovendam vel turbandam plurimum saepe conferre valeant: dubium non est, quin suprema in Republica civili auctoritas ius habeat his coniunctionibus dispositiones quasdam adiiciendi. Possunt Principes Civiles id quoque decernere, ut dispositionum harum transgressores in poenam priventur omnibus illis civilibus ac politicis beneficiis, quae e matrimonio legitime contracto oriri solent, e. g. iure ad dotem, ad bonorum communionem et administrationem, ad successiones haereditarias, ad officia civilia etc. Hi effectus natura sua tales sunt, circa quos sola Ecclesia absque dispendio potestatis civilis regulas pro utroque foro valituras scribere nequit. Et hoc sensu asserunt nonnulli, Principes posse statuere impedimenta matr. dirimentia, scilicet quoad praedictos effectus civiles. Alii id non admittunt, sed censent per dispositiones Principum duntaxat impediri posse matrimonium. Non nescimus quidem, esse complures ex iis etiam, qui de potestate Ecclesiae bene sentiunt, huius opinionis, quod potestas Principum ad effectus solum civiles matrimonii incongrue minusve iuste restringatur, sed potius iisdem e iure supremae inspectionis ea etiam statuendi auctoritas competat, quibus non servatis matrimonium nulliter contrahatur, ac proinde contractui per leges civiles prohibito accedere nequeat Sacramentum. Verum opinionis istius fundamentum iam refutavimus, ostendendo, materiam Sacramenti matrimonii non esse contractum civilem, imo matrimonium contractibus humanis

mere civilibus ne quidem adnumerari, praeterea rationem contractus matrimonialis ab illa Sacramenti separari non posse. Et reapse cum Principes Civiles in exercitio suae potestatis iustos fines excedere et spirituales effectus producere haud valeant: apparet, nullius esse momenti, quae obiiciuntur. Praesulibus Ecclesiae, non Principibus Civilibus data est spiritualis iurisdictio, quam cum potestate Principum perperam comparant, imo confundunt adversarii nostri. Aliud est, dum de valore matrimonii quaeritur, et aliud, dum de effectibus matrimonii relate ad obligationem civilem agitur. Quemadmodum ad Ecclesiae potestatem pertinet, ea, quae essentiam ac formam legitimi matrimonii spectant, determinare, ita constitutiones Principum, si quas circa matrimonii substantiam, materiam, et inhabilitates personarum ad idem ineundum perferrent, nullius forent vigoris. Satis consulitur fini Reipublicae per eam Principum ad matrimonia civium inspectionem, ope cuius ipsi leges connubiales quoad civiles effectus ferre possunt. Optandum vero est, ut Ecclesia et Civitas gravissimum matrimonii negotium in mutua harmonia moderentur.

Appendix de legibus divortialibus Principum Civilium. Quum Politici et Canonistae recentiorum temporum, Principes Civiles potestate summa quoad impedimenta dirimentia instruentes, ex iisdem argumentis id quoque contendant, quod Principes vi iuris maiestatici in nonnullis casibus solutionem vinculi coniugalis seu divortium cum effectu novarum nuptiarum civibus suis admittere possint: non incongruum indicavimus, ea, quae de praetenso iure et legibus Principum divortialibus tomo altero operis nostri de Matrimonio (Aug. Vind. 1840. p. 361.) proposuimus, instar appendicis ad praecedentem quaestionem hic adnectere. Dicunt itaque Canonistae Principum: matrimonium, dummodo ab eo ratio Sacramenti absit, non esse nisi contractum mere civilem, atque adeo civili potestate solubilem; porro Statui Civili pro suprema in quaslibet territorii sui societates potestate, imo et pro iure

respectu religionis ipsi competente, negari non posse facultatem in principia Religionis Christianae de indissolubilitate matrimonii propius inspiciendi, et, si haec cum rationibus finibusque Status Publici minus cohaerere inveniantur, eadem reiiciendi, consequenter solutionem matrimonialis vinculi seu divortium toties admittendi, quoties id boni publici ratio poposcerit; tanto magis, quod indissolubilitas matrimonii per legem christianam pro quovis, etiam adulterii, casu praecepta, nec cum principiis socialis contractus, ut ipsi aiunt, natura sua in casibus quibusdam solubilis, nec cum postulatis Status publici respectu promovendae per matrimonia impopulationis conciliari possit. Addunt alii et hoc, quod Imperantes Civiles pro summa quoad res Ecclesiae disciplinares auctoritate legem quoque indissolubilitatis ad meram disciplinam spectantem pro suo arbitratu abrogare valeant, utprimum illam bono publico provehendo minus idoneam deprehenderint. Argumentis his ex natura et indole civilis maiestatis, et finibus Status publici depromtis maximum pondus adiici existimant per argumentum historicum, quod pro sua opinione ex annalibus primorum Ecclesiae seculorum deducunt, plurimas leges divortiales ab Imperantibus Civilibus perlatas commemorando, de iisve id asseverando, legibus his ab Ecclesia numquam serio contradictum, ab Eppis nullam reprehensionem aut improbationem editam fuisse; dicta autem nonnullorum Patrum, uti Hieronymi, Chrysostomi, Nazianzeni, qui leges divortiales civiles cum legibus Ecclesiae de indissolubilitate matrimonii conferentes, has prae illis amplectendas fidelibus annunciant, ad literam premenda non esse, sed partim ad perstringendum duntaxat discrimen inter iura viri et uxoris a quibusdam factum pertinuisse, partim spectato contextu ad reprobationem legum civilium trahi non posse; Ecclesiae demum mentem sensumque, si quando leges illas civiles haud probavit, nonnisi inter merae exhortationis et admonitionis, fors e spiritu Essacismi secunda connubia damnantis profectae terminos substitisse, et non e conscientia alicuius potestatis repetendum; legibus civilibus divortialibus eo plus ponderis ac momenti inesse, quod latae forent ab Imperatoribus Chri-

stianis, qui suam orthodoxiam nulla macula contaminarunt, et fere semper consilio Epporum usi fuerunt.

Argumenta, quae pro tuenda Principum Civilium in ferendis legibus divortialibus potestate Publicistae et Canonistae adferunt, si ad trutinam rationis revelationisque christianae revocentur, suapte evanescunt. Nam 1. quae e natura maiestatis civilis Principibus inhaerentis depromta sunt, innituntur principiis nuper primo de sublimi quapiam Civilis Status idea et inde derivata Principum in res religionis ac ecclesiae, et signanter in matrimonium potestate nescio quam eminenti excogitatis; quae principia, uti et corollaria ex iis deducta iam in superioribus §§ examinavimus et reiecimus. Non absimiliter in quantum Iuris ac Canonum Doctores pro potestate Principum ferendi leges divortiales e notione matrimonii tamquam civilis contractus a ratione Sacramenti seiuncti argumentantur, lectores nostros ad ea remittimus, quae hoc de obiecto iam saepius monuimus. Quod nonnulli de repugnantia indissolubilitatis matrimonii cum principiis contractus socialis in medium proferunt, id admodum leve est. Expensis enim rite omnibus rationum momentis per eruditos Iuris Naturae interpretes pro firmitate vinculi coniugalis adductis, expensa item societatis coniugalis natura, indole, honestate ac dignitate intrinseca non minus quam bono communi humani generis, multis titulis praestat illorum sententia, qui matrimonium ipsa naturali ratione indissolubile esse tenent. Opinionem de contractu matrimoniali ad classem reliquorum contractuum civilium solubilium referendo sustineri haud posse ibi ostendimus, ubi matrimonium tamquam singularem contractum, ab aliis toto coelo diversum, probavimus; unde sane admodum incongrue dicitur, matrimonium qua contractum ipsa indole sua solubilem esse. Impopulationem in Civitate, quam praetextuant divortiorum patroni, multo magis per matrimonia perenniter durantia, quam per solutiones auctoritate licet Status factas promoveri, et duntaxat talem impopulationis modum, quem coniugia firmiter inita promovent, bono Civitatis provehendo idoneum esse, quisque intelliget, qui Status publicos matrimonia indissolubilia tuentes cum illis, in quibus solubilitas matrimonii ac

libertas divortiorum inter Maximas Status relata habetur, attente ac absque studio partium comparaverit. Quod tandem de indole disciplinarium Ecclesiae constitutionum proferunt adversarii, tum ex iis refutatur, quae de principiis hodiernorum Canonistarum Civilium circa potestatem Principum iam identidem notavimus, tum exinde, quod indissolubilitas vinculi matrimonialis non ad disciplinam, sed ad doctrinam referatur. 2. Nec argumento historico proficiunt quidquam adversarii. Nam inprimis prorsus gratis asserunt, legibus Principum divortialibus Ecclesiam numquam serio contradixisse. Contradixit sane legibus his Ecclesia multiplici ratione; signanter a) indissolubilitatem vinculi publice et data qualibet occasione docendo, fidelibusve inculcando; b) legibus Principum divortialibus suas de perpetua vinculi coniugalis firmitate opponendo, tum per singulares Patrum ac Praesulum enunciationes, tum per Synodalia decreta. Satis sit unius alteriusve Patris ac Doctoris Ecclesiae effata subiicere. ‚*Nazianzenus* ait: divortium legibus nostris omnino displicet, tametsi Romanae aliter decernant. *Ambrosius*: dimittis uxorem, quasi iure, sine crimine, et putas id tibi licere, quia lex humana non prohibet; sed divina prohibet. *Chrysostomus*: ne mihi leges ab exteris conditas legas, praecipientes dari libellum repudii et divelli; neque enim iuxta illas iudicaturus est te Deus in die illa, sed secundum eas, quas ipse statuit. *Hieronymus*: aliae sunt leges Caesarum, aliae Christi; aliud Papinianus, aliud Paulus noster praecepit. *Augustinus*: hoc non licet iure poli, etsi liceat iure fori; sterilem coniugem relinquere, ut alia ducatur, nefas est; quod si quisquam fecerit, non lege huius seculi, ubi interveniente repudio sine crimine conceditur, sed lege Evangelii reus est adulterii.‘ Dicta haec SS. Patrum in alium, quam verba obvie ac naturaliter fundant, sensum detorquere frustra nituntur adversarii; c) ipsis Principibus, qui matrimonia contra prohibitionem Ecclesiae dissolvebant, resistendo, et in refractarios canonicis poenis animadvertendo, ut exempla Stephani IV Papae et Caroli Magni, Nicolai I Papae et Lotharii, Gregorii V Papae et Roberti, Alexandri I Papae et Henrici III, Urbani II Papae et Philippi I docent. Observatio

per nonnullos pro defensione legum divortialium adducta, quod leges hae a piis Imperatoribus, e consilio Epporum potissimum agere solitis editae, ac proin saltem tacite ab ipsamet Ecclesia probatae fuerint, nihil iuvat. Ex historia enim aeque ac ex ipso tenore legum divortialium clarum fit, leges has, licet a primis Imperatoribus Ecclesiae addictis perlatas magis ad profanorum Iureconsultorum placita exactas, quam e mutua cum Eppis consultatione conceptas, et citra positivum Ecclesiae influxum, e sic dicta plenitudine maiestatis civilis profectas, fere semper eo tempore in lucem prodiisse, dum dissidia inter Ecclesiam et Civitatem fervereut.

3. Quaeri adhuc posset: quidnam in collisione legum huiusmodi civilium cum doctrina Ecclesiae fidelibus Ecclesiae filiis agendum sit? Responsio nostra ad hanc quaestionem e praemissis prono fluit alveo: nimirum, quum Princeps Civilis, quin limites suae potestatis transiliat, fideles Ecclesiae ad agendum id, quod lex ecclesiastica vetat, cogere non possit, id autem, quod secundum Ecclesiae doctrinam in re religionis et morum licitum vel nefas est, sola Ecclesia determinare valeat: manifestum est, legibus civilibus divortialibus Catholicos minime obligari, et in casu coactionis inviolabiliter tenendam esse regulam, quam praeeunte Apostolorum oraculo magnae memoriae Pontifex Pius VII in Brevi ad Primatem Germaniae a. 1803 enunciavit: Iubeat, increpet, minetur laica potestas; obedire magis Deo oportet quam hominibus; sacerdos Dei Evangelium tenens et Christi praecepta custodiens occidi potest, vinci non potest.

II.

Monumenta pro potestate Ecclesiae.

1. E primis XV seculis.

A. ***Introductio.*** Quae in doctrinali introductione super hac quaestione proposuimus, manifestum reddunt, in Ecclesia numquam dubitatum fuisse de iure Ecclesiae in statuendis impedimentis matrimonium dirimentibus. Leges tum Summorum Pontificum, tum Conciliorum, tum traditio e SS. Patrum ac Doctorum Ecclesiae scriptis eruta, tum facta per Annales Ecclesiae relata et per nos in conspectu chronologico exhibita, totidem sunt Monumenta pro Ecclesiae potestate. In iis omnibus, ut iam adnotavimus, diserte provocatio fit ad mandata Domini ac Apostolorum, omniaque concurrunt adiuncta pro eo, ut appareat, Ecclesiam suo nomine ac iure edidisse leges ac statuta de matrimonio, in refractarios poenas canonicas decrevisse, et suis decretis omnes fideles, nulla facta inter Principes et subditos distinctione, obstrinxisse. Monumenta itaque haec repetere nolentes, ea duntaxat e decimo tertio, et subsequis seculis exhibebimus, quae vel diserte enunciant potestatem Ecclesiae, de qua sermo est, vel contraria argumenta refellunt, vel actus iurisdictionis Ecclesiae, signanter Summorum Pontificum in ipsos Principes viros exercitae exprimunt. Seligimus autem ex multis praecipua, ordine chronologico.

E Seculo XIII occurrit ante omnia *Gregorii IX* Papae litera ad Andream II Regem Hungariae de a. 1234, de pluribus abusibus civilis potestatis, ac inter hos usurpatae quoque per laicos viros auctoritatis circa causas matrimoniales Regem admonens. Negotium hoc iam AEppus Strigoniensis in debitum ordinem satagebat redigere: sed cum monita ipsius surdis exciperentur auribus, regnum Hungariae interdicto supposuit, et nonnullos Regis familiares excommunicavit. (*Mon.* 1.)

A. 1266. et sequenti *Clemens IV* Papa quatuor literis convenit Aragoniae Regem, ut legitimo ac valido matrimonio iunctam sibi uxorem porro retineret, et ab amplectenda illicita coniunctione abstineret. Epistolae Pontificiae monitis ad reducendnm Regem, adulterio sese maculantem, opportunis refertae, omni attentione dignae sunt. (*Mon.* 2—5.)

A. 1266. Statutum Synodale *Bremense* pronunciat: cognitionem causarum matrimonialium ad Dioecesanum Praesulem pertinere, tamquam Iudicem Ecclesiasticum, laicos vero, qui in causas has se intromiserint, per censuram ecclesiasticam compescendos decernit. (*Mon.* 6.)

A. 1268. Conc. *Londinense* coniugale foedus humanae potestati nequaquam snbiacere declarat. (*Mon.* 7.)

A. 1286. Conc. *Bituricense* cognitionem et definitionem causarnm matrimonialinm iudicibus ecclesiasticis adscribit. (*Mon.* 8.)

A. 1287. Conc. *Exoniense* ecclesiae iudicio approbandum vel reprobandum esse contractum, et sine ipsius auctoritate matrimonia non ineunda decrevit. (*Mon.* 9.)

E Seculo XIV occurrit Conc. *Eboracense* anni 1367, quod perstringit abusum nonnullorum ecclesiasticorum, causarum matrimonialium cognitionem personis imperitis, quin et laicis committentium. (*Mon.* 10.)

A. 1368. Conc. *Vaurense* causas Matrimoniales ad forum Epporum pertinere clare enunciat. (*Mon.* 11.)

E Seculo XV Conc. *Herbipolense* a. 1407 de foro competente pro causis diiudicandis agens, matrimoniales causas ad forum ecclesiasticum spectare, et per Iudicem Ecclesiasticum terminari debere edicit. (*Mon.* 12.)

A. 1440. Conc. *Frisingense* matrimonia contra leges Ecclesiae ineuntes ad prosequendum ius suum coram Iudice Ecclesiastico stringit. (*Mon.* 13.)

A. 1455. decretum AEppi *Cantuariensis* contra occulta coniugia editum, unice de iudicio Ecclesiae sermonem facit, iuxta quod de talibus matrimoniis sententia dicenda sit. (*Mon.* 14)

B. *Monumenta.* **Mon. 1.**

Gregorius IX PP. Andream 2. Hungariae Regem monet super abusibus potestatis civilis in rebus ecclesiasticis, inter alia causarum matrimonialium cognitionem ad tribunal Ecclesiae pertinere ostendens.
A. 1234.

Quanto personam tuam inter Reges Catholicos et Principes Christianos sincerioris affectionis brachiis amplexamur: tanto amplius de tua salute solliciti et ad honorem tuum ferventius aspiramus, et quo universalis Ecclesiae sollicitudo principalius nobis incumbit, eo de honestate ipsius tenemur sollicitius cogitare, ne vel per iniuriam vel negligentiam nostram, quod absit, notam alicuius detractionis incurrat, quae non debet habere maculam neque rugam. Olim siquidem Ven. frater AEppus Strigoniensis intellectis quibusdam enormibus abusionibus, seu enormitatibus abusivis, quae in Regno Ungariae tunc fiebant, videlicet quod propter oppressionem pauperum Christianorum, ac Saracenorum et Iudaeorum in Christi fidelibus dominatum multi Christianorum oneribus insupportabilium exactionum gravati, videntes Saracenos melioris conditionis et maioris libertatis praerogativa gaudere, sponte se transferebant ad eos, et ritus suscipientes eorum, ut pari cum eis libertate gauderent, non solum per errorem Christiani Saracenorum et Saraceni Christianorum mulieribus miscebantur, verum etiam ducebant eas damnabiliter in uxores; —— libertas etiam ecclesiastica in regno ipso subversa erat adeo et eversa, quod laici non solum ecclesiarum hominibus, sed etiam ipsis ecclesiis et personis ecclesiasticis collectas et datias imponebant, compulsis clericis respondere sub examine iudicis secularis; possessiones denique ac reditus, quos ex donatione Regum a longis retroactis temporibus possederant, sine lite praedictis Ecclesiis laici contra iustitiam auferebant, ac occasione immensarum donationum, quas de novo fecisse Regalis Celsitudo quibusdam nobilibus dicebatur, Ecclesiae non modi-

cum gravabantur; et cum causae matrimoniales ad examen secularis iudicis perferrentur, per secularem iudicem frequenter contingobat matrimonia separari; et quia Regalis Excellentia tua diligenter ab eodem AEppo monita praemissa, prout ad eam pertinet, noluit emendari, cum posset, Regnum Hungariae supposuit ecclesiastico interdicto, et in quosdam familiares tuos excommunicationis sententiam promulgavit. Et licet recepta a te iuratoria cautione, quod et pro quibus latao fuerant sententiae supradictae emendari faceres ante festum S. Stephani proxime tunc venturum, alioquin de assensu tuo ipsae sententiae, sicut prius, ferrentur in regnum, easdem obtinueris relaxari; nihil tamen exinde facere voluisti; quumque postmodum te per literas et solennes nuncios instanter petente propter hoc et alia, quae in eodem regno limam correctionis apostolicae requirebant, legatum in Ungariam de nostro latere destinari, dilectum filium nostrum Praenestinum electum, amicum Dei, virum utique secundum cor nostrum, morum honestate conspicuum, praeditum scientia literarum, et providentia circumspectum, ad partes Ungariae commisso sibi legationis plenae officio providerimus destinandum, et ipse secundum datam sibi a Deo prudentiam te ad emendanda praedicta, postquam ei non tam manifesta quam notoria exstiterunt, salubribus monitis et crebris exhortationibus inducere studuisset: apud Regiam Celsitudinem, de quo miramur non modicum, et turbamur, iuxta suum et nostrum desiderium non profecit, prout tam ipsius Legati literis, quam alias nostro fuit Apostolatui nuper reseratum. Quia vero apud Nos esse non debet acceptio porsonarum, ut aliter Principibus et potentibus, et aliter abiectis et humilibus iudicemus, ne sit in manibus nostris mensura iniqua et statera dolosa, ut aliter illis et istis aliter metiamur, quoniam secundum Prophetam, vae qui dicunt bonum malum, et malum bonum, ponentes tenebras lucem, et lucem tenebras; cum si etiam personarum acceptores essemus, in illis deberemus personas accipere, quae salutem earum parerent, non periculum generarent, eos corrigentes severius quos tenerius amaremus, quoniam qui parcit virgao, odit filium iuxta testimonium Sapientis, et Deus quem diligit, legitur castigare: Serenita-

tem tuam rogamus, monemus, et hortamur in Domino, ac in remissionem tibi iniungimus peccatorum, quatenus eiusdem Legati in his et aliis, quae salutem tuam respiciunt, consiliis et monitionibus humiliter acquiescens, praedicta omnia sine difficultate qualibet taliter facias emendari, quod divinam offensam evites, quin potius laudem ab hominibus et proemium a Deo assequaris. Alioquin ne tibi, quem de corde puro, conscientia bona, et fide non ficta diligimus, simus perditionis occasio, et nobis etiam causa mortis, sed periculum nostrum tuamque peruiciem et Ecclesiae infamiam, cum toties ipsi legato frivolis occasionibus per diversos illusum sit terminos, evitemus, sententias, quas idem tulerit in rebelles, ratas habebimus, et faciemus auctore Deo inviolabiliter observari. Tu vero, fili carissime, prudenter provideas, ne in illius difficultatis articulum te inducas, de quo de facili exire non possis. Datum Anagniae, secundo idus Augusti Pontif. nostri anno septimo. (1234.) — *Fejér Codex Dipl. Hung.* III. 2. p. 366.

Mon. 2—5.

Clementis IV Papae monita ad Regem Aragoniae in negotio matrimonii, a. 1266. 1267.

2. *Epistola I.* Quanto personam tuam affectu sinceriore diligimus, tanto familiarius te corripimus, illius sententiae memores, qua monstratur patrem diligere filium, quem salubriter corripit, et odire convincitur vice versa, qui corripiendo dissimulans parcit virgae. Sane cum inter alios mundi principes, quos literalis scientia non instruxit, te Dominus excellenter ingenio naturali dotaverit, et experientia multa didiceris, et libenter audieris sapientum sententias, et tenaci memoriae commendaveris : miramur plurimum„ qua licentia, quo instinctu nobis *petitionem* obtuleris *Deo contrariam, abominabilem angelis, et hominibus monstruosam. Non enim credere debuisti, quod verum matrimonium vellemus dissolvere, et coniunctionis illicitae pollui participio ex consensu.* Scire quidem ab olim te credimus, quod cum nobilem mulierem

Theresiam per verba de futuro, prout tua litera continet, desponsasti, licet verum non fuerit matrimonium, sic tamen initiatum extitit, ut verum et consummatum fieret carnali copula subsequuta. Quos ergo Deus coniunxit, Dei Vicarius quomodo separaret? Absit a nobis hoc scelus, ut leges Domini violemus, et ut hominibus placeamus, Creatorem et Redemtorem hominum offendamus. Quodsi inter te et ipsam matrimonium nullum esset, istam, quam superinducere tibi placuit, aut in uxorem aut in pellicem elegisti, si uxorem habere volebas, quam spuriam confiteris, et hanc in tua gloria ponere maculam minime verebaris, numquam credere debuisti, quod ad tui culminis tam vile quam ignobile praecipitium impenderemus suffragium dispensando. Quodsi tibi concubinatum ipsius elegeras, nec colorem habuit nec saporem regia postulatio, cum sperare non debeas auctorem fieri turpitudinis Iesu Christi Vicarium, omnia turpia detestantem. Si quaeris forsitan, quid tibi faciendum incumbat, cum sine corporis tui periculo primae cohabitare non possis, satis est in promtu responsio. Sustine manum Domini. Quod fortuitus casus induxit, culpae non imputes patientis. An credis, quod si omnes reginae per mundi climata constitutae leprosae fierent, daremus Regibus ob hanc causam licentiam cum aliis mulieribus contrahendi? Scias pro certo quod omnes et singuli paterentur repulsam, etiamsi domus regiae nulla prole superstite in radice prorsus arescerent, et in ramis. Eapropter, fili carissime, Dominum habens prae oculis, et illum benignissimum Regem Franciae, cum quo tuam amicitiam copulasti, tibi statuens in exemplum, vide quantum in diebus tuis processeris, vide beneficia, quae de manu Altissimi recepisti, vide crucem, quam tuis humeris affixisti, vide bellorum discrimina, quibus te multum animose committis, et ne addas incestui adulterium, cum ex hoc et bona quae agis tibi reddas sterilia, et iram Domini in die iudicii thesaurises. Nec te dicas continere non posse. Nam dudum peremta est haec querela. Quomodo enim iustus et rectus Dominus indiceret omnibus ab illicito coitu continentiam, si vel unus posset obiicere praeceptum impossibile non debere servari? Sed mos est omnium peccatorum, sicut dicit beatus Hierony-

mus, ut ad sui excusationem erroris *non posse* ponant in causa, cum sit *nolle* tantum in culpa. Iuste igitur tuum in hac parte desiderium nolumus implere contra Deum, qui in licitis et honestis, cum necessitas vel utilitas exigit, nos tibi reddimus favorabiles et benignos. Datum Perusii 13 Cal. Mart. 1266.

3. *Epistola II.* Datam tibi de coelo victoriam, quam tuis literis et tui destinatione vexilli nostris et fratrum nostrorum auribus simul et oculis iniecisti, cum multa cordis exultatione recepimus, et ei, qui bella conterit et cornua peccatorum confregit, grates debitas exolventes, qui te suae militiae magistrum eligens, inimicos fidei christianae olim in tuis frontariis tua manu pessumdans, nunc in terris etiam alienis Murciam famosam satis inter alias civitatem tua cura, tua industria, tuo studio, tua potestate perdomuit, et ad carissimi in Christo filii nostri illustris Regis Castellae dominium, a quo praesumta recesserat rebellione, reduxit. Sane quanto victoriosior existis in proeliis, tanto humilior debes esse in ceteris, ut divino nomini soli debitam gloriam tibi non adscribas: quamquam in hac re gloriae propriae non deceat zelatorem, ut tecum pugnantem Dominum non impugnes, et qui hostes exteriores superas, ab interioribus minime supereris. Quid enim prodest Reges in campo prosternere, et ab ancilla vel servo in domo viliter subiugari? Haec scribimus, fili carissime, quia, quod aegre ferimus, tantorum victor hostium, a propria carne sic vinceris, ut divino timore postposito illicitam tibi copulam non tuae statuens mulieris, cum multorum scandalo circumducas adulteram, et incestu cumulans adulterium graviter oculos divinae maiestatis offendas. O quantam in tua gloria ponis maculam! O quantum sangvini tuo detrahis! quantum honori derogas regiae maiestatis! quanto te demum exponis discrimini vivens sub sorte misera, captivatus a muliercula, et velut bos ductus ad victimam trahi ad inferos te permittis! Quid tibi proderunt tuae victoriae? quid triumphi? quid sangvis regius? quid potestas, si velut iumentum in terra foecibus computrescas? Scito, quaesumus, et considera, quoniam advesperascit, et inclinata est a modo tibi dies, currisque cum ceteris ad finem

inevitabilem, quem praefinivit Dominus omni carni. Nec te decet extrema polluere vitae tuae, quam nisi exitus honoraverit impollutus, ad regnum attingere numquam poteris, in quo nihil coinquinatum incurrit. Quocirca obtentu veteris amicitiae, et paternae compassionis affectu Serenitatem Regiam monendam duximus et hortandam, quatenus ad cor rediens te ipsum contra faciem tuam statuas, et quod inconsulte fecisti, consilio revocans saniori mulierem moecham abiicias, imo nequam, ut tam salubriter quam pudice in bono compleas dies tuos, et de regno quod obtines temporali ad regni gloriam venias sempiterni. Datum Viterbii 3 Non. Iul. 1266.

4. *Epistola III.* Tuae Serenitatis literas recepimus inter alia continentes, quod ad transfretandum in Terrae Sanctae subsidium pro vindicanda Crucifixi iniuria te disponere proponebas; quod licet cum gaudio receperimus, scire tamen te volumus, quod illius obsequium Crucifixus non recipit, qui incestuoso contubernio se commaculans, in se ipsum iterum crucifigit. Ideo Serenitatem tuam, sicut alias, sic et nunc iterato familiariter rogamus, monemus, et hortamur attente, quatenus nobilem feminam Berengariam, quam in carnale commercium non absque nota incestus et salutis tuae discrimine admisisti, a te prorsus abiicias, nec ei ulterius copula commiscearis carnali. Alias enim complacere non poteris Crucifixo, nec iniurias eius redimere, si ab eius iniuriis ipse nolueris abstinere. Insuper autem scire te volumus, nisi nostris monitis acquieveris, nos te ad dimittendam eandem per censuram ecclesiasticam compulsuros. Datum Viterbii 17 Cal. Febr. 1267.

5. *Epistola IV.* Qui recte diligit, sic ad amicum afficitur, ut eum diligat, et eius vitia persequatur; nec amicitiae certius est indicium, quam persequi in amico quae ipsius corpus et animam trahunt ad exterminium sempiternum. Numquid ergo tuae magnificentiae nostram subtrahimus gratiam, si peccatum tuum arguimus, quod contra Deum inverecunde committens ob iniuriam Creatoris poenis sempiternis obnoxius, tuam nihilominus exeris et propalas infamiam toti mundo? Non est hoc, fili carissime, subtrahere gratiam, sed augere:

quem enim filium pater diligit, hunc castigat, e contrario parcens virgae pater filium odisse comprobatur. Sane quod ad circumspiciendas remotas et finitimas regiones et earum principes nos transmittis, in quibus dicis fieri quae non facis, male nostrum pacavit animum, cum aliquantulum in hac parte Pharisaei sententiam videaris amplexus, qui seipsum non sicut ceteros hominum esse iactans iustificare se voluit alios contemnendo, cui tamen Dominus praetulit publicanum seipsum accusantem humiliter et alios non mordentem. Numquid aeger si prudens fuerit, dicet medico, cur me curas? quid ad tot infirmorum alibi laborantium medicinale studium non exerces? Nonne rectius ei dicet, gratias ago tibi, qui multis aegrotantibus curam mei specialem assumis? Scis autem quod licet a te incoepisse nos credas, iam ad plurimos misimus manum nostram principes et praelatos, quibus parcere non intendimus, ne silentio tam damnabili quam damnoso eorum vitiis involvamur. Sed quid addis? Confiteris, in quo iaces, peccatum, sed procuras amotionem obstaculi, dum probare proponis te, antequam cum nobili muliere Theresia convenisses, eiusdem consangvineam in gradu tertio convenisse. Vide, fili, ne testes habeas, quales bonae memoriae comes Tolosanus produxit, ut a tua valeret amicitia separari. Quod si forte praesumseris, in laqueum inaestimabilem te involves, et si testes legitimi fuerint, excusabitur aliquatenus adulterium, et remanebit incestus. Adhuc adiicis, quod peccatum tuum potest per poenitentiam dilui: quod concedimus moecha dimissa; sed quid facies interim semper servus manens diaboli, nullum habens cum Christo commercium, a sacramento corporis et sangvinis alienus? quis certitudinem tibi dedit, ut possis cum volueris confiteri? Eia, fili carissime, non tardes converti ad Dominum, et mulierem relinquere, quam in Dei contemtum ad tuum contubernium admisisti. Alioquin scire te volumus, quod quanto sincerius te diligimus, tanto minus in salutis tuae dispendium tuae magnificentiae blandiemur. Datum Viterbii 5 Idus Febr. 1267. — *Martene thesaurus Anecdotorum novus.* II. 277. 362. 440. 448.

Mon. 6.

Statutum synodale Bremense. 1266.

Cum Matrimonii Sacramentum non sit incontinentiae praecipitium, sed potius remedium contra illud, non absque dolore cordis audivimus quosdam in hac Provincia sic a suae carnis voluptate, vel terrena cupiditate deceptos, quod in gradu prohibito de facto temere contrahentes, quod non tam Matrimonium, quam contubernium censeri dicitur, se incestuosae luxuriae vilitati immergere, et Sacramentum Matrimonii, quantum in ipsis est, polluere non verentur. Nos itaque tantum excessum conniventibus oculis pertransire non valentes, sub poena excommunicationis districtius prohibemus, ne absque dispensatione Sedis Apostolicae tale de caetero Matrimonium seu contubernium contrahatur. Alioquin sacerdotes, qui tales coniunxerint, a sacerdotali officio se noverint esse suspensos. Illi vero, qui scientes sic permiserint se coniungi, ipso facto ab ingressu Ecclesiae suspendantur, sub eadem poena, qua illis, qui iam absque dispensatione Sedis Apostolicae tale Matrimonium contraxerunt, districte praecipimus, ut a cohabitatione invicem abstinentes *Dioecesano suo, seu alii Praelato, ad quem de iure vel consuetudine pertinere dignoscitur talium causarum cognitio*, rei veritatem insinuare non tardent, convocatis, qui fuerint evocandi, et causa diligenter examinata, quod canonicum fuerit, statuat, faciens quod decrevit per censuram ecclesiasticam inviolabiliter observari. *Episcopi* vero, *seu alii Praelati de causis matrimonialibus cognoscentes* omnino caveant, ne cupiditate devicti, non solum dirimenda non dirimant, verum etiam separanda redintegrare, praetextu pecuniae et alterius commodi, non praesumant. Si quis autem contra hoc venire praesumserit interdictum, eo ipso se noverit officio beneficioque privatum. *Laici vero, qui de poenis inferendis personis coniunctis in causa matrimoniali, seu accusatoribus se intromiserint, cum ad ipsos non pertineant, sed ad iudicem Ecclesiasticum, coram quo negotium ventilatur, per censuram Ecclesiasticam compescantur*, cum ex hoc multi ab accusatione Matrimonii retrahantur. — ***Mansi** ampliss. Concil. coll.* XXIII. 1158.

Mon. 7.

Conc. Londinense, a. 1268.

Cap. 14. Coniugale foedus ab ipso Domino institutum, sicut potestati humanae non subiacet, ita nullius temerario patere debet occursui, quominus in conspectu hominum solemnitatem accipiat, per quam prout expedit, omnibus innotescat. Quapropter districtius inhibemus, ne quis matrimonia contracta legitime, quominus in facie ecclesiae solemnisentur, impedire praesumat. Episcopi vero, quorum interest sacra tueri, punire condigue studeant huiusmodi praesumtores. — *Harduini Concilia.* VII. 626.

Mon. 8.

C. Bituricense, a. 1286.

Cap. 1. — Statuimus, quod iudices ecclesiastici, ad quos spectat cognitio et definitio causarum matrimonialium, in corrigendis et dirimendis matrimoniis cum omni maturitate et consilio peritorum procedant; et quod matrimonia illicite contracta timore vel amore nullatenus sustineant, sed ad illa separanda omni dilatione et excusatione exclusa procedant; capellani autem parochiales matrimonia, quae in suis parochiis illicite contracta cognoverint, studeant Dioecesanis aut eorum Officialibus quam citius commode potuerint intimare; quod nisi fecerint, superiorum suorum arbitrio graviter puniantur. — *Harduini Concilia.* VII. 951.

Mon. 9.

C. Exoniense, a. 1287.

Cap. 7. — Praesentis synodi auctoritate statuimus, ut nullum matrimonium, nulla sponsalia, nisi in praesentia rectoris ecclesiae seu sacerdotis parochialis et trium fidedignorum in posterum contrahantur: qui si super forma et modo contractus lis inter contrahentes oriri contigerit, vale-

ant super hoc veritati testimonium perhibere. — Ex quo manifeste liquet, quod sine auctoritate ecclesiae, cuius iudicio approbandus vel reprobandus est contractus, non sunt matrimonia contrahenda. — *H a r d u i n i Concilia.* VII. 1081.

M o n. 10.

C. Eboracense, a. 1367.

Cap. 8. Quia nonnulli archidiaconi, decani, abbates, et alii viri ecclesiastici, iurisdictionem ecclesiasticam et cognitionem causarum matrimonialium se habere praetendentes, causas matrimoniales, quae inter ceteras causas per discretos iudices diligentius tractari deberent et maturius terminari, personis simplicibus et imperitis examinandas et diffiniendas modernis temporibus indistincte, contra canonicas sanctiones et sanctorum patrum instituta committere non verentur, huiusmodique personas insufficientes, et quandoque laicos in officiales, commissarios seu custodes cum potestate de huiusmodi causis matr. cognoscendi praeficere praesumunt in animarum suarum grave periculum et reipublicae praeiudicium, ipsique officiales seu custodes deputati personis aliis insufficientibus et imperitis, interveniente nonnumquam notabili pecuniae quantitate, ad cognoscendum inter certas personas de causis matrim. et easdem terminandum, committunt indebite vices suas, ut sic tam officiales quam custodes per se et suos — commissarios in et de causis matr. et divortii nedum cognoscere, sed etiam sententias iniustas et multipliciter indiscretas, quas diffinitivas sententias asserunt, praesumant promulgare, ex quibus nedum gravia scandala sed etiam plurima in dies provenire pericula animarum comperimus : nos — volentes huiusmodi scandalis viam praecludere, et in quantum cum Deo possumus periculis obviare, ss. patrum vestigiis inhaerentes et sacris canonibus, universis et singulis archidiaconis, decanis etc. interdicimus et firmiter inhibemus, ne ipsi — aliquos in officiales seu custodes huiusmodi cum potestate de causis matr. vel divortii quoad foedus cognoscendi praeficere vel deputare, seu eis vices suas in hac parte committere

praesumant, — sed publice in capitulis pronuncient, quod duxerint statuendum. — *Harduini Conc.* VII. 1790.

Mon. 11.

C. Vaurense, a. 1368.

Cap. 27. Ut animarum periculum evitetur, statuimus, ut nullus nostrum — causas matrimoniales ad forum nostrum spectantes sub generali vel speciali commissione audiri vel decidi permittat, nisi per illos, qui statuta canonum non ignorent, et peritiam habeant iudicandi, in civitatibus vel locis insignibus, ubi haberi potest copia peritorum, alias processus sit irritus et inanis. Per hoc tamen receptionem testium extra loca praedicta, ubi oportuerit, non intendimus prohibere. — *Harduini Conc.* VII. 1818.

Mon. 12.

C. Herbipolense, a. 1407.

Cap. XI. De Foro competenti. Quoniam — dubitationes insurgunt, quae causae ad ecclesiasticum forum debeant pertinere, nonnullos casus eiusmodi praesenti duximus annotandos sanctioni, ne Iudices tam ecclesiastici quam seculares per ipsorum ignorantiam se valeant excusare. Inprimis videlicet — omnes causae — matrimonii, dotis etc. — debent a Iudice Eccl. terminari. — *Himmelstein Synodicon Herbipolense.* p. 218.

Mon. 13.

C. Frisingense, a. 1440.

Cap. 19. Statuimus et praecipimus universis Christifidelibus nostrae dioecesis, utriusque sexus, ne quisquam eorum clandestinis desponsationibus aut occultis matrimoniis intersit. Praecipimus insuper in virtute sanctae obedientiae uni-

versis ecclesiarum plebanis, quod, postquam ipsis constiterit pro certo vel probabili fama, aliquos clandestine contraxisse, ipsos statim ad publicandum in facie ecclesiae, aut iura sua prosequendum coram ecclesiastico iudico per subtractionem sacramentorum, extra tamen necessitatis articulum, cogere non postponant. — *Harduini Conc.* IX. 1287.

Mon. 14.

Decretum AEppi Cantuariensis, a. 1455.

Thomas etc. Licet S. Mater Ecclesia solum de manifestis et notoriis iudicet, non de occultis, quae divino iudicio sunt relinquenda, qui solus scrutator cordium et cogitationum iudex existit; ac iniuriam Deo faciat, qui iudicat de occultis huiusmodi, quia si singula, scilicet notoria et occulta, hic forent punienda, divina iudicia locum non haberent, quod dicere aut sentire nefas existit. Hinc est, quod pie statuit S. Mater Ecclesia, — quod contrahentes matrimonium vel fidem dantes matrimonio contrahendo, secum duos testes aut plures praesentes habeant, per quos matr. huiusmodi probari possit, si per aliquam partium contingat id expost denegari. Ex querela tamen multorum notorietateque facti ac experientia negotiorum ad nostrum pluries pervenit auditum, — quod matrimonium occulte aut clandestine contractum esse contingat, quod etsi ob defectum et inopiam probationum contra negantem in iudicio militantis ecclesiae subsistere nequeat, apud tamen ecclesiam triumphantem, quae nec fallit nec fallitur, verum licet occultum matrimonium nihilominus existit; qua de re multoties ac frequenter evenit, quod una pars contrahentium, interdum utraque ad secunda convolat vota, adulterium committendo, filios spurios et adulterinos generando; sic non suis parentibus in haereditate filii illegitimi succedunt, sicque successoria edicta nequissime pervertuntur, ac etiam plura ac gravia animarum pericula ob defectum probationum contra negantes in hac parte necessario generantur. Quocirca vobis — committimus et mandamus, ut iniungatis viris et mulieribus, ne mutuo fidem dent de matr. contra-

hendo, aut matr. quoquomodo contrahant, nisi in praesentia duorum aut trium testium idoneorum, per quos matr. huiusmodi, si quando inimico homine procurante id per aliquem contrahentium denegari contingat, luculenter probari possit. — Datum 25 Maii 1455. — *Harduini* *Conc.* IX. 1379.

2. Monumenta e Sec. XVI.

A. ***Introductio.*** Quamvis iam Sec. XIV potestas Ecclesiae matrimonialis per Ludovicum IV Bavarum Caesarem impugnata fuerit, stricte tamen loquendo primum inde a sic dicta Reformatione Sec. XVI validius ipsa oppugnari coepit tum per doctrinam Reformatorum, tum per Principes eius castra amplexos. Synodi nihilominus huius Seculi tam ante Concilium Tridentinum, quam post hoc habitae, et hae posteriores, praeeunte ipso Oecumenico Tridentino, doctrinam et ius Ecclesiae egregie vindicarunt. Decretis Synodalibus praemittimus ex Sec. XVI memorabilem sententiam, quam de matrimonio Henrici VIII Angliae Regis pronunciavit Clemens VII Papa.

Anno nimirum 1534 definitivam pronunciavit sententiam *Clemens VII* super valore matrimonii inter Henricum 8 Regem Angliae, et Catharinam Regis Hispaniae filiam, erga appellationem, quam Catharina a Legatis S. Sedis in Anglia ad Summum Pontificem interposuit. Subnectimus una fragmentum *defensionis* anonymae pro praedicta sententia contra exceptiones Henrici Regis. Defensio praeprimis tuetur ius Papae adversus plures Regis obiectiones. (*Mon.* 15. 16.)

A. 1542 in Constitutionibus Eppi *Veronensis* Matthaei Giberti ius cognoscendi matrimoniales causas Vicario Eppali reservatur. (*Mon.* 17.)

A. 1549. Conc. *Coloniense II* discussionem quaestionum de matrimonio ad solius Ecclesiae iudicium pertinere decernit ex eo, quod matrimonium non sit civilis quidam contractus, sed qua Sacramentum in thesauris Ecclesiae numeretur. (*Mon.* 18.)

Eodem anno C. *Moguntinum* adversus abusum iudicum secularium, causas matrimoniales cognoscentium, decernit: ab iniusta hac ecclesiasticae libertatis imminutione et oppressione desistendum, Ecclesiam suae libertati restituendam, et iudices seculares, qui causas praedictas in posterum iudicandas sumserint, poena excommunicationis plectendos. (*Mon.* 19.)

A. 1550. C. *Cameracense* diserte enunciat: causas matrimoniales cum suis annexis de iure et consvetudine ad solum Eppum eiusque Vicarios qua Iudices Ordinarios pertinere, ac proin notarios publicos et alios quoscunque in cognitionem dictarum causarum sese immittentes censura eccles. plectendos venire. (*Mon.* 20.)

A. 1552. *Ferdinandus I* Imperator et Rex Hungariae per Rescriptum Regium monuit Ruthenos circa Munkács degentes, ne praesumerent divortia proprio nutu facere, indignum esse declarans, profanos homines sese in auctoritatem eccles. quovis modo miscere causasque, quae ad spirituale forum spectant, per se ipsos cognoscere. (*Mon.* 21.)

A. 1563. Sacrum Oec. C. *Tridentinum* ius Ecclesiae circa rem matrimonii omni ex obtutu clare et perspicue definivit. In *doctrina* de Matrimonio, postquam praemisit, matrimonium in Lege Nova a Christo Domino Sacramenti dignitate auctum esse, proscribit praecipuos haereticorum errores, signanter de potestate Ecclesiae, sub poena anathematis decernendo: Ecclesiam posse in nonnullis eorum impedimentorum dirimentium, quae Levitico exprimuntur, dispensare, et constituere, ut plures gradus impediant ac dirimant; Ecclesiam potuisse statuere impedimenta matr. dirimentia, et in iis constituendis minime errasse; causas matrimoniales ad Iudices Ecclesiasticos spectare. In *Decreto* autem *de reform. matr.* identidem enunciat Ecclesiae potestatem irritandi matrimonia, et seculares magistratus hortatur, ut legibus Ecclesiae circa matrimonium effectum sua etiam cooperatione procurent, atque libertatem contrahendi matrimonia subditorum nulla ratione violent. (*Mon.* 22. 23.)

Concilia Provincialia post S. Synodum Tridentinam celebrata sanctiones Oecumenicas promtissime amplexa sunt,

et potestatem Ecclesiae sua quoque ex parte decretis firmarunt. Signanter a. 1565. C. *Cameracense* (*Mon.* 24.); — a. 1567. C. *Augustanum II.* (*Mon.* 25.); — a. 1569. C. *Salisburgense* (*Mon.* 26.); — a. 1573. Statutum Synodale *Bisuntinum* (*Mon.* 27.); — a. 1579. C. *Mediolanense V*, municipales leges sacramento matr. et libertati eiusdem contrarias rescindens ac irritans (*Mon.* 28.); — a. 1583. *Recessus Monacensis* Concordatorum cum Ordinariis Bavariae, causas matrimoniales foro ecclesiastico deputans (*Mon.* 29.); — eodem anno C. *Turonense* (*Mon.* 30); — a. 1585. C. *Mexicanum* contra abusum iudicum et notariorum publicorum, coniuges propria auctoritate ab invicem separantium (*Mon.* 31.); — a. 1593. Syn. dioec. *Tridentina.* (*Mon.* 32.)

B. *Monumenta.* **Mon. 15.**

Clemens VII Papa definitivam pronunciat sententiam super valore matrimonii inter Henricum VIII Regem Angliae et Catharinam Regis Hispaniae filiam. 1534.

Christi nomine invocato, in throno iustitiae pro tribunali sedentes, et solum Deum prae oculis habentes, per hanc nostram definitivam sententiam, quam de ven. fr. nostr. S. R. E. Cardinalium consistorialiter coram nobis congregatorum consilio et assensu ferimus in his scriptis, pronunciamus, decernimus, et declaramus in causa et causis ad nos et Sedem Apostolicam per appellationem, per cariss. in Chr. filiam Catharinam Angliae Reginam illustrem a nostris et Sedis Apost. Legatis in Regno Angliae deputatis interpositam, legitime devolutis, et advocatis, inter praedictam Catharinam Reginam et cariss. in Chr. filium Henricum VIII Angliae Regem illustrem super validitate matrimonii inter eosdem Reges contracti et consummati, rebusque aliis in actis causae et causarum huiusmodi latius deductis, et dil. filio Paulo Capisutio, causarum S. Pallatii tunc Decano, et propter ipsius Pauli absentiam ven. fr. nostro Iacobo Simonetae Eppo Pisauriensi, unius ex dicti Pallatii causarum

auditoribus locum tenenti audiendis, instruendis, et in Consistorio nostro secreto referendis commissis, et per eos nobis et eisdem Cardinalibus relatis, et mature discussis, coram nobis pendentibus, matrimonium inter praedictos Catharinam et Henricum Angliae Reges contractum, et inde sequuta quaecunque, fuisse et esse validum et canonicum, validaque et canonica, suosque debitos debuisse et debere sortiri effectus, prolemque exinde susceptam et suscipiendam fuisse et fore legitimam; et praefatum Henricum Angliae Regem teneri et obligatum fuisse et fore ad cohabitandum cum dicta Catharina Regina, eiusque legitima coniuge, illamque maritali affectione et regio honore tractandam; et eundem Henricum Angliae Regem ad praemissa omnia et singula cum effectu adimplenda condemnandum, omnibusque iuris remediis cogendum et compellendum fore: prout condemnamus cogimus, et compellimus; molestationesque et denegationes per eundem Henricum Regem eidem Catharinae super invaliditate, ac foedere dicti matrimonii quomodolibet factas et praestitas, fuisse et esse illicitas et iniustas, et eidem Henrico Regi super illis ac validitate matrimonii huiusmodi perpetuum silentium imponendum fore, et imponimus; eundemque Henricum Angliae Regem in expensis in huiusmodi causa pro parte dictae Catharinae Reginae coram nobis et dictis omnibus legitime factis condemnandum fore, et condemnamus; quarum expensarum taxationem nobis in posterum reservamus. Ita pronunciavimus. Romae die 23 Martii 1534.

Mon. 16.

Fragmentum defensionis anonymae pro praemissa sententia contra exceptiones Henrici VIII Angliae Regis.

Existimare SS. Dominum Nostrum: Regis literas alieno consilio et ope acerbius scriptas, quam Rex alioquin prudens et pius mandaverit; eapropter paterno quodam affectu in meliorem partem interpretari expostulationes, criminationes, interdum etiam minas, quae in ipsis literis continentur; quibus omis-

sis ad alia esse respondendum, quae magis necessaria videbuntur. — Non sprevisse Pontificem literas, preces et intercessiones tam ipsius Regis Angliae, quam Regis Christianissimi, et Procerum populorumque Regni Angliae, sed respondisse antehac omnibus, et ea scripsisse, quibus lectis, si modo recte aestimare omnia velint, merito aequiescere debuerunt. — Quod non ita pro nutu, consilio et arbitratu Caesaris omnia faciat Pontifex, quemadmodum Rex parum aeque criminatur, argumento esse continuas Caesaris et Reginae querelas de Pontifice tam ante confoederationem, quam postea factas, et ex iis, quae sequuntur, facile constare posse. Nam quum Rex Angliae dispersis per Italiam et provincias oratoribus tum manifestis tum clandestinis, nulla non ope procuraret diversorum doctorum et scholasticorum sententias in unum congerere in re tanti momenti, et cuius iudicium ad solum Pontificem et Sedem Apost. spectat, et illi in maximum dedecus et iniuriam Suae Sanctitatis nullo non astu et prece et pretio subscriptiones aliquorum magistrorum extorquerent (quod multorum fidedignissimis testimoniis et relationibus constat): Pontifex non solum in eos magistros non animadvertit, quod iure optimo facere potuisset, verum etiam reclamantibus et maxime conquerentibus Caesaris oratoribus Sua Sanctitas Breve Regis oratoribus concessit, quo liceret magistris et doctoribus ubicunque sententiam in hac re iuxta animi conscientiam dicere. Quorum plerique quid senserint, et quibus viis se ad Regis voluntatem accomodaverint, aliud fortasse erit discutiendi tempus. — Praeterea post Reginae interpositam appellationem, et iustissimam inhibitionem a Pontifice factam Legatis, ne ulterius procederent in tam gravi causa, quum et Caesar Bononiae multis etiam expostulationibus, et Reginae eiusdemque Caesaris Oratores, ut Romae procederetur in causa, peterent, nullusque Regis nomine compareret: unde merito tamquam in contumacem sententia ferenda videbatur: Pontifex diversis interpositis dilationibus hucusque negotium indecisum produci iussit, nihil motus, quod Rex interim nulla habita Pontificiae dignitatis et officii ratione ita omnia clam praepararet, ut si iudicium postea in Anglia committeretur, istis magistrorum fri-

volis et non authenticis, neque iuridicis subscriptionibus quam vellet sententiam reportaret. Haec autem omnia fecit Summus Pontifex nullam aliam ob causam, neque ad ullius preces et gratiam, nisi quia Sua Sanctitas non censebat rem tanti ponderis esse praecipitandam, et sperabat divino auxilio et temporis beneficio maturatis affectibus posse eam ad aliquem bonum finem perduci; quod melius et sincerius Sanctitas Sua iudicare potuit, quam partes ipsae, quarum iudicium privatus affectus praestringere et obscurare consvevit. — Quod queritur Rex, Pontificem, quos miserat in Angliam hac de causa Legatos, non recte, re non illic decisa, revocasse, fatetur id fecisse Pontifex et iure, quia peculiare est hoc Sedis Apostolicae, ubi arduis de causis controversia ulla in provinciis orta esset, legatos illuc mittere, qui si controversiam vel pacate proponere, vel etiam iuridice decidere non ita pro reet loco possint, quidquid in causa perceperint, ad Summum Pontificem referant, id idem Sua Sanctitas Card. Campegio Legato mandavit, quod et factum est, et fieri debuit, et in S. Conciliis cautum est. — Quod item obiicit Rex et toties inculcat, controversiam ibi terminandam, ubi primum nata est, repetitque saepe id e SS. Conciliorum necnon et Cypriani et Bernardi auctoritate : id quoque fatemur ante Concilia Christiana, et ante vel Bernardi vel Cypriani tempora iuris civilis placitis decerni. Sciat Rex, legem hanc multis exceptionibus et limitationibus esse obnoxiam: quarum unam hanc, quam Regina adducit, vel potissimam esse universa Iurisconsultorum schola et iudiciorum forma indicat, tantaeque esse efficaciae, ut ad hoc soli iuramento partium etiam per procuratorem praestito stetur. Non autem propterea fieri iniuriam Regi aut Anglis, nec ideo argui eos iniustitiae, aut minus sincerae integritatis, (id quod Rex in suis literis tantopere sed profecto abs re queritur), quod utpote idoneam et sufficientem Reginae allegationem Sedes Apost. admiserit, qua se Regina cum locum suspectum habere dicit, cum cuius supremo et potentissimo Domino litigat. Alioquin nisi hoc negotium tantopere Regis interesset, e cuius nutu universum regnum pendet, nemo est qui de iustitia et integritate ipsius sinistri aliquid indicaret, sicuti neque etiamnum iudi-

cat Summus Pontifex; sed res eiusmodi naturae est, ut huic suspicioni apud iudices satis amplam facere fidem possit. Nam quantum ad Regni privilegia attinet, ea Pontifex semper et ubique illaesa vult et optat, si modo id citra universalis Ecclesiae scandalum, et libertatis ecclesiasticae, quae omnibus legibus antestare debet, praeiudicium et offensam fiat; alioqui nulla fit iniuria Angliae regno, si causa mere ecclesiastica et tam momentosa apud Sedem Ap. iudicetur.

Haec est, quam tantopere petit Rex a SS. D. N. scire, huiusce rei et consilii ratio, quare Pontifex causam tanti momenti, et cuius iudicium ad solam Sedem Ap. pertinet, huc advocaverit; neque enim locus est ullus magis idoneus, minus utrique parti suspectus, aut ubi melius discuti possit huiusmodi causa vel debeat. In his omnibus Pontifex Deum testem adducit, se nihil fecisse aut cogitasse, quod a iuris semita exorbitaret, sed ad illud inprimis attendisse, quo tanti ponderis negotium pacifice terminaretur; et quamvis cognoscat non potuisse tantum efficere ea moderatione et prudentia, qua Sua Sanctitas usa est, quominus saepe Caesar, saepe Regina, saepius etiam Rex Angliae pro suo quisque desiderio decisionem causae requirentes, de Sua Sanctitate sint conquesti; decrevit tamen omnino solum Deum prae oculis habere, et neque dextrorsum neque sinistrorsum declinando, quidquid tantum iustitia dictaverit, iudicare. Proinde rogat Sua Sanctitas Regiam Maiestatem, ut sepositis aliquorum, qui res novas semper appetunt, non bonis consiliis, eorum item, qui quum ipsi cauteriatas conscientias habeant, numquam conquiescere possunt, donec candidioribus animis (cuiusmodi semper Regius fuit) perniciosiorem cauterii sui notam inurant, se ipsum solum et ingenitam sibi multisque exemplis comprobatam bonitatem in consilium adhibeat, et memor conservandi praeclari et sempiterni illius tituli, quo ut Defensor fidei appelletur, commeritus est, maiorem Reipublicae Christianae pacis et salutis, quam privati et momentanei alicuius affectus rationem habeat, et vel causam adeo gravem pacate componat, vel si id fieri nequeat, advocationi ipsius causae et Sedis Apost. iudicio, quod nonnisi sanctum et sincerum super ea re fertur, acquiescat. Alioquin si quae

inde scandala, odia, dissidia, calamitates ullae inter Christianos Principes (quod merito timendum est) oboriantur, Pontifex Deum sincerae suae conscientiae testem et iudicem invocat: Deus autem iustus index in eos, qui tanti mali auctores fuerint, iustissimae ultionis suae virgam exercebit, id quod videmus iam nonnullis huius discordiae vel auctoribus vel fautoribus accidisse. — *Theiner Monumenta Hiberniae.* p. 604. ss.

Mon. 17.

Ex Constitutionibus Matthaei Giberti Eppi Veronensis. 1542.

Tit. VII. cap. 5. Inhibemus, et sub poena excomm. interdicimus omnibus Christifidelibus Clericis et laicis per dioecesim nostram ubilibet constitutis, ut nullus ipsorum contra ss. canonum dispositionem de causis matrimonialibus cognoscere, concordare, seu definire qualitercunque praesumat absque nostra aut Vicarii nostri licentia et mandato speciali. — *Constitutiones editae per I. M. Gibertum.* Veronae. 1765. p. 203.

Mon. 18.

C. Coloniense II. a. 1549.

Tit. 6. cap. 3. Cum matrimonii sacramentum, ut sacramenta reliqua, in thesauris Ecclesiae numeretur, nec sit civilis quidam contractus, ut olim putarunt ethnici, ad solius Ecclesiae iudicium, praesertim ubi quaestio iuris versatur, eius discussio pertinet. Idcirco statuimus cum praesenti concilio, et sub excommunicationis poena prohibemus, ne magistratus aut iudices seculares in matrimonialibus aut aliis spiritualibus quibuscunque causis, ad cognitionem solius ecclesiastici iudicis spectantibus, inter suos subditos aut alienos iudicent, nec dispensandi aut transigendi potestatem in matrimonio ac gradibus prohibitis sibi usurpent, sed eiuscemodi causas omnes ad iudicis ecclesiastici cognitionem et definitionem remittant. — *Harduini Conc.* IX. 2097.

Mon. 19.

C. Moguntinum, a. 1549.

Cap. 76. Cum omnibus palam sit, super ecclesiarum atque eorum, qui in sortem Domini delecti pro magistratuum imo totius reipublicae salute apud Deum quotidie interpellant, libertate et immunitate non tam pontificio quam etiam civili iure cautum atque provisum: comperimus tamen infelici hac rerum perturbatione ecclesiarum quarumdam bona, imo ipsas Deo dicatas ecclesias in profanos usus cessisse, clericos ad munia civilia, etiam sordida, interdum coactos, quaestiones contra ipsos eorumque et ecclesiarum bona; similiter super causis matrimonialibus et aliis etiam mere ecclesiasticis coram secularibus statibus intentari ac definiri. Proinde adhortamur omnes et singulos in Domino, ut si non divini iudicii respectu, vel eorum saltem quae legibus sancita sunt, memores, ab iniusta hac ecclesiasticae libertatis imminutione atque oppressione absistant; ecclesias, sacerdotes, atque res ipsorum suae restituant atque permittant immunitati et libertati. Quorumdam igitur vim iniustam inhibere, et personis ecclesiasticis suam libertatem vel in hoc asserere volentes, statuimus, ut actor clerico coram seculari iudicio actionem intendens, eo ipso omni causa cadat, nec amplius ad eius causae querelam etiam coram ecclesiastico iudice admittatur. Iudicem vero secularem, qui causam clerici etiam eo consentiente, aut aliam quamcunque causam ad eccles. iudicium pertinentem, quales sunt matrimoniales et similes, iudicandam sibi desumserit, excommunicationis poenam ipso facto incurrere decernimus. — *Harduini Conc.* IX. 2131.

Mon. 20.

C. Cameracense a. 1550.

Tit. VI. §. 3. Licet causae matrimoniales cum earum dependentiis et annexis non modo de iure et consvetudine, verum etiam iuxta antiqua statuta synodalia nostrae dioece

sis nonnisi per nos aut officiales nostros tamquam iudices ordinarios tractari et definiri debeant: nihilominus tamen ad nostrum pervenit auditum, quod nonnulli decani — et notarii publici illarum cognitioni sese temere ingerere, ac nonnumquam etiam sponsalia, conventiones et matrimonia — dissolvere atque dirimere, contractusque desuper conficere non verentur. Quocirca nos volentes tantis abusibus, fraudibus, et partium dispendiis occurrere, omnibus et singulis subditis nostris, clericis et laicis, sub poena excomm. prohibemus etc. — *Acta Eccles. Prov. Remensis.* Remis. 1844. III. 55.

Mon. 21.

Ferdinandi I. Regis Hungariae rescriptum ad Ruthenos pro iure Ecclesiae in causis matrimonialibus. 1552.

Ferdinandus etc. Exponitur Maiestati nostrae per Venerabilem ac religiosum Ladislaum Episcopum, in claustro B. Nicolai Confessoris circa oppidum nostrum Munkács, more Graecorum fundato: quomodo essent inter vos, ex plebe videlicet ista Ruthenica complures, qui uxores repudiare et a se dimittere, et e contra uxores, quae a suis maritis divortium facere vel levissima de causa saepenumero nulla ab eo vel ab aliis episcopis personisque ecclesiasticis, ad quos dispensatio huiusmodi iuxta eorum consvetudinem et ecclesiae ritum pertineret, petita licentia, sed solummodo a nonnullis ex vobis solutione exigua summae pecuniariae eis facta, licentia huiusmodi impetrata, quod in magnum scandalum, detrimentumque, perditionem animarum talium vergere dignosceretur, praesumentes; ac proinde pro parte ipsius exponentis exstitit nobis humiliter supplicatum, ut in hac re de condigno iuris remedio providere dignaremur. Cum igitur indignum sit, profanos homines sese in auctoritatem ecclesiasticam quovis modo miscere, praesertim vero dispensando maritis vel uxoribus, ut divortium inter se faciant, idque propter pecuniam, quo vix ullum maius exstat peccatum: fidelitatibus vestris et vestrum singulis harum serie committimus et mandamus, ut praemissis sic se habentibus posthac nullo modo vos aut quis-

quam vestrum se ad dispensandum huiusmodi homines vel mulieres divortium facere volentes ingerere praesumatis, sed praefatum exponentem ceterosque episcopos et alios ecclesiasticos, quorum id interest, authoritate eorum frui, gaudere in his et aliis huiusmodi, quae ad forum spirituale spectant, modis omnibus permittere, ac per vestros, quorum interest, permitti facere debeatis et teneamini. Nam alioquin concessimus praefato Exponenti liberam facultatem contra vos et aliquos vestrum, qui secus fecerint, iuxta eorum iura et consvetudinem procedendi, cui etiam nos tamquam ecclesiasticorum iurium defensores auxilio nostro pro talibus puniendis iuxta eorumdem merita pro necessitate affuturi sumus. Secus nullo modo facturi. Datum Posonii die 15. Martii a. D. 1552. — *Fejér Iurium ac Libertatum Eccl. Hungar. Codicillus.* p. 72.

Mon. 22. 23.

C. Tridentinum, a. 1563.

Sess. XXIV. *Doctrina de Sacr. Matr.* Matrimonii *perpetuum indissolubilemque nexum* primus humani generis parens divini Spiritus instinctu pronunciavit, quum dixit: ‚Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea; quamobrem relinquet homo patrem suum et matrem', et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una.' Hoc autem vinculo duos tantummodo copulari et coniungi Christus Dominus apertius docuit, quum postrema illa verba tamquam a Deo prolata referens dixit: ‚Itaque iam non sunt duo, sed una caro', statimque eiusdem nexus firmitatem ab Adamo tanto ante pronunciatam his verbis confirmavit: *quod ergo Deus coniunxit, homo non separet.* Gratiam vero, quae naturalem illum amorem perficeret, et indissolubilem unitatem confirmaret, coniugesque sanctificaret, ipse Christus venerabilium sacramentorum institutor atque perfector sua nobis passione promeruit, quod Paulus Apostolus innuit dicens: ‚Viri, diligite uxores vestras, sicut Christus dilexit Ecclesiam, et se ipsum tradidit pro ea', mox subiungens: ‚Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo et in Ecclesia.' Quum igitur *matrimonium* in lege

evangelica veteribus connubiis per Christum gratia praestet, *merito inter novae legis Sacramenta annumerandum*, sancti Patres nostri, Concilia, et universalis ecclesiae traditio semper docuerunt; adversus quam impii homines huius seculi insanientes non solum perperam de hoc venerabili sacramento senserunt, sed de more suo praetextu evangelii libertatem carnis introducentes, multa ab Ecclesiae Cath. sensu et ab Apostolorum temporibus probata consvetudine aliena scripto et verbo asseruerunt non sine magna Christi fidelium iactura; quorum temeritati sancta et universalis Synodus cupiens occurrere, insigniores praedictorum schismaticorum haereses et errores, ne plures ad se trahat perniciosa eorum contagio, exterminandos duxit, hos in ipsos haereticos eorumque errores decernens anathematismos: *Canones de Matr.* 1. Si quis dixerit, matrimonium non esse vere et proprie unum ex septem legis evangelicae sacramentis a Christo Domino institutum, sed ab hominibus in Ecclesia inventum, neque gratiam conferre, anathema sit. — 3. Si quis dixerit, eos tantum consangv. et affin. gradus, qui Levitico exprimuntur, posse impedire matr. contrahendum et dirimere contractum, nec posse Ecclesiam in nonnullis illorum dispensare, aut constituere, ut plures impediant et dirimant, anathema sit. 4. Si quis dixerit, Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta matrim. dirimentia, vel in iis constituendis errasse, anathema sit. — 12. Si quis dixerit, causas matrimoniales non spectare ad iudices ecclesiasticos, anathema sit.

Decretum de reformatione matrimonii. Cap. 1. Tametsi dubitandum non est, *clandestina matrimonia* libero contrahentium consensu facta rata et vera esse matrimonia, *quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit*, et proinde iure damnandi sunt illi, ut eos S. Synodus anathemate damnat, qui ea vera ac rata esse negant, quique falso affirmant, matrimonia a filiisfamilias *sine consensu parentum* contracta irrita esse, et parentes ea rata vel irrita facere posse: nihilominus Sancta Dei Ecclesia ex iustissimis causis illa semper detestata est atque prohibuit. — *Qui aliter quam praesente parocho vel alio sacerdote de ipsius parochi seu Ordinarii licentia, et duobus vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt, eos S. Syno-*

dus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, et huiusmodi contractus irritos et nullos esse decernit, prout eos praesenti decreto irritos facit et annullat. — Cap. 7. Multi sunt qui vagantur et incertas habent sedes, et ut improbi sunt ingenii, prima uxore relicta aliam et plerumque plures illa vivente diversis in locis ducunt. Cui morbo cupiens S. Synodus occurrere, omnes ad quos spectat paterne monet, ne hoc genus *hominum vagantium* ad matrimonium facile recipiant: *magistratus etiam seculares hortatur, ut eos severe coërceant.* — Cap. 8. Grave peccatum est, homines solutos *concubinas* habere, gravissimum vero et in huius magni sacramenti contemtum admissum, uxoratos quoque in hoc damnationis statu vivere etc. — Mulieres — quae cum adulteris seu concubinariis publice vivunt, si ter admonitae non paruerint, ab Ordinariis locorum, nullo etiam requirente, ex officio graviter pro modo culpae puniantur, et extra oppidum vel dioecesim — *invocato,* si opus fuerit, *brachio seculari,* eiiciantur etc. — Cap. 9. Ita plerumque *temporalium dominorum ac magistratuum* mentis oculos terreni affectus atque cupiditates excoecant, ut viros et mulieres, sub eorum iurisdictione degentes, maxime divites vel spem magnae haereditatis habentes minis et poenis adigant cum iis matrimonium invitos contrahere, quos ipsi domini vel magistratus illis praescripserint. Quare quum maxime nefarium sit, *matrimonii libertatem* violare, et ab eis iniurias nasci, a quibus iura expectantur, *praecipit S. Synodus omnibus, cuiuscunque gradus, dignitatis et conditionis existant, sub anathematis poena, — ne quovis modo directe vel indirecte subditos suos vel quoscunque alios cogant, quominus libere matrimonia contrahant.*

Mon. 24.

C. Cameracense, a. 1565.

Tit. XV. c. 1. Matrimonium res sacra est, sancta et arcta coniunctione divinitus instituta, cum nondum inter homines peccatum natum esset. Quare nec suscipi, nec tradi nisi sancte ac religiose debet, nec in profanis rebus haberi vinculum, cuius Deus auctor et coniunctor est. Ac propterea s.

synodus provincialis servari ac recipi mandat quaecunque de matrimonio sacrum Tridentinum Concilium decrevit. *Harduini Conc.* X. 594.

Mon. 25.

Conc. Augustanum. II. a. 1567.

Can. 10. Confirmamus, et renovamus Praedecessorum nostrorum iustam constitutionem, nimirum, *ne vel Ecclesiastici, vel seculares Magistratus, cuiuscunque praeeminentiae, vel conditionis fuerint, directe vel indirecte, sine certa commissione ipsis facta, cognoscere, vel iudicare praesumant de causis matrimonialibus, eorumque impedimentis, vel aliis ad Matrimonii rationem quomodocunque pertinentibus : praesertim, cum ad Episcopi cognitionem eiusmodi causae, ut Synodus quoque Tridentina testatur, proprie spectent.* Siquis vero aliter fecerit non modo poenas, quae Iudicibus male iudicantibus infliguntur, sentiet; verum etiam sex mensibus ab officio suspensus erit, poenamque pecuniariam ex Iudicis arbitrio solvet. Nobis vero erit curae, ut, quod ad poenas pecuniarias attinet, in pios usus illae, sicut Synodus Tridentina sancivit, posthac convertantur. — *Hartzheim Concilia.* VII. 178.

Mon. 26.

Conc. Salisburgense. 1569.

Constit. 49. cap. 3. Quibus liceat decidere causas matrimoniales. Quia *causae matrimoniales et ab eis dependentes,* ut sunt floris destitutionis virginalis, ultimae forte illegitimae sobolis educandae, divortii, et id genus aliae, propter animarum periculum, quod in ipsis vertitur, *graves* dicuntur: quapropter *a solis Episcopis, vel eorum Officialibus, seu Vicariis Generalibus, aut ab aliis, ab ipsis Ordinariis surrogatis, debent tractari, audiri, atque decidi*; ideo inhibemus, atque interdicimus omnibus nostrae Provinciae Christifidelibus, tam Sacerdotibus, et Clericis aliis, quam utriusque sexus Laicis, quibus a Concilio Tridentino permissum non est, ut nullus ipsorum de causis praedictis in ea parte, quae ius, vinculum, aut foedus

matrimoniale contingit, cognoscere, concordare, transigere, aut definire praesumat. Aliter enim huiusmodi temerarii transgressoris, et transgressorum processus, sententias, concordias et transactiones iudicamus, et decernimus (sicut revera sunt) nullas, inefficaces, et quae merito nullum debeant sortiri effectum: ipsos etiam Sacerdotes qui se talibus tractatibus immiscuerint, declaramus excommunicationis sententia innodari: *Laicos* vero *Iudices, et tractatores talium negotiorum una cum partibus, inter quos de facto actum est, a participatione Sacramentorum Ecclesiasticorum, donec errorem suum emendaverint, et ab Ordinario suo cum plenaria satisfactione absolutionem Eccles. obtinuerint, suspendimus.* Iustum enim est, ut qui se de Sacramentis, aut Sacramentalibus ad se non pertinentibus, temerario ausu tractandis intromittit, privatione eius, quod sibi non competebat, puniatur. — *Hartzheim Concilia.* VII. 353.

Mon. 27.

Statutum Synod. Bisuntinum. 1573.

Cum ad nos vel ad nostram Sedem pertineant causae matrimoniales, prohibemus sub excomm. poena, ne quis, cuiuscunque gradus, conditionis vel dignitatis existat, cognoscere praesumat aut iudicare de causis matrimonialibus. Neque partes matrimonium contrahere volentes concordent vel transigant inter se super ipsis causis absque iudicio Ecclesiae. — *Hartzheim Concil.* X. 332. ss.

Mon. 28.

C. Mediolanense V. a. 1579.

P. III. c. 16. Matrimonium cum sacramentum sit, et maxime liberum, si quae municipales leges, statuta, decretave sunt, quibus huic sacramento sanctaeque illius libertati contra ss. canonum et conciliorum praescriptum ullo quovis pacto impedimentum afferatur, eas irritas, rescissas, ac plane nullas decernimus ac declaramus. Omnibus vero quacunque

etiam dignitate potestateque praeditis interdictum iam nunc perpetuo sit, ne earum etiam legum, statutorum, decretorumve auctoritate, nec vero alia quavis ratione quidquam statuant, decernant, iubeant, agantve, quo matrimonii libertas ullo pacto neque directe nec vero indirecte laedatur. Qui contra fecerit, poenas et censuras conciliorum et canonum iure sancitas ipso facto subeat. — *Harduini Conc.* X. 1086.

Mon. 29.

Recessus Monachiensis Concordatorum cum Ordinariis Bavariae. 1583.

Cap. VII. *De causis Matrimonialibus.* Causae matrimoniales aeque ac aliae liquido consistoriales Foro Ecclesiastico libere committuntur. Sic etiam poenitentiarum iniungendarum iudicium Ordinariis eorumque deputatis in populo catholico liberum semper erit. Si tamen delicti qualitas et personae conditio satisfactionem pecuniariam imponendam svaserint, curabunt ii, ut ea pecunia ad pios usus intra Bavariae fines colloccetur. — *Deutinger Beiträge zur Geschichte des Erzbisthums München und Freysing.* München. 1853. V. 204.

Mon. 30.

C. Turonense, a. 1583.

c. 19. — Certissimi iuris cum sit, matrimoniales causas omnes fori esse ecclesiastici, ideoque earum cognitionem ac decisionem iudicibus laicis a sacris canonibus omnino esse interdictam: omnibus, praeterquam episcopis et eorum officialibus de iis earumque appendicibus et circumstantiis, velnti si de coniugali adhaesione sit quaestio, cognoscere et decidere, sub anathematis poena prohibemus. — *Harduini Concil.* X. 1434.

Mon. 31.

C. Mexicanum, a. 1585.

Lib. IV. tit. 1. §. 14. Quos Deus matrimonii vinculo coniunxit, non possunt nec debent separari. Quare omnino

reprobatum est, maritum et uxorem dato libello separationis coram iudicibus et notariis se ab invicem separare, existimantes se illius libelli virtute a vinculo matrimónii esse solutos. Idcirco statuit haec synodus, ut nullus ecclesiasticus iudex in libellis huiusmodi auctoritatem suam interponat sub poena privationis officii, nullusque notarius eosdem conficiat aut subscribat. Quodsi secus fecerint, praeter poenas Cap. Cum aeterni tribunal' statutas, ab officiis sint ipso facto privati, quadragintaque pondo minarum persolvant, in usum fabricae, pauperum, et accusatoris aequis partibus eroganda. Qui vero ob praedictas causas non cohabitantes denuo matrimonium contrahere attentaverint, propter binas nuptias puniantur. — *Harduini* Conc. X. 1706. ss.

Mon. 32.

Syn. Dioeces. Tridentina. 1593.

De Sacr. Ma'r. cap. 22. — Praeterea praedecessorum nostrorum Constitutionibus inhaerentes, etiam sub excomm. poena interdicimus omnibus tàm clericis quam laicis per dioecesim nostram ubilibet constitutis, ne ullus eorum de causis matr. cognoscere, concordare, seu diffiuire iudicialiter praesumat absque nostra licentia et mandato speciali. — *Const. Syn. Tridentinae.* Tridenti. 1841. I. 22.

3. Monumenta e Sec. XVII.

A. ***Introductio.*** Seculo XVII celebrata Concilia tam dioecesana quam provincialia prorsus conformia edebant decreta legibus Tridentinis. Insuper in *Gallia* et *Hungaria* pro potestate Ecclesiae eximia facta est manifestatio.

A. 1609. Conc. *Constantiense* ius Ecclesiae solius circa causas matrimoniales in foro ecclesiastico tractandas ampliori oratione complectitur, et pronunciat: causas has et ab eis dependentes ad solam Eppi vel Vicarii eiusdem cognitionem decisionemque pertinere; causas has esse pure spirituales, et

licet ex accidenti circa aliquid temporale versentur, omni tamen iure ceu accessorium ad principale spectare; per attentata secularis iurisdictionis nil derogari auctoritati ecclesiasticae; solos Eppos et Praelatos positos esse ad regendam Ecclesiam etc. (*Mon.* 33. 34.)

Eodem anno C. *Narbonense* monet Magistratus seculares, ne se immisceant rebus ecclesiasticis, secus excommunicationem incursuri; causas matrimoniales ad Eppum spectare decernit. (*Mon.* 35.)

A. 1610. C. *Augustanum* idem, quod Narbonense, enunciavit; (*Mon.* 36.) — pariter a. 1626. C. *Sedunense* (*Mon.* 37.), et a. 1628. C. *Osnabrugense.* (*Mon.* 38.)

In *Gallia*, dum Rex Ludovicus XIII a. 1629. edictum Blesense renovando, matrimonia filiorumfamilias sine consensu parentum inita irrita fore declarasset: Clerus in Comitiis suis Parisiis congregatus de eo admonendum censuit Regem, matrimonia similia per Ecclesiam pro validis haberi, decretumque Regis nonnisi ratione civilium effectuum subsistere posse; oravit etiam Regem, ut declarationem desuper ederet, Cleri desiderio conformem. (*Mon.* 39.) Paulo post in eadem Gallia dum Rex Ludovicus a. 1632 e defectu consensus regii matrimonium in aula initum pro irrito proclamaret: licet nonnulli de Clero ad auctoritatem ecclesiasticam, quae consvetudinem Galliae in rescindendis similibus connubiis probaverit, Regique adstipularentur: *Urbanus VIII* Papa nihilominus a. 1635 pronunciavit: leges Galliae in Sacramentum matrimonii nulla vi pollere, et vinculum matrimonii iuxta legem Ecclesiae initum, qualescunque forent civiles legum Gallicanarum effectus, immotum persistere. (*Mon.* 40.)

A. 1653. C. *Vratislaviense* causas matrimoniales ad classem mere spiritualium refert, easque solius Ecclesiae iudicio subiectas declarat. (*Mon.* 41.)

In *Hungaria* a. 1658. AEppus *Strigoniensis* inter propositiones, quas pro defendenda libertate ac independentia potestatis ecclesiasticae in Synodo Tyrnaviensi publici iuris fecit, continetur et illa de matrimonialibus causis, quas videlicet occasione perturbationis civilis admodum labefactare et

e manibus ecclesiasticis eripere nitebantur adversarii, partim ius illas pertractandi cum haereticis commune faciendo, partim adulteriis beneficio divortiorum froena laxando, partim causas dotis ac paraphernorum, velut accessorias matrimoniorum, ad forum et iudicium seculare transferendo. (*Mon.* 42.)

B. *Monumenta.* **Mon. 33. 34.**

Conc. Constantiense. a. 1609.

33. *P. I. tit. 16. §. 43. Causae omnes matrimoniales, et ab eis dependentes, ad solum nostrum, vel Vicarii, et Officialis nostri cognitionem et decisionem pertinent.* Idcirco nullus sive Ecclesiasticus, sive secularis, cuiuscunque conditionis, dignitatis, aut praeeminentiae fuerit, de Sponsalibus, tam de futuro, quam de praesenti, de impedimentis quibuscunque, de divortiis et aliis ab iisdem dependentibus connexis et annexis sub poena excommunicationis latae sententiae cognoscere, iudicare, et definire praesumat, sed eae omnes et singulae ad Consistorium nostrum Ecclesiasticum pro earumdem cognitione et decisione remittantur. —

34. *P. IV. tit. 2. c. 1—11.* Causae ecclesiasticae ad forum nostrum eccles. pertinentes varii sunt generis. Aliae enim sunt mere spirituales ex sua natura; aliae ex pure spiritualibus dependentes; aliae vero mixtae, quae scilicet temporale aliquid spirituali annexum habent. 2. *Pure spirituales* sunt, quae circa fidem christianam, circa sacramenta, et eorum administrationem, circa Ecclesias et ceremonias ecclesiasticas versantur. Hinc causa haeresis, blasphemiae in Deum et Sanctos, *matrimoniales*, et his similes ad ecclesiasticum forum pertinent. 3. Ex spiritualibus dependentes causae sunt, quae ex matrimonio contrahendo vel contracto dependent et emergunt: ut sunt causae divortii, saevitiei, deflorationis, adscriptionis prolis, taxae dotis, legitimationis, quando scilicet dubitatur, num aliquis ex legitimo thoro sit procreatus vel non, etc. — 4. Et si quae sunt aliae similes causae, quas

sacri canones nonnisi in foro ecclesiastico ventilari et determinari constitunnt. Nam licet ex accidenti circa aliquid temporale versentur, tamen omni iure accessorium sequitur naturam sui principalis, magisque dignum ad se minus dignum trahit. 5. Et quamquam hoc corruptissimo seculo, quo omnia confunduntur, atque a recta ratione et iustitiae norma declinant, multi secalares et laici plurimas eiusmodi causas ad sua fora secularia variis modis trahere conantur: *nos tamen his secularium quorumcunque turbulationibus et attentatis ecclesiasticae nostrae iurisdictioni nihil derogatum esse volumus, ac declaramus, desuper solemnissime protestantes, omnesque actus contrarios hac nostra Synodali Constitutione et proclamatione interrumpentes, atque Vicario et Officiali nostro serio mandantes, ut si huiusmodi causae in forum nostrum adducantur, in iis, non attentis ullis avocationibus, appellationibus, inhibitionibus, aut aliis processibus quibuscunque, ss. Patrum Canonumque decretis atque immemoriali consuetudini et stylo Episcopatus et Curiae nostrae inhaerendo procedant, easdemque uti Iudices competentes determinent et decidant.* 6. Praecipimus quoque reliquis nostris Consistorialibus, ut ipsi huiusmodi causas in foro nostro ventilandas suscipiant et acceptent. 7. Quodsi quis Advocatorum vel Procuratorum Curiae nostrae in supra nominatis causis exceptionem fori declinatoriam, utpote meram causae protelationem et nostrae iurisdictionis elusionem confecerit et obtulerit, eum Vicarius noster iuramenti et fidelitatis suae nobis praestitae serio admoneat, et 4 florenis puniat. 8. Praedictas causas eccles. omnes et singulas ut Praelati, presbyteri, clerici et laici quicunque in dioecesi nostra Constantiensi existentes, si quae eis vel nunc competunt, vel in posterum competierint, nusquam alibi quam coram nobis seu iudicibus nostris eccles. instituant et prosequantur, praesenti hac nostra Constitutione Synodali mandamus. 9. Praeterea Antecessorum nostrorum Constitutionibus inhaerendo serio inhibemus, ne de cetero persona ecclesiastica quaecunque auxilium, subsidium seu defensionem laicorum contra nos et iurisdictionem nostram eccles. sibi qualitercunque procuret, assumat, invocet, aut assumtam retineat; contrarium faciens eo ipso excommunicationis sententiae iuxta Trid.

Conc. subiaceat, aliasque condignas poenas tantae suae temeritatis a nobis expectet. 10. Ceterum pollicemur omnibus, qui foro et iudicio nostro eccles. utuntur, nos apud Iudices et Consistoriales nostros poenis et aliis competentibus remediis effecturos, ne partes litigantes diutius detineant, sed eis absque mora, affectu et partialitate iustitiam administrent. 11. *Vehementer etiam in Domino adhortamur quoscunque Magistratus seculares, ut suae vocationis memores falcem in alienam messem non immittant, nostramque iurisdictionem eccles. non perturbent*; meminerint gravissimam esse S. Trid. Concilii contra ecclesiasticae immunitatis et iurisdictionis violatores censuram, olimque in veteri lege eos impune non tulisse, qui contra sacerdotii dignitatem aliquid egerint; et multa passim in historiis exempla reperiri, quod Deus et in hoc, et in futuro seculo eccles. iurium perturbatores severissime punivcrit. *Soli Eppi et Praelati positi sunt, qui regant Ecclesiam, quos qui spernit, non hominem, sed Deum ipsum, qui eos posuit, spernit.* — *Constit. et decreta Syn. Dioec. Const. edita 1609. Revisa et iterum prelo commissa Canstantiae.* 1745. p. 74. 199.

Mon. 35.

C. Narbonense, a. 1609.

Cap. 42. de foro ecclesiastico. Dignitatem sacri ordinis commendans Deus inhibuit secularibus tangere unctos suos, qui in sortem Domini vocati sunt; illorum pars Deus est, illis haereditatem suam redditurus. Nec propterea unctionem sacram perditorum, si qui tales forent, asylum et anchoram esse voluit, qua muniti sontes impuniti manerent: sed eos sacros a sacris iudicari praecipit, et ecclesiasticam iurisdictionem a seculari seiunxit. Non se immisceant igitur magistratus seculares rebus ecclesiasticis, neque iudicium personarum aut rerum ecclesiasticarum arrogent: ne quod suum non est appetentes, quod suum etiam est iusto Dei iudicio perdant: interim iuxta ss. canonum constitutiones, si quod hortamur non egerint, excomm. sententiam ipso facto incurrant. — Non permittant (Eppi) in inferioribus sedibus aut ab

officialibus forancis, graviores causas, ut puta matrimoniales, tractari: sed eas audiat ipse Eppus et sententiam ferat, aut saltem per officialem suum in maiori sede fieri et in urbe tractari iubeat, et talium cognitionem aliis interdicat, prout praesenti decreto interdicimus. — *Harduini Conc.* XI. 45.

Mon. 36.

Concilium Augustanum. a. 1610.

P. II. c. 10. §. 31. Confirmamus et renovamus Praedecessorum nostrorum instam Constitutionem, nimirum, *ne vel Ecclesiastici, vel seculares Magistratus* cuiuscunque praeeminentiae vel conditionis fuerint, directe vel indirecte, sine certa commissione ipsis facta, *cognoscere vel iudicare praesumant de causis matrimonialibus*, eorumque impedimentis, vel aliis ad Matrimonii rationem quomodocunque pertinentibus; praesertim cum ad Episcopi cognitionem eiusmodi causae, ut Synodus quoque Trid. testatur, proprie spectent. Si quis vero aliter fecerit, non modo poenas, quae Iudicibus male iudicantibus infliguntur, sentiet, verum etiam sex mensibus ab officio suspensus erit, poenamque pecuniariam ex Iudicis arbitrio solvet Nobis vero erit curae, ut quod ad poenas pecuniarias attinet, in pios usus illae, sicut Synodus Trid. sancivit, convertantur. — *Hartzheim Concil.* IX. 55.

Mon. 37.

Conc. Sedunense. 1626.

Cap. 5. §. 11. Caveant *Ecclesiastici et Laici* cuiuscunque dignitatis, conditionis, ac praeeminentiae fuerint, *ne se causis matrimonialibus ingerant*, ne de Sponsalibus, vel de Matrimonio de praesenti, ne de eorum divortio vel separatione cognoscere, iudicare, definire, et re ipsa separare praesumant, sub poena excommunicationis latae sententiae. Facta vero huiusmodi divortia vel separationes coniugum, volumus, et mandamus notari, notataque ad Nos quamprimum per ipsos Eccle-

siasticos, vel Laicos, vel Fiscalem deferri, *ut legitimo nostro iudicio subiiciantur, cognoscantur, et decidantur.* — *Hartzheim Concil.* IX. 389. s.

Mon. 38.

Syn. maior Osnabrugensis. 1628.

P. I. cap. 20. §. 13. Causae omnes matrimoniales et ab ipsis dependentes ad solam nostram vel Vicarii et Officialis nostri cognitionem et decisionem pertinent; (C. Trid. Sess. 24. can. 12. et cap. 20. de ref.) nec ullus alius iudex sive ecclesiasticus sive secularis cuiuscunque dignitatis, conditionis, aut praeeminentiae fuerit, de Sponsalibus, matrimonio, eius impedimentis, de divortiis, et aliis ac ab iisdem dependentibus et connexis causis inquirere, cognoscere, iudicare, aut definire praesumat; sed eae nostro et praedictorum nostrorum officialium iudicio reserventur. — *Hartzheim Concil.* IX. 457.

Mon. 39.

Galliae Episcopi pro Ecclesiae potestate in re matrimoniali Regi repraesentant. A. 1629.

— — Rex humiliter supplicatur, ut considerare non pigeat, quantum sit momentum in hoc articulo, qui eget expositione ad duarum difficultatum elucidationem. Prima est, ut non aliter intelligantur hae voces valide aut invalide contracti matrimonii, quam per relationem ad contractum civilem, et nullatenus ad contractum spiritualem Sacramenti. Secunda, ut non adstringantur Ecclesiastici ad iudicandum secundum huius Edicti, simulque Blesenses articulos, sed iuxta sacros canones, et ecclesiastica decreta, quae sunt unica regula et norma iudicii Ecclesiasticorum. Hi enim non possunt, aut debent iurisdictionem, quam a solo Deo collatam habent circa res spirituales, ab ipsis laicis mutuari. Quapropter necesse est ex ipso articulo resecare haec verba : „et obligabuntur Eccles. Iudices in causis

istiusmodi matrimonialibus iudicare ad huius articuli normam." — *Sardagna Theol. Dogm. Polem.* Ratisb. 1771. VIII. 499.

Mon. 40.

Urbanus VIII PP. enunciat: leges civiles nulla vi pollere in Sacr. Matr. 1635.

— Non esse in sua potestate, ut matrimonium ex regulis et praescripto Synodi Tridentinae contractum in irritum vocaret. Galliae speciales leges nulla vi pollere in Sacramentum, quod a Christo institutore et Ecclesiae canonibus unice pendebat. Qualescunque essent civiles harum legum effectus, persistere immotumque esse matrimonii vinculum. — *Ant. Heuser diss. theol. can. de potest. stat. imp. dir. soli Ecclesiae propria.* Lovanii. 1853. p. 4.

Mon. 41.

Conc. Vratislaviense, a. 1653.

Tit. de causis Fori Eccles. Quia pleramque contingit, quod nonnulli ex insolentiori nobilitate causas mere ecclesiasticas ad sua iudicia saecularia invitis partibus indebite pertrahere cum non modica ecclesiasticae libertatis contumelia et iactura praesumunt; ac ideo praesens Synodus eiusmodi gravaminibus ac dispendiis, quibus plurimi subditi a nobilitate in dignoscendis vel diiudicandis matrimonialibus causis privilegiatis afficiuntur, salubriter prospiciendo, causas omnes ad forum et ad iudicium eccles. pertinentes in Corpore Iuris Can. clausas, quas pro more veteri quivis Iudex Ecclesiasticus strenue defendere debet, synodaliter describendas esse censuit. Causae itaque mere spirituales sunt hae: fidei catholicae, — septem Sacramentorum Ecclesiae, matrimoniales etc. — Quare in his descriptis causis mere ad forum eccl. de iure spectantibus, maxime vero in actionibus matrimonialibus — nemo abhinc saecularium — se ingerere, aut partes aliquas in

illis seu personas eccles. ad sua iudicia trahere, multo magis aliquas facultates et licentias subditis suis, ut in gradibus prohibitis matrimonialiter contrahant, quae nihil operari possunt, concedere audeat praesumatve sub poena excomm. incurrenda, eadem praesens Synodus monet et decernit; alioquin quilibet iudex ecclesiasticus contra tales, iura, libertates, immunitates et privilegia eccl. violantes, absque ullo respectu metuve invidiae aut cuiusvis potentiae, sollicite, anxie et efficaciter iure suo procedere, et tamquam causam Dei strenue agere iuraque et libertates Ecclesiae defendere etiam cum poenis et sententiis eccles. tenetur. — *Montbach Statuta synodalia Vratislaviensia* p. 301.

Mon. 42.

Extractus ex propositionibus per AEppum Strigoniensem Georgium Lippay pro tuendis iuribus Ecclesiae in Synodo Tyrnaviensi factis a. 1658.

— Restat, ut sublatis operimentis detegam et aperiam vulnera, quae hisce disturbiorum temporibus et proxime praeteritis Comitiis turbulentis (1647) Religioni et Ecclesiae Dei manu adversariorum nimis gravia sunt inflicta, ea intentione et animo: primum quidem ut advertamus, quantum acceperit detrimenti curae nostrae et custodiae concreditum Christi depositum ac fidei commissum, ex quo si quid negligentia nostra et culpa deperiit, gravissimum coram tremendo Dei tribunali nobis imminet iudicium; deinde an morbo sic deprehenso aliquod occurrat remedium et emplastrum utiliter ac fructuose applicandum, id quoque perpendendum S. Synodo propono; demum si medendi spes nulla appareat, qualiter et qua ratione mitigari aut leniri, vel etiam alio modo compensari valeant accepta detrimenta. Porro non est mihi animus hic vetustiora commemorare, quibus in Pacificatione Viennensi, Diaeta a. 1608 et 1618 aliisque labefactata est et laesa catholica religio: neque recensere, quasnam licentias et libertates extorserit et obtinuerit ferro et flammis haeresis,

libere suos errores ac dogmata profitendi, et in ovile Domini sine cuiusquam impedimento grassandi. Ea solum recensebo, quae Catholicae Religioni cum libertate ecclesiastica coniunctae inflicta esse vulnera persentisco.

— 10. Quis satis explicare possit, quot modis iurisdictionem ecclesiasticam seu iudicatum lacerarunt, decurtarunt, pene extinxerunt? — Proximis temporibus avulsis ceteris duo pene remanserant Ecclesiasticis: matrimoniorum et testamentorum. — Matrimoniales causae manserant prae ceteris integrae hucusque prae manibus Ecclesiasticorum: sed et illas multis modis contaminarunt, dissiparunt; primo quidem ius hoc cum haereticis commune fecerunt; secundo id est lege lata concessum, ut per eos frena laxentur adulteriis beneficio divortiorum, nec ullum matrimonii vinculum sit securum, quominus per eos ad libitum dissolvatur; lata via incestibus quoque patefacta, quando spirituales cognationes sublatae, sine ulla regula, ulla lege ad libitum iudicia faciendi, cum sacros canones illi non agnoscant, proprias nullas certas habeant, et mutent quotidie leges. 11. Non secus etiam causas dotum ac paraphernorum, accessorias matrimonialium, ad forum seculare iudicesque transtulerunt. 12. Neque contenti, iudicatum nostrum ita mancum, ita nullum reddidisse, personas insuper nostras seculari iudicio pariter cum laicis profanaeque potestati subiecerunt. — *Péterffy Concilia Hungariae*. II. 389.

---

4. Monumenta e Sec. XVIII.

a) Usque a. 1780.

A. ***Introductio.*** Seculi XVIII Monumenta in duas partimur sectiones: alteram, quae usque legislationem *Iosephinam* in Austria, seu initium regiminis Iosephi II Imperatoris procurrit; alteram, quae ab a. 1780 usque finem seculi progreditur. In prima sectione cumprimis Pontificatus *Benedicti XIV.* notandus est, et unum alterumve documentum ex *Hungaria*

A. 1707 Statuto synodali *Bisuntino* sub poena excomm. interdicitur iudicare cuiquam, praeter Ecclesiam, de causis matr. (*Mon.* 43.)

A. 1741 et ss. *Benedictus XIV* Pontifex Maximus tum in celeberrimo suo de *Synodo Dioecesana* opere, tum in pluribus Brevibus de solius Ecclesiae potestate in cognoscendis causis matrimonialibus, et constituendis dirimentibus impedimentis docte ac praeclare pro suo more disseruit. In opere de Syn. Dioec. lib. 8. de Novella 89 Leonis Imp. scribens, ait: Constitutionem hanc, quae valorem matrimonii sacrae benedictioni alligat, non potuisse validitatem matrimonii quoad forum conscientiae infringere ex eo, quod a Principe laico profecta sit. Libro autem 9 fusius agit de iure Ecclesiae, et haec cumprimis notanda proponit: tria esse causarum matr. genera: primo, circa initi coniugalis foederis firmitatem; secundo, super valore sponsalium, aut iure instituendi divortium quoad thorum et mensam; tertio, circa res mere politicas et temporales cum matrimonio nexum habentes. Primas duas classes indubitanter et exclusive ad Iudicem Ecclesiasticum pertinere', tertiam classem iudici seculari relinqui; ita tamen, ut, dum iudex ecclesiasticus causam de matrimonii validitate vel de iure ad divortium cognoscit, etiam incidentem quaestionem de alimentis aut dote dirimat. Deplorat una Pontifex doctissimus, a longo iam tempore per seculares potestates quasi per quamdam alluvionem omnia ad earumdem forum pertrahi, et iurisdictionem ecclesiasticam quodammodo devorari. (*Mon.* 44.) — In *Bulla de iudicatu causarum matrim.* a. 1741 ‚Dei miseratione' potestatem Ecclesiae insigniter vindicat, foedusve matrimonii a Deo institutum, cum sit Eccl. Cath. Sacramentum, humana praesumtione solvi non posse asseverat; (*Mon.* 45.) — in *Brevi ad Eppos Serviae* a. 1744 irrita ac nulla declarat matrimonia coram solo Turcarum iudice, Caddi dicto, inita; (*Mon.* 46.) — in *Instructione super dubiis ad ritus Ecclesiae et Nationis Cophtorum pertinentibus* a. 1745. de nullitate matr. diaconorum scribens, ad auctoritatem Iustiniani Imp. provocat, sed addit: in hoc casu loqui Caesarem relate ad sacros canones, nam in iuribus ecclesiasticis Potestati laicae sola relinquitur

gloria obsequendi, non auctoritas imperandi; (*Mon.* 47.) — in *Brevi ad Missionarios Hollandiae* a. 1746. de civili forma matrimonii loquens, pronunciat: matrimonium coram civili magistratu aut acatholico ministello in loco, ubi C. Trid. promulgatum est, initum nec in ratione sacramenti nec in ratione contractus sustineri aut ullo pacto validum reputari posse. In hoc Brevi Benedictus de opinione quoque eorum mentionem iniicit, qui in matrimonio fidelium contractum a sacramento sic dividunt, ut illum omnino perfectum consistere credant, quin ad sacramenti excellentiam pertingat. Opinionem hanc in medio relinquit quidem, sed simul declarat, eam locum nullum habere posse apud eos, qui lege Tridentina obstringuntur, cum Synodus Trid. matrimonium praeter formam a se praescriptam initum tum quoad sacramentum tum quoad contractum irritet, eosque, qui sic contrahere attentant, ad ita contrahendum inhabiles reddat; (*Mon.* 48.) — tandem in *Brevi ad Cardinalem Eboracensem* a. 1749. de matrimonio inter Hebraeum et haereticam contracto disserens, adfert legem Theodosii Imp. adversus eiusmodi coniugia latam, et eadem pro adulteriis declarantem; deque hac lege censet: illam utpote a laico principe conditam in matrimoniis nullam habere vim, nec praescribere Ecclesiae posse, et per legem illam matrimonia Hebraeorum cum Christianis uti adulteria puniri propter gravitatem peccati, non propter nullitatem matrimonii. (*Mon.* 49.)

A. 1756. AEppus *Parisiensis* in Pastorali Instructione de Bulla ‚Unigenitus' diserte asserit: inde a primis Ecclesiae seculis fideles non ad laicos Principes vel officiales in obiecto sacramenti matrimonii se convertisse, sed ad Eppos vel Presbyteros. (*Mon.* 50.)

A. 1759. *Facultas Theologica Lovaniensis* ad quaestiones per Gubernatorem Caesareum Belgii de matrimoniis filiorumfamilias sine consensu parentum vel tutorum contractis positas celebre edidit responsum: in quo et Ecclesiae potestatem vindicat, et Principum secularium quoad rem matrimonialem auctoritati iustos limites assignat. Praecipua responsi momenta sunt: non posse Maiestatem Caesaream sine consensu Sedis Apostolicae matrimonia, de quibus agi-

7*

tur, nulla ac invalida quoad omnes effectus pronunciare; extra dubium esse, quod Secularis Princeps relate ad infideles subditos impedimenta dirimentia constituere valeat; primis seculis pariter Ecclesiam admisisse impedimenta a Principibus sive ethnicis sive christianis constituta; numquam tamen potuisse eos irrita facere matrimonia fidelium quoad omnes effectus, nisi consentiente et robur edictis Principum addente Ecclesia; Parochos, dum matrimoniis assistunt, nonnisi de consensu vel mandato Praesulum assistere; si proprio arbitrio assistant, poena quidem dignos esse, sed non a seculari potestate, verum unice ab Eppo dictanda, cui respectu functionum pastoralium subsunt; Seculari Principi haud competere facultatem vel impediendi vel restringendi ius Epporum, in bannis nuptialibus dispensandi: Officiales sive Vicarios Epporum, dum negotium matrimoniorum examinant, iure id facere, ad ipsos enim qua Ecclesiasticos Iudices pertinere causarum huiusmodi cognitionem. (*Mon.* 51.) Responsum Facultatis Lovaniensis plenam tulit approbationem Summi Pontificis *Clementis XIII*, prout docent literae Nuntii Apost. Bruxellensis ad Facultatem datae. (*Mon.* 52.)

In *Hungaria* e primis decenniis huius seculi memorandae cumprimis sunt energicae duorum Regni Praesulum repraesentationes adversus concessiones per Carolum III Regem acatholicis factas, a. 1731 editae. Prior ab *Eppo Vaciensi* Cardinali ab Althann ad ipsum Regem directa est, et eppali cum fortitudine in memoriam revocans innumera detrimenta e concessionibus dictis Religioni ac Ecclesiae Catholicae imminentia, uberius perstringit illud Regiae Resolutionis punctum, per quod Eppali ministerio intolerabile imponitur iugum iudicandi causas matrimoniales haereticorum iuxta principia ipsorum. Evolvit vigilantissimus Praesul principia ista haereticorum de matrimonio, et tamquam portenta errorum, manifestis dogmaticis Ecclesiae decisionibus adversa exhibet, a quibus proinde sequendis se tum iure ecclesiastico, tum religione, tum fide, tum dignitate ipsa et venerabili nomine Antistitis Catholici prohiberi declarat; (*Mon.* 53.) et in literis protestatoriis ad Comitatum Pestiensem catenus dimissis, non modo solennem interponit adversus resolutiones

regias praevio in merito editas contradictionem, verum etiam omnia et singula inde consecuta pro nullis, invalidis, reprobatis habenda, et ad illorum observantiam nullum dioecesis suae catholicum teneri enunciat. (*Mon.* 54.) Posterior contradictio et repraesentatio *Eppum Nitriensem* Ladislaum Adamum Comitem Erdődy habet auctorem. In contradictione ad Comitatum suum directa et per plenipotentiatum Canonicum nomine suo interposita cunctis iis, quae in Regio decreto divinis literis, oecumenicis conciliis, unanimi ss. Patrum consensui, et universali Ecclesiae doctrinae minus congruerent, contradicendi sibi reservat facultatem; (*Mon.* 55.) in repraesentatione autem ad Consilium Regium expedita punctum Regii decreti de causis matrimonialibus acatholicorum in Sedibus Sacris Catholicis secundum acatholica principia iudicandis oppugnat, et declarat, dictas causas haud secus, quam iuxta principia Ecclesiae Catholicae tractari iudicarique posse. (*Mon.* 56.) — Anno 1770 *Curia Regia Hungarica* erga Regiam provocationem depromens suam de iudicatu Fororum Ecclesiasticorum in causis matrimonialibus et earum accessoriis opinionem, hanc pro favore Fororum memoratorum enunciavit. Opinio, plurimis argumentis suhnixa, omni attentione digna est. (*Mon.* 57.)

B. ***Monumenta.*** **M o n. 43.**

Statutum syn. Bisuntinum. 1707.

Stat. 20. *Partes super Matrimonio litigantes non possunt pacificari sine iudicio Ecclesiae.* Cum ad Nos, vel ad nostram Sedem pertineant causae matrimoniales; prohibemus sub excommunicationis poena, ne quis, cuiuscunque gradus, conditionis, dignitatis existat, cognoscere praesumat, aut iudicare de causis matrimonialibus. Neque partes Matrimonium contrahere volentes concordent, vel transigant inter se, super ipsis causis absque iudicio Ecclesiae. — *H a r t z h e i m Conc. Germ.* X. 332. ss.

Mon. 44—49.

Benedictus XIV PP. de Ecclesiae potestate in re matrimoniali. 1741. ss.

44. *In opere de Synodo Dioecesano. Lib. VIII. c. 12. n. 6.* — Iure Bulgari ad Nicolaum scripserant, se a Graecis accepisse, non posse recensitas nuptiarum solemnitates sine peccato omitti, quoniam Leo Imperator Nov. 89. publica lege sanciverat, ut sacrae benedictionis testimonio matrimonia confirmarentur, adeo, ut si qui citra hanc matrimonium ineant, id ne ab initio quidem ita dici, neque illos in vitae illa consvetudine matrimonii iure potiri debeant. *Verum haec constitutio, cum a Principe laico prodierit, non potuit matrimonii validitatem quoad forum conscientiae infringere. — Lib. IX. cap. 9.* — ,Fagnanus' ea pergens enumerare, quae in particularibus Synodis non sint statuenda, ait : ,In materia iurisdictionis ecclesiasticae et secularis consultius erit nihil statuere, quam ut appareat, ex iuribus Ecclesiae aliquid esse imminutum vel usurpatum.' Prudenter suo more id monuit Fagnanus; sed aeque sapienter eam adiecit limitationem: nisi appareat, aliquid esse imminutum vel usurpatum ex iuribus Ecclesiae. Aliud quippe est, ius controversum sibi asserere; aliud, ius sibi certo competens tueri, atque ab iniusto usurpatore vindicare; a primo omnino abstinendum, alterum est sacerdotali fortitudine praestandum. — Verum ne Eppus in hoc difficili et arduo negotio erret, ac nimio atque indiscreto zelo abreptus, graves inter sacerdotium et imperium discordias imprudenter excitet, priusquam quidquam in hac materia faciendum adgrediatur, temporum et locorum circumstantias, sed et potissimum rerum causarumque naturam diligenter consideret, oportet. Ex causis ecclesiasticis aliquas ratione sui, alias ratione personarum ad forum ecclesiasticum pertinere dicitur Cap. IV. de immun. Eccl. in VI. Inter primas principem locum obtinent causae, quae versantur circa res mere spirituales, puta circa fidem, sacramenta, religionem, seu cultum divinum, quas in solo foro ecclesiastico esse pertractandas nullus Catholicorum ambigit : potestas quippe

illas cognoscendi pendet a iure clavium, quod solis sacerdotibus est a Christo concreditum. — Huic doctrinae constanter adhaerent etiam doctores Galli, quos proinde immerito aliqui traducunt, quasi hac in re potestati ecclesiasticae adversentur. Inprimis quippe Regni Optimates in illa ipsa solemni protestatione, relata a Matthaeo Parisio ad an. 1247. qua iurisdictionem ecclesiasticam plurimum coarctare tentarunt, nequaquam ausi sunt ab ea subducere causas fidei, matrimonii, et usurarum, quas ultro admiserunt ad solum forum eccles. pertinere: ,Nos omnes, aiebant, Regni Maiores attento animo percipientes, quod regnum, non per ius scriptum, nec per Clericorum arrogantiam, sed per sudores bellicos fuerit acquisitum, praesenti decreto omnium iuramento statuimus, ut nullus clericus vel laicus alium de cetero trahat in causam coram ordinario iudice vel delegato, nisi super haeresi, matrimonio, vel usuris.' Deinde eandem eccl. iurisdictionem, cui nimium angustos limites praescribi voluerant regni Optimates, ad omnes alias causas aut spirituales, aut spirituali annexas protendi declararunt Christianissimi Reges Franciscus I, Henricus II, et Carolus IX in suis Constitutionibus. — *Quia porro matrimonium fidelium, etsi contractus civilis sit, est tamen a Christo Domino elevatum ad dignitatem sacramenti: idcirco causas matrimoniales ad Iudices Eccl. spectare, pronunciato anathemate in contradicentes, definivit Tridentinum Sess. 24. can. 12. de matr.* Ex Iudicibus vero Ecclesiasticis nullum Eppo inferiorem posse illas cognoscere idem Concilium decrevit eadem Sess. 24. cap. 20. — Non exinde tamen, quod causae matrimoniales fori sint ecclesiastici, fas erit Eppo, quidquid matrimonium tangit, sibi suoque tribunali adiudicare, sed causarum naturam attente inspicere, et distingvere debet. *Tria sunt causarum matr. genera. Aliquae versantur circa initi coniugalis foederis firmitatem: et hae nullo catholicorum contradicente in solo Ecclesiae foro sunt pertractandae. — Aliae sunt causae excitatae aut super validitate sponsalium, aut super iure instituendi divortium quoad torum et cohabitationem: et istae pariter ob illum respectum, quem habent a l matrimonii sacramentum, ad solum Iudicem Eccl. deferuntur. — Aliae demum sunt causae, quae connexionem quidem habent cum matrimonio, sed res mere*

politicas et temporales directe atque immediate respiciunt, uti sunt lites — super dote, donatione propter nuptias, haereditaria successione, alimentis, etc. et istas ad Iudices seculares pertinere, communi doctorum sensu recte docent Bellarminus etc. *Verum si, cum de huiusmodi controversiis in foro laicali disceptatur, quaestio incidat de iure connubii, puta de praecedenti ad nuptias impedimento, Iudex secularis supersedere debet, atque incidentem causae articulum ad Iudicem Eccl. examinandum remittere. — Non idem tamen locum vicissim habet in Iudice Ecclesiastico: etenim hic, cum causam cognoscit aut de matrimonii validitate, aut de iure ad divortium, incidentem etiam quaestionem dirimit de alimentis aut dote.* — Haec simul collecta et adnotata Epporum oculis subiecimus, ut priora tempora cum hodiernis conferentes videant et doleant gravia vulnera suae antiquae iurisdictioni inflicta : siquidem ,seculares potestates, ait Guil. Durandus iunior, quasi per quamdam alluvionem frustatim ad se omnia trahunt; et sicut frustatim lupus agnum comedit, ita et per ipsos iurisdictio ecclesiastica frustatim quodammodo devoratur, quidquid ad eccl. iurisdictionem potissime quoad temporalia pertinet, sibi competere putantes; et pauci sunt casus ad Ecclesiam pertinentes, in quibus directe vel indirecte per eos eccles. iurisdictio non turbetur in diversis mundi partibus 'etc.' Hisce indicum secularium ausibus ab initio obstiterunt Pontifices Maximi, et sanctissimi Ecclesiarum Antistites; sed cum illos a proposito dimovere nequiverint, ad evitanda maiora mala inolescentes in dies contra eccl. iurisdictionem consvetudines dissimularunt et tolerarunt, et quandoque Summi Pontifices consultius duxere, id ipsum privilegio Principibus concedere, quod propria auctoritate iam pridem sibi usurpaverant. Iam vero cum desperandum iam sit, ut potestas secularis intra constitutos sibi ab antiquo limites contineri patiatur, imprudenter ageret Eppus, si in sua Synodo aliquid decerneret, quo iurisdictionem sibi olim iure communi attributam recuperare tentaret; rem siquidem impossibilem adgrederetur, et sine ulla Ecclesiae utilitate graviter apud Principem offenderet. Quare suo muneri satis abunde facturum se credat, si ad haec tria animum diligenter intendat. Primo, ne Princeps secularis sibi

unquam arroget ius sacrorum, h. e. ne iu ullo rerum eventu se immisceat in causis primi generis, mere spiritualibus et ecclesiasticis. Secundo, ne iudex laicus eam quoque partem eccl. iurisdictionis invadat, quae hactenus perseverat intacta. — Tertio, ubi aut privilegio aut legitima consvetudine fori ecclesiastici limites ultra iuris communis sanctiones ampliati sunt, quod ceteroquin perquam raro contingere scimus, curabit Eppus, ne sua incuria aut conniventia contrahantur. —

45. *Bulla de iudicatu causarum matr.* 1741. Dei miseratione, cuius iudicia incomprehensibilia sunt et viae investigabiles, in suprema Ecclesiae specula immerentes constituti, ut super universum dominicum gregem excubias sedulo agamus, ad commissum pastoralis officii munus pertinere dignoscimus, subnascentes ex infernalis hostis astutia et hominum malitia abusus, quibus et animarum saluti pernicies, et sacramentis Ecclesiae iniuria infertur, radicitus evellere, et potestatis nobis desuper traditae operam interponere, ut et humana cohibeatur temeritas, et veneranda divinae legis servetur auctoritas. Siquidem *matrimonii foedus a Deo institutum,* quod et quatenus naturae officium est, pro educandae prolis studio aliisque matrimonii bonis servandis perpetuum et indissolubile esse convenit, et *quatenus est Catholicae Ecclesiae Sacramentum, humana praesumtione dissolvi non posse* Salvator ipse ore suo pronunciavit dicens : quod Deus coniunxit, homo non separet: ad aures Apostolatus nostri pervenit, in quibusdam Eccl. Curiis inconsulta nimis Iudicum facilitate infringi, et temere atque inconsiderate de eorumdem matrimoniorum nullitate latis sententiis, potestatem coniugibus fieri transeundi ad alia vota etc. *(Sequuntur notae omnibus provisiones de forma iudicatus causarum matr.)*

46. *Breve ad Praesules Serviae et finitimarum regionum.* 1744. Inter omnigenas etc. — Illud etiam grave ac permolestum auribus nostris accidit, Concilii Tridentini decreta de Sacr. Matrimonii ab aliquibus non observari in istis Regionibus, in quibus debitam eorum publicationem iam diu sequutam fuisse, ipsius Albani Concilii testimonio comprobatur.

Itaque omnes istarum partium fideles supradictis decretis teneri declarantes, *irrita omnino et nulla esse definimus praetensa matrimonia, quae coram solo Turcarum Iudice, Caddi dicto, vel etiam absque isto, per solos sponsos et non ad praedicti Concilii Trid. praescriptum contrahuntur.* Quique huiusmodi nullas et clandestinas nuptias contraxerint, et post contractas convivunt, tamquam in illicito concubinatu versantes, nisi de praeterito poenitentiam agant, et iusto matrimonio in facie Ecclesiae iungantur, a Sacramentorum participatione arceri praecipimus. —

47. *Instructio super dubiis ad ritus Eccl. et Nationis Cophtorum pertin.* 1745. — Favet eidem sententiae (*de nullitate matrimonii Diaconorum*) auctoritas Imperatoris Iustiniani, qui in Codice a Gothofredo illustrato lib. 1. de Epp. et Cler. Nov. 45. huiusmodi nuptias nefarias et incestuosas appellat, et soboli inde procreatae notam illegitimitatis, et turpem paternae incontinentiae maculam inurit. Et *licet in iuribus ecclesiasticis potestati laicae sola relicta sit gloria obsequendi, non auctoritas imperandi: in subiecto tamen casu loquitur Imperator relative ad ss. canones, ,quae et sacris visa sunt canonibus.'* —

48. *Breve ad Missionarios Hollandiae de forma civili contrahendi matr.* 1746. Redditae sunt nobis per dil. filium eundemque primarium administrum nostrum Sylvium Card. Valenti, vestrae literae, quibus subortam inter vos in re gravis sane momenti controversiam exponitis, eamque iudicio nostro subiicitis. Non possumus equidem non magnopere commendare propositum vestrum, quo Sedem Ap. consulendam censuistis, eiusque definitionem exposcendam, ut eam unanimi consensu amplectamini, quam si omnes, cum similes emergunt quaestiones, pari docilitate exquirerent et sequerentur, non tanta su cresceret in dies inter Evangelicos operarios opinionum varietas, nec doleremus aliquando ob eorumdem in tradenda morum doctrina diversas sententias in partes distrahi christianum populum, eamque scindi mentium animorumque concordiam, quam Christus Dominus

Ecclesiae suae commendatam voluit usque adeo, ut ea prae sertim quasi tessera discipulos suos cognoscendos praedixerit. — Ut postulatis vestris breviter simul et dilucide respondeamus, unaque controversiam omnem iudicio nostro praecidamus, sic habete : Ubicunque promulgatum et receptum sit C. Trid. decretum c. 1. Sess. 24. de ref. matr. ibi nulla prorsus atque in omni ratione irrita esse coniugia, aliter quam coram alterutrius contrahentium legitimo Parocho aliove sacerdote parochi vices agente, et duobus testibus celebrata. Scimus profecto esse theologos, qui in ipso fidelium matrimonio contractum a sacramento ita dividunt, ut illum omnino perfectum quandoque consistere credant, quin ad sacramenti excellentiam pertingat. Sed quidquid sit de hac opinione, quam nos quidem nunc in medio relinquimus, ea certe quod attinet ad rem praesentem, locum nullum sibi vindicare potest apud eos, qui Tridentina lege obstringuntur; etenim qui praeter formam a se praescriptam matrimonium contrahere attentant, eorum Tridentina Synodus non sacramentum modo, sed contractum ipsum irritum diserte pronunciat, atque ut eius verbis utamur, nos ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, et huiusmodi contractus irritos esse decernit. Quare cum inter catholicos in istis provinciis degentes et promulgatum et receptum iam fuerit illud Tridentini decretum, quod ambo fatemini : perspicuum est, *matrimonium ab ipsis invicem initum coram Civili Magistratu aut acatholico ministello, et non item coram proprio alterutrius contrahentium parocho et duobus testibus, neque in ratione sacramenti neque in ratione contractus sustineri aut ullo pacto validum reputari* posse. — Sciant itaque catholici vestrae curae concrediti, cum Civili Magistratui aut haeretico ministello matrimonii celebrandi causa se sistunt, actum se mere civilem exercere, quo suum erga leges et instituta Principum obsequium ostendunt : ceterum tunc quidem nullum a se contrahi matrimonium. Sciant, nisi coram ministro catholico et duobus testibus nuptias celebraverint, numquam se neque coram Deo, neque coram Ecclesia veros et legitimos coniuges fore, nec, si interim coniugalem inter se consvetudinem habuerint, eam gravi culpa carituram. Sciant denique, si qua

ex huiusmodi coniunctione orietur soboles, eam, utpote ex non legitima uxore natam, in oculis Dei fore illegitimam, et nisi coniuges consensum ex Ecclesiae praescripto renovaverint, illegitimam perpetuo futuram etiam in Ecclesiae foro. Erit porro officii vestri, haec omnia, cum commoda se obtulerit occasio, atque ea, quam rerum circumstantiae vobis adhibendam svaserint, circumspectione et cautela, singulis explicare prolixius, simulque omnes commonere, ut siquidem Regionis convetudini et terreni Principis sanctionibus obtemperare coguntur, faciant illi quidem, sed religione salva, potioresque ducant sanctissimas Ecclesiae leges, quibus fidelium matrimonia constringuntur, etc. — Datum Romae die 17. Sept. 1746.

49. *Breve ad Cardin. Eboracensem*, 1749. — Ex dictis liquet, *(sermo est de matrimonio inter Hebraeum et haereticam)* incertum esse, ex lege Mosaica matrimonia Hebraeorum inita cum mulieribus exteris et religionis alienae, haberi irrita oportere. Neque hinc argui potest, eadem lege cautum fuisse, ut viri huiusmodi matrimonia ineuntes ob disparitatem cultus dirimenti teneantur impedimento. Idem quoque sentiendum de Principum legibus arbitramur. Lex enim unica, quae ad hanc rem pertineat, Theodosii est : ‚Ne quis Christianorum mulierem in matrimonium Iudaeus accipiat, neque Iudaeae Christianus coniugium sortiatur; nam si quis aliquid huiusmodi admiserit, adulterii vice commissi huiusmodi crimen obtinebit.' Verum duae hic occurrunt difficultates : prima, *quod haec lex utpote a laico Principe condita nullam habere vim in matrimoniis debet*; ‚leges illae quomodocunque intellectae non possunt praescribere Ecclesiae. *Estius*.' Gravior altera est : nam Theodosii lege Hebraei cum Christiana matrimonium ob sceleris indignitatem non quidem ut irritum, sed ut adulterium severissime damnabatur. Leges autem Imperatoris dicendum est dicta matrimonia ut adulteria punire propter gravitatem peccati, non propter nullitatem matrimonii. — *Bullarium Benedicti XIV. Ed. Mechlin.* 1826. I. 166. II. 176. III. 146. IX. 426. VII. 18.

Mon. 50.

AEppus Parisiensis in Instructione pastorali pro Bulla ‚Unigenitus' a. 1756.

— §. 86. A primis Ecclesiae seculis semper consueverunt fideles benedictionem nuptialem et gratiam, a Christo matrimonio in Sacramentum evecto annexam, non postulare a Principibus, vel eorum officialibus, sed ab Eppis vel presbyteris. Hinc C. Tridentinum in canone doctrinali definivit: cognitionem causarum matrimonialium pertinere ad Iudicem Ecclesiasticum. Sess. XXIV. can. 12. —

Mon. 51.

Iudicium Facultatis Theol. Lovaniensis de potestate Principum quoad matrimonia, in literis ad Gubernatorem Belgii 12. Ianuar. 1759. directis expressum.

Serenissime Princeps Regie! Ad nos directas Regiae Celsitudinis Tuae literas ea qua par est reverentia suscepimus, nec eas minori, quam rei momentum postulabat, attentione perlegimus. Ut igitur iniuncti per R. C. T. muneris partes impleamus, haec ad propositos nobis articulos omni quo possumus studio discussos respondenda duximus.

Ad duos primos, quibus quaeritur: utrum per filiosfamilias matrimonia non obtento prius parentum aut tutorum consensu contracta nulla, invalida, prorsusque irrita quoad effectus quoslibet declarare expediret? respondemus: timenda sane, imo potius ex parte S. Sedis certo expectanda foret gravis et quam maxime fundata oppositio, casu quo Sua Caes. Maiestas matrimonia sive a minoribus sive a maioribus contracta absque parentum seu tutorum consensu, irrita seu nullius valoris quoad omnes effectus absolute decerneret; cum enim oppositum sanciverit Tridentina Synodus Sess. 24. c. 1. anathemate damnans eos, qui falso affirmarunt, matrimonia a filiisfamilias sine consensu parentum contracta irrita esse; existima-

mus, S. Sedem non passuram, ut sine suo consensu ulla Secularis Potestas matrimonia antedicta modo supradicto nulla esse declararet, novum introducendo impedimentum, quod ab Ecclesia hucusque non est positum; quandoquidem huiusmodi impedimenta statuere certo spectat ad Ecclesiam, quod dici non potest de Potestate Seculari; et ideo ex praefata dictorum matrimoniorum nullitatis declaratione, quae fieret per Caes. Maiestatem sine consensu Sedis Apostolicae, nonnisi turbae ac difficultates summae in orbem christianum inveherentur, quae forte numquam vel nonnisi difficile sopirentur. Respondemus quidem, extra dubium esse positum, penes Seculares Principes esse potestatem irritantia impedimenta statuendi respectu matrimoniorum non baptisatorum sibi subditorum, quominus primis Ecclesiae seculis impedimenta matrimonii a Principibus tum ethnicis tum christianis constituta admisit Ecclesia. Seculo IV. Theodosius christianus pientissimusque Imperator decretum tulit, quo consobrinorum matrimonia irrita decernebantur, cuius decreti cum elogio meminit S. Ambrosius epist. 66. ad Paternum. Numquam Principes Seculares potuere irrita facere matrimonia fidelium quoad omnes effectus, nisi consentiente et robur addente Principum edictis ipsa Ecclesia. Hoc docet S. Thomas, quem passim Theologi sequuntur; nam tametsi ius aliquod in matrimonia Potestati Civili competere non diffiteatur, dum dicit l. 4. Sent. dist. 34. q. 1. art. 1. ad 4. iure naturae, divino, ecclesiastico, et civili impedimenta dirimentia constitui posse; circa Christianorum tamen matrimonia, eorum esse restrictam potestatem asserit, dum ait l. 4. dist. 42. q. 2. art. 2. ad 4: Prohibitio legis humanae non sufficeret ad impedimentum matrimonii, nisi interveniret Ecclesiae auctoritas, quae idem etiam interdicit. Quae verba saltem de fidelium matrimoniis intelligi debent, cum nemo sit, qui in dubium revocet, utrum Principes Seculares matrimonia infidelium seu nonbaptisatorum quoad omnes effectus irritare valeant. Idem factis historicis valet demonstrari. Pallavicinus enim l. 22. hist. C. Trid. c. 4. refert: Regis Galliae Oratores diu multumque institisse apud Patres Concilii, ut matrimonia filiorumfamilias non consentientibus parentibus contracta irritarentur, quod

Patres post diuturnum examen multis et gravibus de causis abnuerunt. An ita per Oratores institisset Rex Galliae, si penes se hanc potestatem esse reputasset? an Ecclesia abnuente generale impedimentum constituere pro omnibus christianis fidelibus, Rex Christianissimus pro suis subditis legem irritantem non tulisset? Hoc tamen Galliae Reges numquam attentarunt, et proinde id esse posse non existimarunt. Varii quidem Galliae Reges matrimonia filiorumfamilias absque parentum consensu contracta nulla et irrita declararunt: at quoad effectus civiles tantum, quod eorum non excedit potestatem. Talia autem matrimonia quoad effectus tantum civiles esse irrita patet ex Ludovici XIII responso. Hic Galliae Clero super dicta clausula sollicito et anxio respondit: ‚quoad non valide contrahi' intelligi effectus civiles. Quorsum tam inquieta Cleri Gallicani sollicitudo, ut Regii Edicti tolleretur ambiguitas, si Principi Seculari competeret contractus matrimoniales sic irritandi, ut nec naturale vinculum inducere nec sacramenti materia esse possint? Igitur qualiscunque sit quorumdam Galliae Parlamentorum circa talia matrimonia praxis, et sententia, si ambigua sit, ad praedictam Ludovici 13. declarationem et ad mentem ipsius est explicanda, si vero inveniatur adversa, per eandem erit emendanda. Notum tamen est, Parlamenta, quae matrimonia filiorumfamilias non obtento prius parentum consensu contracta irrita omnino declarant et nulla, id agere non quasi defectus ille parentum consensus id efficeret, sed ob praesumtum raptus impedimentum a Concilio Trid. introductum, quod duplex esse sustinent, abductionis nempe et seductionis. An id recte ab illis fiat, non attingimus. Ecclesiae Gallicanae circa talia matrimonia sententiam manifestam facit Habertus, qui Cleri Gallicani nomine scribens adversus Regii Edicti detrectatores sic ait: Tamquam divini iuris interpretis ac oraculi de veritate, de validitate, substantia, causis, partibus, contractu, consensuque, ut materia et forma, conditionibus, effectibusque sacramenti matrimonii iudicare, unius Ecclesiae est. Id fidei caput esse nemo dubitat orthodoxus. Quodsi tamquam fidei caput in ipsismet Galliis adstruitur, soli Ecclesiae competere potestatem statuendi conditiones requisitas ad validitatem contra-

ctus matrimonialis, quatenus ad sacramentum ordinem habet: potestati civili ius non est adscribendum, quo valeat contractum matrimonialem irritum facere, nisi in ordine ad effectus civiles. Ipse Van Espen, quem nemo suspicabitur nimium Ecclesiasticis favisse, Ecclesiae ius tribuit impedimenta matr. dirimentia privative statuendi. Sic enim scribit Iur. Eccl. univ. P. 2. l. 1. tit. 13: ‚Quidquid sit, hoc constat, iam pluribus seculis Ecclesiam et quidem privative et cum exclusione Principum Secularium impedimenta dirimentia inter catholicos ordinasse, eaque pro tempore et locorum circumstantiis nonnumquam extendisse, vel limitasse, aut etiam relaxasse, ac per consequens negari non potest, quin Ecclesia hac potestate a primis seculis usa sit.' Constat etiam impedimenta matrimonii stetisse auctoritate Ecclesiae, quae Principes Seculares cessare volebant; nam cum Theodosius statuisset irrita matrimonia in secundo gradu consangvinitatis, illud decretum sic suum fecit Ecclesia, ut cum Arcadius et Honorius illud revocassent, hoc minime obstante idem perseveraverit.

Ad tertium quaesitum, quomodo obviandum sit nimiae Parochorum facilitati in assistendo huiusmodi matrimoniis? utrum inhiberi eis non possit sub poena apprehensionis bonorum vel pecuniaria? respondemus, quod nonnisi de consensu vel de mandato Episcopi aut eius Officialium Pastores antedictis matrimoniis assistentes non censeantur nec censeri possint nimis facile eis assistere, sed munere suo simpliciter funguntur, servantque regulam in similibus praescriptam, nempe ut illis tunc demum assistatur, dum Eppus aut eius officialis illis assistendum indicat; nempe ipsorum est de rationibus illos moventibus iudicare. Si qui autem pastores praefatis matrimoniis citra Episcopi aut eius officialis consensum assistere praesumant, hi nimiae facilitatis merito accusantur, neque functiones pastorales, ut decet, adimplent, ac proinde tamquam rei puniri debent. Sed non iudicamus haec fieri posse a potestate seculari, sed Episcoporum est taliter delinquentes corrigere, et punire, quia in materia, in qua delinquunt, nempe in functionum pastoralium exercitio Eppo directe subiecti sunt, non vero potestati seculari.

Quarto quaeritur, an et quomodo provideri potest usui Episcoporum Belgii Austriaci, promiscue petentibus concedendi dispensationes in bannis a Concilio Trid. praescriptis? Respondemus quidem, cum per Concilium Trid. prout perpetua consvetudo interpretata est, Epporum prudentiae et iudicio relictum sit, ut proclamationes matrimoniales remittere valeant, dum illud expedire iudicaverint: non videtur, quo pacto Secularis Potestas in dictis proclamationibus dispensandi usum Eppis iure competentem vel impedire valeat vel restringere. Non convenit quidem, imo fieri non potest, ut quibuscunque dispensationem hac super re petentibus hoc indiscriminatim aut sine delectu et sine iusta causa concedatur. At si hoc aliquando et quibusdam in locis contingat, Sanctae Sedis est huiusmodi abusibus obviare, ubi illos reipsa subesse cognoverit.

Quinto quaeritur, utrum non expediat penitus tollere Officialium usum, quo consensum parentum tutorumque supplere solent? Respondemus: Officiales Dioecesium proprie tantum examinant, utrum parentes aut tutores filiorum aut pupillorum suorum matrimoniis rationabiliter sese opponant, nec ne? nullatenus autem convenire videtur, ut ille Officialium usus immemorabilis tollatur, qui iudicare solent, utrum parentes aut tutores quoad filiorum pupillorumque suorum matrimonia causas rationabiliter dissentiant nec ne? causae quidem matrimoniales procul dubio ad Ecclesiasticos spectant, definiente Concilio Trid. Sess 24. can. 12: Si quis dixerit etc. Quis autem dubitat, quin dictae causae sint proprie matrimoniales? Proinde usum tollere, esset Iudicibus Ecclesiasticis causarum matrimonialium iudicium, quod ipsis de iure competit, denegare, et Concilii Trid. definitioni adversari. Unum est, quod fieri maxime expediret, et quo facto si non omnia, saltem multa mala eaque gravia tollerentur: nempe si S. Sedes absolute et omnino irritare dignaretur scandalosa ista matrimonia, quae toties coram Parochoquidem, sed prorsus invito ac reluctante, contrahuntur, et ex quibus funesti exitus, familiarumque turbatio sequuntur. — Decanus et Doctores SS. Theologiae. Lovanii 12. Ian. 1759. — *Raccolta dei*

Rapporti della Sessione recente della Congregazione straordinaria. Roma. 1815. III. 2. p. 225. (*ex Tabul. Vatic.*)

Mon. 52.

Epistola Nuntii Bruxellensis dd. 26. Mart. 1759. qua iudicium facultatis Summo Pontifici gratum fuisse significat.

Responsiones, quas propositis ab hoc Gubernio quaestionibus dedit Theologica Facultas, quo exceptae fuerint animo a Summo Pontifice, iure oportet nos instructas reddere eximias Dominationes Vestras. Itaque sicuti illas desiderare non poterat meliores ad reiiciendas quaslibet novitatum ideas, et ius Ecclesiae privativum stabiliendum in materia, quae agitabatur: ita nedum probavit prudentem agendi rationem a me expositam, qua Facultas in hoc negotio processit, verum etiam summopere laetatus est Sanctissimus Pater prospiciens incorruptam a vobis doceri sanam solidioremque doctrinam. Hinc paternae suae grataeque benevolentiae vos reddit certiores, obtestaturque constantes esse in eisdem Catholicae Ecclesiae dogmatibus docendis, dum vos securos reddit tum de egregia Sedis Apost. benevolentia erga Universitatem vestram tuendam et augendam, tum de propria voluntate ad eius benevolentiae testimonia exhibendum in privatum singulorum commodum. — Bruxellis die 26. Martii 1759. H. AEppus Damascenus.

Mon. 53.

Cardinalis ab Althan Eppus Vaciensis concessionibus per Carolum 3. Regem acatholicis factis intercedit. A. 1731.

Augustissime etc. Innatae pietatis Maj. Vestrae clementissima dignatione, invictissime Caesar, mihi concessum est, ut de rebus Hungaricis ad Religionem R. Cath. spectantibus dissererem; et ea gravitate, quae Episcopum deceat, et ea modestia et obsequio, quae addictissimum subditum non

dedecent, alloquor meum Principem, cui ex avita Domus Austriacae devotione apprime insidet religionis amor; alloquor apostolicum Hungariae Regem meum, cui ex sanctorum praedecessorum fervore plene connectitur fidei propagandae perenne studium et decus; alloquor summum Ecclesiae Advocatum, cui assidua cura inest, tutamen parare, et ad triumphos tam piam matrem erigere. Unde sita spe deiici quis pavebit, quin protinus imploratum patrocinium, robur et opem religioni, pietati ac fidei Maiestatem Vestram laturam iucundissime sentiat? Statim ac per Regium L. Consilium prodiere nonnulla puncta, ad acatholicos Hungariae incolas spectantia: fateor me animo concidisse, quum ovile mihi commissum periclitari pertimescerem, et virus pestiferum haereticae pravitatis quaquaversus serpere cogitarem. Perstrepente igitur conscientia et insonante voce Domini per Ezechielem prolata c. 37: „Haec dicit Dominus Deus: ecce ego ipse super pastores requiram gregem meum de manu eorum,“ quem quaerere fas fuit, ut Episcopali muneri et ovium mearum periculo praesto essem. Quoniam mihi ex tabulis et monumentis Hungaricis compertum esset, qua semper vi et libertate Praesules huius Hungarici regni gliscentibus haereticis restiterint: illorum vestigiis insistere mei muneris esse duxi. Cardinalis Forgáchius olim AEppus Strigoniensis et Regni Primas una cum Episcopis et Cleri ordinibus contra Pacificationem Viennensem a. 1606. cum haereticis initam aeque lacrymis et atramento exaratam protestationem ad Rudolphum pro incolumitate Religionis R. Cath. ferventissime dedit; eodemque exemplo usi sunt etiam posteriori aetate successores Episcopi eiusdem regni, ut notum palam est. — Haec recensere oportuit, clementissime Caesar, ut Maiestas Vestra et praecedentium et modernorum Hungariae Episcoporum angustias anxietatesque recolere dignaretur, quum gregi catholico et apostolico regno periculum parari animadverterint ex indulgentia in haereticos effusa. Indeque si cura gravis me angit, dum eadem et maiora recurrunt incommoda, ac religioni impendent mala, Vestra saltem Maiestate audiente ac commiserante levabor, quum eadem et praeteritorum praesulum sit et mei sollicitudo

pastoralis officii. Et sane si puncta aut articuli per Consilium L. R. postremo vulgati perpendantur attentius, fiet planum, quantum catholicam Hungariae avitam religionem concutiant, catholicisque gregibus perniciem minitentur. Hac de re ad Maj. Vestram orationem demississime instituo: confirmatis in primo puncto antiquioribus diaetalibus statutis de concessa haereticis sive Aug. sive Helv. Conf. libertate, etsi numquam moriturae contra illa vigeant repetitae Episcoporum Clerique reclamationes ac ferventes protestationes, nova extenditur in sequentibus punctis — facultas: ut plures haereticos ministros ab aula Regia impetrare ipsi haeretici valeant, aegrotosque captivos visitare non prohibeantur; superintendentes exmittuntur, qui ministros in secta dirigant et regant; compelluntur acatholici una cum catholicis sacris consvetis processionibus interesse, et admittitur, ut homines disparis religionis coram parocho catholico copulari sinantur. Haec breviter in primo et sequentibus punctis diaetalibus sparsim comprehenduntur. Satis constat, huius generis statuta quo ampliora pravae confessionis hominibus privilegia clargiri gestiunt, eo angustius reddunt episcopale et ecclesiasticum munus ac regimen. Subsunt pastorali sollicitudini et oves catholicis imbutae disciplinis, et oves haeretica labe infectae: illae, ut dirigantur, ne pereant; istae, ut sanentur, et ut eas ad ovile revocare satagamus. Sed quorsum potestas est eas ad caulas ecclesiae reducendi, si labor impendendus contrariis solvitur beneficiis; confirmantur haeretici in errore ac schismate, quod in Ecclesiam conflant, dum suis committuntur praesidibus; augentur vires, quibus petulantia quodcunque imperium detrectare conantur. Subiici parochis haereticos, in coniugiorum ministerio eos ad catholicos ritus cogere, ut externum famulatum praestent? Nonne margaritas canibus proiicere nefas est, illorumque ludibria ciere? Utinam super nos non lugeat adhuc Isaias cap. 22. v. 9. quum periculum exhibet dicens: erga scissuras civitatis videbitis, quia multiplicatae sunt!

Longe tamen acerbius angit episcopale ministerium quintum punctum: quo intolerabile ipsi iugum imponitur iudicandi causas matrimoniales inter haereticos exorituras

iuxta eorum principia. Appello piissimum aeque ac catholicum Caesarem, si hanc possit institutionem ferre Ius Ecclesiasticum, Religio, Fides! (ut sileam de dignitate catholici Antistitis et venerabili nomine) ast cuiusmodi sunt haec haereticorum principia? quaenam iura eorum ac leges? Discimus enim ab Ambrosio serm. 20. in Ps. 118: „Quod bonus iudex nil ex arbitrio suo facit, sed secundum iura et leges pronunciat.“ Discimus a communi doctorum coetu, iudicem ad iudicandum obstringi iuxta leges publicas, divinas et humanas, quae rationi conformes, semper ad communem reipublicae utilitatem et bonum conferunt. An huiusmodi sint principia haereticorum Aug. et Helv. Confessionis? unum est enormiter a naturali dictamine abhorrens de dissolubilitate vinculi matrimonii, in aliqua rerum contingentia. Lutherus, Philippus Melanchton, Brencius, Calvinus, ceterique eiusdem furfuris doctores pertinaciter tradunt, ex causa adulterii vinculum matrimonii solvi posse. Idem Lutherus serm. de matr. instituit: Matrimonium inconsultis parentibus celebratum debere ac posse solvi. Illi adstipulantur Bucerus, Brencius, Kemnitz. Porro Lutherus docet: Si falsus christianus christianam coniugem deserat, vel si alter coniux alterum ad furtum, aut aliud crimen provocet, vel si ob frequentes rixas molesta sit cohabitatio cum priore coniuge, vel si alter coniugum diu absit ab altero, vel si pauper cum divite contrahat, et convivere impediant amici et affines divitis, pauper ad alias nuptias convolare potest. Neque hic subsistit errandi auriga, siquidem Bucerus pronunciat: matrimonium solvendum esse, quoties unus ex coniugibus alteri stomacho est, quacunque ex causa id contingat, perinde ac si matrimonium nugacibus soleat contrahi verbis, ac per iocum celebrari. Contemnunt haeretici ecclesiasticas leges, quibus etiam imperiales suffragantur, decernentes impedimenta dirimentia matrimonii, ultra ea, quae divino iure interdicuntur; et similia alia commenta evomunt in perniciem societatis humanae, quorum quidem longum foret seriem texere ac refellere. Portenta siquidem haec erroris sunt, non principia sequenda. Verum principium hoc est a Concilio Tridentino sub anathemate definitum: quod legitur

Sess. 24. de Sacr. Matr. can. 7. in haec verba: „Si quis dixerit, Ecclesiam errare, quum docuit ac docet iuxta Evangelicam et Apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius coniugum matrimonii vinculum non posse dissolvi, et utrumque vel etiam innocentem, qui causam adulterio non dedit, non posse altero coniuge vivente aliud matrimonium contrahere, moecharique eum, qui dimissa adultera aliam duxerit, et eam, quae dimisso adultero alteri nupserit, anathema sit.“ Aliud itidem verum principium est, quod ab eodem traditur Concilio de Matr. c. 1. de ref. in haec verba: „Iure damnandi sunt illi, qui false affirmant, matrimonia a filiisfamilias sine consensu parentum contracta irrita esse, et ea parentes rata et irrita facere posse.“ Sed quod pluris est, habemus hac de re ipsius Christi amplissimum testimonium, quum Marc. 10. Luc. 10. de matrimonii indissolubili lege dissereret: rogatus a Pharisaeis, an liceret uxorem dimittere quacunque causa? respondit: quod Deus coniunxit, homo non separet; et iterum a discipulis pressius interrogatus, ait illis: quicunque dimiserit uxorem suam, et aliam duxerit, adulterium committit super eam, et si uxor dimiserit virum suum, et alii nupserit, moechatur. Evertit Christus una cum Pharisaeis haereticorum commenta, qui erroneas et scandalosas quaestiones in ecclesia excitando, plebem et pastores tentare moliuntur. Ad Scripturam igitur et traditionem mittendi sunt, ut discant regulas et principia, ad quae omnia dogmata sive ad fidem sive ad disciplinam pertinentia examinari et iuxta illa iudicari debent. Non mores hominum, non consvetudo, etiam tolerata, sed lex Dei, Evangelium, Apostoli, consulta ss. Patrum, sacri canones, in re tam gravi consulendi sunt, et omnia ad fontem revocanda. — — Non me latet, potentissime Caesar, plurimos ex haereticis nostri temporis matrimonio eripere vim et nomen Sacramenti, alios etiam orthodoxos doctores contendere, matrimonium inter haereticos initum ad Sacramenti apicem non elevari. Sed primum a quocunque catholico nedum antistite reprobari debet, alterum ad propositam controversiam parum aut nihil refert. Esse quidem sacramentum, quum secundum C. Tridentini celebrem sanctionem in Ecclesiae facie initur, nullus dubitat; sed in eo causae fir-

mamentum minime collocandum duco ob Theologorum hac in re dissitas opiniones; negare tamen, quod matrimonium etiam iuxta legem naturalem in vi contractus civilis semel ac legitime contractum indissolubilitatem vinculi secum ferat, summa pervicacia est, eo vel maxime, quum ab Evangelicis ficto nomine se ita nuncupantibus, misere evomitur. — Numquid decet Episcopum sua iura transgredi, ut morem gerat haereticis, conantibus Deum et naturam corumque leges pervertere? Terret me, terret omnes, et nimis iuste illa Ambrosii sententia, qua homines adeo vacillantis animi, cuius sunt haeretici, ex corde increpat, dicens: Dimittis ergo uxorem, quasi iure, sine crimine, et putas id tibi licere, quia humana lex id non prohibet; sed divina prohibet; qui hominibus obsequeris, Deum verere; audi legem Domini, cui obsequuntur etiam qui leges ferunt: quae Deus coniunxit, homo non separet. Satis superque, fateor, de iniuria nobis, imo quibusvis iudicibus catholicis illata actum est, qua trahuntur ad ferendum iudicium super haereticorum coniugiis ex illorum principiis.

Nunc postreme oculis Maj. Vestrae subiiciam sextum punctum decreti Consilii R. L. in quo apostatae, praecipue ex haeresi primo conversi ad fidem catholicam, iterumque ad haeresim revertentes poenis arbitrariis plectendi Magistratui seculari admittuntur. Labat hoc decreto Eppalis potestas, resque Ecclesiae pessumeunt, imo animabus lucrandis semita intercluditur. Compertum omnibus est, causas fidei ad ecclesiasticum spectare tribunal, ut omnibus canonicis legibus sancitum est, quas recensere supervacaneum puto, cum notissima res sit. Inter causas autem fidei numerari apprime debet illa Apostatarum, quorum crimen turpissime offendit religionem catholicam; sicuti pariter exploratum est porro ex legibus Hungaricis ab ipsis exordiis regni, nempe a S. Rege Apostolico Stephano statutum fuisse: Ut Eppi habeant potestatem res ecclesiasticas providere, regere et gubernare atque disponere secundum canonum auctoritatem. Lib. 2. decr. — Idem explicat ac confirmat Ferdinandus I. a. 1553: 22. in haec verba: iudicia spiritualia continue secundum canones, quibus Ecclesia ab antiquo usa est, continuentur in omnibus

causis forum eccles. concernentibus. Quod rursus repetitum legere est a. 1563: 28. Dimissam itaque credimus potestati episcopali illam auctoritatem iurisdictionemque, quam sibi iure ex canonicis sanctionibus catholici Praesules vindicant: quis autem excipiet causas fidei, quales sunt causae contra Apostatas; quis contra sacros canones, quis contra reliqua Hungariae statuta, quis contra laudatos insignes Apostolicos Reges iniuriam retorqueat? Illud etiam sedulo advertendum est, quantum videlicet ex hoc decreto iustitiae, fidei, bono communi, et animarum lucro damnum importetur: iudex secularis culpam poenis ulciscitur, sed saluti aeternae criminosi curationem non adhibet; e contra ecclesiasticus iudex primo ac potius prospicit, ut peccator ex corde resipiscat, quam ut promerita poena reatum purget et absolvat. Hinc sacri canones ad salutarem peccantium contra fidem correptionem plurimum intenti consulto hanc provinciam animadvertendi in haereticos et apostatas Episcopis demandarunt; quorsum itaque tam venerandum iudicium pastoribus animarum eripitur, ut neglecta qualitate culpae adeo enormis poena arbitraria apostatae plectantur ex incompetenti tribunali: quum poena in exemplum cedat aliorum, et modus poenae animae delinquentium medelam accersat. Suum itaque maneat Episcopis ius, ut ubi res animarum aguntur, sit munus pastoralis sollicitudinis disceptare et decernere. Episcopi enim ad avertendam a sontibus aeternam perniciem, ut verbis utar Gregorii Nazianzeni, desperant, sed non desperantes persecutionem commovent, sed amantes; quia etsi foris increpationes per disciplinam exaggerant, intus tamen dulcedinem per caritatem servant.

Haec sunt, sacratissime Caesar, quae ex munere meo explanare debui, et Maiestati Vestrae humillime exponere. A statutis Hungaricis, a more maiorum, in pastorali regimine eiusdem regni, ab obsequio perenniter regi meo debito non discessi. Quid igitur dulcius mihi contingere potuit, quam ut clamarem ad piissimum Imperatorem, et apostolicum Regem, Ecclesiaeque fortissimum Advocatum, cui nihil antiquius est, quam religionis causas audire, eiusdemque incolumitati prospicere: causa igitur omnibus iuris praesidiis munita agitur,

de evertenda haeresi, ac profligandis haereticis, de quibus probe scripsit Apostolus 2 Tim. 3: mali autem homines et seductores proficient in peius, errantes et in errorem mittentes. Ab his malis nisi brachium Maj. Vestrae nos eripiat, et gregem nostrum, cuncti dilabimur sub tot hostium catholici nominis perpetuis insidiis. Incrementum illorum detrimentum nostrum est, et si misereamur impio, non discet iustitiam, ut de his prophetavit Isaias c. 26. Eversio religionis catholicae ad eversionem regni sternit viam; atque experientia compertum est, dissidiis frangi, quod unitate firmatum. Extende igitur, potentissime Caesar, brachium tuum cum potentia; dissipa gentes, quae bella volunt adversus doctrinam Ecclesiae Catholicae; instrue Episcopos, ut sua potestate evellant et destruant, aedificent ac plantent in hac, qua fruimur, pace; ne permittas, obsecro, ut una cum suo grege pastores exclamare debeant: pax, pax, cum non esset pax; ne ingemiscere cogamur dicentes: expectavimus pacem, et non erat bonum tempus medelae, et ecce formido. Et quoniam hucusque pervenit oratio mea, clementiam Maj. Vestrae exoro, ut benigne accipiat sollicitudinis pastoralis officium, quo creditum mihi gregem complector; et in argumentum fidelitatis meae, qua obstringor erga Maj. Vestram, studium meum non aliud est, quam bene consulere subditis suis, populoque divina largitate Domino suo apostolica feliciter commisso; atque candide proferre verbum sanum et irreprehensibile, ut is, qui ex adverso est, vereatur. Oportet enim Eppum esse, iuxta monitum Apostoli, amplectentem eum, qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem, ut potens sit exhortari in doctrina sana, et eos, qui contradicunt, arguere. Illius minae me angunt, qui angelo, id est, Episcopo Tiralliae denunciare iussit rationem redditurum esse, qui permittis, ait, mulierem Jesabel, (haereticam pravitatem iuxta plures SS. Patres) quae se dicit prophetiam docere, et servos meos seducit; servos quidem illius, qui propitiatorio suo sangvine regeneravit nos in spem vivam, in haereditatem incontaminatam, immarcescibilem, conservatam in coelis. —

Mon. 54.

Idem contra Resolutionem Caes. etiam coram Comitatus Pestiensis Universitate protestatur — 1731.

Michael Fridericus etc. Cum per epistolas Consilii Locumtenentialis diebus retro elapsis ad me pervenerint nonnulla puncta in materia Religionis, fundata in aliquibus articulis Diaetalibus (ut inibi innuitur), contra quos non solum Clerus sed et totus Status Catholicus Regni se opposuerunt, quae non sine acerbitate et insimul horrore mei animi perlegi, utpote in eis contenta, quae Catholicae Fidei, divino cultui, animarum saluti, et Apostolicae Sedis auctoritati, iurisdictioni, libertati, privilegiis, praerogativis ac iuribus quibuscunque officiunt, et diametraliter opponuntur: hinc est, quod etiam inhaerendo Protestationibus peractis a praefato toto Clero et Statu Catholico Regni contra non dissimilia praeiudicia orta de an. 1608. signanter vero contra diaetalem articulum 25: 1681. et omnes alios subsequentes in negotio Religionis, ut gravissimo Pastoralis officii mei debito pro ovibus mihi commissis pretiosissimo Christi sangvine redemtis satisfaciam, per praesentes coram SS. Trinitate, et Beatissima Virgine Maria sine labe concepta, et omnibus Sanctis, totaque Inclyta Universitate Comitatuum Pest, Pilis, et Solth artic. unitorum in civitate Pestiensi congregata solemniter protestor contra omnia contenta in praefatis punctis, nec non contra omnia et singula praeindicia, quae inferre seu intulisse vel alias nocere, seu nocuisse quoquomodo dici, censeri, praetendi, vel intelligi possent; simul omnia et singula inde secuta, et quomodocunque secutura ipso iure nulla, irrita, invalida, inania, iniusta, reprobata ab ipso initio fuisse et esse, ac perpetuo fore, nec ad illorum observantiam ullum Catholicum meae Dioecesis teneri, imo nec contenta in illis ullatenus a quopiam observari potuisse ac debuisse, aut posse et debere, neque illa ullum statum facere vel fecisse, sed perinde ac si numquam emanassent, nec facta fuissent, pro non extantibus et non factis perpetuo, quantum in me est, et per meos Dioecesanos haberi volo, et iterum sic solemniter protestor. Et inte-

rim per praesentes appello ad Sanctissimum Dominum nostrum in terris Iesu Christi Vicarium, Dom. Clementem divina providentia Papam XII. eiusque S. Sedem Apostolicam, quae in materia fidei sola infallibiliter (utpote columna et firmamentum veritatis) discernere, declarare, decidere, et definire novit, cui ego omnimode et firmissime adhaereo, et obedientissime me submitto. Datum Vacii in episcopali Civitate die 23. mensis Maii a. D. 1731. — *Ex Tabulario Dioec. Vaciensi.*

Mon. 55.

Eppus Nitriensis Resolutioni Regiae pro favore Acatholicorum editae contradicit, a. 1731.

Inclyti Status et Ordines! Cum firmissime cuique supponendum sit, Augustissimum ac Sacratissimum Imperatorem Regemque nostrum Apostolicum ab avita suorum gloriosissimorum, invictissimorumque atque pientissimorum maiorum sive Caesarum sive Hungariae Regum Religione ne latum quidem ungvem deflexisse, aut velle deflectere: idcirco quoque par aequumque est arbitrari, ut praesens eiusdem Sacratissimae Maiestatis benignum Mandatum in negotio Religionis ex Excelso Locumtenentiali Consilio Regio emanatum recensque perlectum eo sensu intelligatur accipiaturque, qui nullum afferat orthodoxae fidei et sanctae Dei Ecclesiae praeiudicium, animarumque saluti detrimentum. Si tamen idem Regium Decretum imbibitum quidpiam haberet, contineretque, quod Divinis Literis, Oecumenicis Conciliis, unanimi SS. Patrum consensui, et universali Ecclesiae doctrinae minus congrueret, intuitu et respectu huius totius Excellmus ac Rmus D. Comes Ladislaus Adamus Erdödy veluti almae Dioecesis Nitriensis Ordinarius pro suo munere pastorali protestandi, reclamandi, et contradicendi reservavit quemadmodum et reservat facultatem. Ego vero hanc declarationem pro futura orthodoxae fidei et catholicae religionis firma cautela Protocollo inseri desidero. Ioannes Magin, Canonicus Nitriensis et Plenipotentiarius Eppalis.

Mon. 56.

Eppus Nitriensis Consilio Regio Locumtenentiali declarat : causas matrimoniales Acatholicorum in Sedibus spiritualibus Catholicis haud secus, quam iuxta principia Ecclesiae cath. tractari diiudicarique posse, a. 1731.

Posteaquam Exc. Consilium benignam Suae Maj. SSmae Dni Dni nostri Clementissimi dd. 27. Mart. a. c. ad Acta Commissionis Pestiensis in negotio Religionis emanatam resolutionem mihi qua Dioecesano transmittere dignatum fuisset, omnem in eo impendi sollicitudinem, qualiter haec benigna Suae Mattis resolutio, salvis ac illibate permanentibus Catholicae Religionis principiis, executioni mandari posset. Verum ubi emanatam resolutionem diligentius perlustrassem, ac maturius combinatis combinandis ruminassem, signanter quoad puncti 5 paragraphum ultimum, qui sic sonaret : ‚Matrimoniales porro causas fundamento positivarum Regni legum iudiciis dioecesanis Epporum ita substerni, ut hi illas iuxta principia Augustanae et Helveticae Confessionis diiudicent, admissa inde ad AEppum appellatione', mox non modo maximam adinveni difficultatem, verum etiam quasi impossibilitatem. Ne tamen privato duntaxat meo in tam gravi materia fidam iudicio, et simul ne per taciturnitatem ac veluti negligentiam meam (ob quam ad pastores animarum gravissima est comminatio apud Ezechielem Prophetam toto cap. 34.) pastorali deessem officio, hanc ipsam SSmae Suae Mattis mihi ab Exc. Consilio transmissam resolutionem cum Capitulo meo communicandam decrevi atque etiam communicavi. Quo facto idem Capitulum meum rem sibi a me commissam diligenter, iteratis etiam sessionibus sumendo in considerationem et trutinam, ac demum mecum etiam considendo, dum rem praesentem pro gravitate eiusdem cum eodem Capitulo meo adhuc pensitassem, et cum sacris canonibus patriisque legibus combinassem, id, quod unanimi voto ac consensu adinventum est, Exc. Consilio R. debito cum respectu perscribere necessarium esse duxi.

Praemissa uimirum beuiguae Resolutionis Regiae puucta, in quantum Religioni Cath. praeiudiciosa et iude ab origine sui sub continua Cleri et Catholicorum coutradictione et protestatione existerent, cum humillima eaque homagiali erga Suam Sacr. Mattem reverentia et deprecatione tolerare nos quidem debere, at vero ad mentionati § acceptationem et tanto minns observationem ueque nos, sed neque reliqnum, uti firmiter tenemus, Huugariae Clerum accedere, aut consentire posse ex rationibus sequeutibus censemus : *Primo :* quia practerquam quod lib. II. S. Stephani Protoregis Hungariae cap. 2. per expressum declararetur ‚ut Eppi habeant potestatem res ecclesiasticas providere et guberuare atque dispensare secundum canonum auctoritatem'; articulo quoque 22 anni 1553, et 27 : 1563. necnon 25 : 1567. clare praescriberetur, ut causae spirituales (qnales essent dictamine artic. 70 : 1618 in artic. 29 : 1723 confirmati, et 31 : 1638 signanter causae matrimoniales) in foro spirituali iuxta canones diiudicentur; etiam Tit. 107. Partis I foro spirituali suffragaretur, dum consaugvinitatem usque ad quartum gradum secundum sacros cauoues et regni quoque legem connnbia impedire declararet; neque obstaret, quod praecitati articuli conditi fuissent ante permissum Aug. et Helv. Confessionem profitentibus iu hocce regno publicum exercitium, utpote quod in anuo primum 1606 et 1608. per Pacificationem Viennensem publicatum extitisset, siquidem neque occasione ea quoad forum spirituale, aut etiam causas matrimoniales quidpiam immutatum extitisset, verum pronti antea, ita et expost fora spiritualia in usu diiudicandarum causarum matr. omninm Regnicolarum, adeoque absque ullo religionis discrimine iuxta dictamen ss. canonum ad haec usque tempora perstitissent. *Secundo*, quod iidem Aug. et Helv. Confessionis sequaces, quemadmodum acephali essent, capiteque et iudice controversiarum decidendarum carerent, ita neque principia certa in suis Agendis, uti illi vocant, catholici vero Ritualia dicimus, habere dignoscerentur; hinc esset, quod esto a tempore tolerati in hocce reguo Hungariae publici Confessionum ipsorum exercitii tria iam Conventicula (Synodos) utpote Solnense sub Palatino Georgio Thurzo Lutheri assecla de a. 1610, Szepesvárallyense de a.

1614, in quibus Agenda quaepiam universalis pro 12 Comitatibus ibidem congregatis promittebatur sed nusquam comparuit, et Rosenbergense de a. 1707. publica lege, articulo quippe 31 et 32 : 1715. damnatum celebrassent, nullo tamen horum, imo neque ipsa Augustana Confessione per Philippum Melanchtonem Carolo 5 Imperatori a. 1530. Augustae Vindel. porrecta mediante semet a iudicio Sedium spiritualium Catholicae Ecclesiae subtraxissent, aut si id etiam aliquando tentassent, universaliter in effectum deducere valuissent. Nec mirum: qui etenim neque de numero Sacramentorum intra se convenire possunt, quomodo in principiis causarum matrim. concordabunt? Inde factum, quod iidem Aug. et Helv. Confessioni addicti in his saltem partibus Regni cum impedimentis dirimentibus contrahere volentes numquam sunt absque legitima dispensatione matrimonium eiusmodi celebrare permissi, quinimo ipsimet pro ea obtinenda ad Iudices Ecclesiasticos catholicos recurrere consveverunt; prout neque ob adulterium alterius coniugum vel alias quascunque praetensas causas ab invicem quoad vinculum matrimonii separari. *Tertio,* quia C. Tridentinum, ad quod Eppi, Canonici, Clerus, et omnes in Universitatibus graduandi iurant, et aliunde quae in eo dogmatica sunt, ab omnibus recipi et observari debent, inRegno Hungariae quoad matrim. causas et ipsarum solemnitates usu receptum est, siquidem a tempore dicti Concilii, imo in nonnullis ad mentem lib. II Colom. Regis cap. 15. etiam antea, omnia fora spiritualia Hungariae iuxta praescriptum mentionati Concilii causas matr. diiudicassent; quod tamen Concilium Sess. 24. de Sacr Matr. can. 5 sic habet: ‚Si quis dixerit, propter haeresim aut molestam cohabitationem aut affectatam absentiam a coniuge dissolvi posse matrimonii vinculum, anathema sit'; can. 7. sic: ‚Si quis dixerit, Ecclesiam errare cum docuit et docet, iuxta evangelicam et apostolicam doctrinam propter adulterium alterius coniugum matrimonii vinculum non posse dissolvi, et utrumque vel etiam innocentem, qui causam adulterio non dedit, non posse altero coniuge vivente aliud matrimonium contrahere, moecharique eum, qui dimissa adultera aliam duxerit, et eam, quae dimisso adultero alii nupserit, anathema sit.,

E contra vero Augustana et Helvetica Confessio e diametro prorsus opposita Catholicae doctrinae habet principia. Quale est 1. ipsius Lutheri lib. de vita coniugali, sermone de matrimonio Tom. II. Ienen. et alibi passim repetitum, inter reliqua impium illud et castarum aurium offensivum principium, ut aegrotante aut marito suo debitum negante uxore ‚si non vult domina, veniat ancilla'; item Tom. V. Lat. Vitteb. in I Cor. 7. ubi docet, quod ‚si alter coniugum ex iracundia separatus in gratiam redire nolit, alter poterit cum alio contrahere, ac si ille diem suum obiisset.' Prout et illud cum apostolica et evangelica doctrina aperte pugnans, adeoque non minus damnandum tum Aug. tum Helv. Confessioni addictorum alterum principium, quo mediante coniuges adulteri separandi ab invicem, et ad nova vota libertandi docentur: quod ipsum expresse tradit et docet etiam celebris ille apud Aug. Conf. profitentes ICtus Carpzovius in opere suo definitionum eccles. seu consistorialium edito Lipsiae a. 1665. lib. 2. tit. 11. de divortio defin. 190. Imo defin. 192. cum pluribus suorum docet dissolvi matrimonium per malitiosam desertionem coniugis,quam ibidem num. 4. explicat sequentibus verbis: ‚quando nulla coactus honesta causa sed vel levitate vel impatientia froeni coniugalis iniusta aliisve non necessariis causis impulsus coniux a coniuge discedit'; et num. 6. sic concludit: ‚quidni ergo tunc parti desertae novum matr. inire fas est?' hinc num. 16. cum Luthero taliter concludit: ‚quodsi desertor malitiosus ex causa non necessaria nec probabili absens, solenniter citatus non comparuerit, ac Magistratus auctoritate et consensu persona deserta aliud inierit coniugium, tantum abest desertorem postea redeuntem coniugemque desertam sibi restitui petentem audiendum fore, ut poenis potius sit subiiciendus et in exilium mittendus.' Ibidem etiam definit. 193. num. 6. nominatus Carpzovius cum Luthero et suis plurimis docet posse dissolvi matr. quoad vinculum, ‚si uxor, quam maritus virginem esse credidit, fuit ab alio corrupta, et gravida reperiatur.' Ac defin. 194. concedit, ‚quod stuprata possit tunc alteri praesertim stupratori nubere relicto priore coniuge.' Demum in speculo iuris universi ‚Christiani Gastel'

Lutherani, Electoris Saxoniae Consiliarii, Francofurti a. 1675 editi cap. 25. n. 189. fol. 418 praeter allatos hucusque modos dissolvendi matrimonia haereticorum ex alio ibidem citato lutherano auctore docet ad verbum: ‚ob morbum inevitabilem, si pars valens sese continere nequit, permittitur aliud matrimonium.'

Si ergo Iudex Ecclesiasticus Catholicus iuxta praememorata et alia similia Acatholicorum principia causam aliquam matrimonialem decidere praesumeret, aut ob hoc non factum appellatio ad AEppum fieret, nonne maledicto et anathemati Ecclesiae tam primae instantiae quam et appellatus Iudex semet subiiceret et innodaret? et hoc tanto magis, quod Praelati Ecclesiarum decreta Concilii Tridentini observare, causasque fori spiritualis coram iisdem vertentes tam intra quam extra iudicium secundum eadem iudicare, iurata fide obligentur: si quis autem secus facere praesumeret, indignationem Omnipotentis Dei et beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius (prouti Pius IV Pontifex Maximus in bulla confirmationis praedicti Concilii decernit) se noverit incursurum.

Neque esset eadem ratio assistentiae parochi catholici matrimonio personarum disparis religionis, v. g. catholici cum lutherana, et diiudicationis causarum matrim. personarum acatholicarum iuxta principia earumdem. In primo siquidem casu parochus nihil ageret contra principia catholica, verum assisteret sacramento matrimonii iuxta principia catholica, cuius sacramenti gratiae quod una pars utpote acatholica obstaculum poneret, et per hoc semet participationis gratiae incapacem redderet, id esset per accidens. Ast ecclesiastico catholico iudici aliquid plane iuxta principia acatholica facere et decidere longe diversum a catholica professione censetur: siquidem prout ex principiis catholicis conclusionem catholicam, ita ex principiis haereticis nonnisi haereticam vel certe haereticalem consequi oportet. Nec refert, quod art. 25 : 1681. cautum haberetur, ne Aug. et Helv. Confessioni addicti ad ceremonias confessioni suae contrarias compellantur. Iudicia siquidem fori spiritualis ceremoniae non sunt, verum positiva et saepius iterata patriae lex, uti puncto primo remonstratur, ad cuius observantiam non minus in

reguo degentes acatholici quam ipsi catholici obligantur. Nec demum relevaret, si diceretur, contractum matrimonialem esse contractum pure civilem; quia etiamsi id ipsis concederetur, iudex tamen eccles. catholicus, apud quem matrimonialis contractus de fide sacramentum est, eundem iuxta catholica principia diiudicare debet.

Ex his proinde et aliis, compendii gratia omissis, in doctrina sana, et catholica, sacris quippe literis, iure canonico, et patriae legibus, fundatis reflexionibus Exc. Consilium Loc. Regium altissimo suo iudicio iudicare poterit, num citra censurarum incursum atque adeo absque gravi peccato ac salutis animae iactura saepius memorata Resolutio, signanter quoad attactum puncti quinti paragraphum per Eppos effectui mancipari possit? Spero proinde firmiter, quod si Exc. Consilium difficultates illas, scandala, et consequentias, quae ex doctrina et principiis acatholicorum circa causas matrimoniales ex ipsismet eorumdem auctoribus excerptis et isthic fideliter relatis in perniciem Reipublicae Christianae promanare dignoscuntur, Suae Matti SSmae repraesentaverit, eadem Sacra Maiestas benignam resolutionem suam adminus quoad praecitatum § ad regulam potius Catholicae Religionis principiorum hactenus etiam in Regno Hungariae indiscriminatim observatam, tamquam piissimus Princeps pro Regis Apostolici munere benignissime reducere dignabitur. Datum Nitriae ex Consessu die 18 Octobr. 1731. Ladislaus Adamus Comes Erdődy, Eppus Nitriensis. — *Ex Tabulario Dioec. Nitriensi.*

Mon. 57.

Opinio Curiae Regiae Hungaricae de iudicatu fororum ecclesiasticorum in causis matrimonialibus et earum accessoriis. 1770.

Sacratissima etc. Dignabatur Maj. Vestra mediante benigno mandato suo ad Seren. Ducem Locumtenentem Regium directo Curiae suae clementer iniungere, quatenus advoluta et in haereditariis provinciis suis iam introducta

Spiritualis Iudicii norma per Deputationem sub praesidio Com. Dőry considentem in deliberationem sumatur, libretur, atque consilia super eo ineantur, qua nempe ratione eadem norma in hoc etiam Regno Hungariae stabiliri valeat, necnon quorum iudicatui causae tales pro qualitate obiecti et personarum assignandae veniant; haec demum omnia per Curiam in pleno assumta et discussa cum voto et opinione eiusdem benignissimo obtutui humillime substernantur. In obsequium ben. huius mandati praefata Deputatio opinionem suam materia in praesenti eo, quo hic advolvimus, modo deprompsit, et Curiae huic Maj. V. SS. exhibuit.

„*Opinio Deputationis per SS. C. et R. A. Maiestatem ex Commembris Curiae in materia iuridica clementer ordinatae in ordine ad causas matrimoniales, sponsaliorum, et divortii per fora ecclesiastica iudicari solitas.* Benigna mens et intentio Suae Maj. SSmae illa, ut fora spiritualia in causis matrimonialibus, sponsaliorum, et divortii, super horum quidem validitate aut nullitate ferrent iudicium, accessoria tamen velut secularem substantiam concernentia in discussionem haud sumerent, sed horum intuitu partes ad competentem instantiam secularem inviarent: legibus Regni quemadmodum non disconvenit, quinimo in illis, signanter Tit. 52 P. II. item art. 15: 1647. et aliis fundari observatur adeo, ut mandata etiam declinatoria, quibus sub amissione beneficiorum fora ecclesiastica ut obtemperent praecipitur, per easdem regni leges hoc fine constituta esse dignoscantur; ita parte in hac clementissimam Suae Maj. SS. mentem et intentionem legibus regni conformem in Regno Hungariae porro quoque observandam, ac, in quantum seu causantium beneficio legum uti intermittentium facto, seu aliter a scopo legum digressum esset, catenus speciali etiam lege provideri posse censeri, consequenter ne in posterum ambiguitas aliqua supersit, neve fora ecclesiastica in ea, quae ad iudicia eorum non pertinent, tractanda semet immittant, per expressum sequentia pro clariori exprimenda existimari. Nimirum, ut fora spiritualia in causis matrimonialibus, sponsaliorum, et divortii, super horum quidem validitate aut nullitate ferant indicium, accessoria tamen in discussionem non sumant, verum eorum

intuitu partes ad competentem instantiam secularem invient, per consequens ad determinationem non solum dotum, seu competentis quanti, verum etiam sumtuum puerperii, et intertentionis prolis, tametsi cum querela deflorationis per impregnatam pars una praetendat, non secus alimentorum in causa separationis matrimonii Consistoria Ordinariorum, aut quicunque Ecclesiastici nulla ratione se immittant, verum in omnibus praeallatis casibus, imo etiam quoad benevole coram ipsis inter partes accordatum quantum executionem non decernant, sed in uno aeque ac alio casu partes querulantes ad secularem accusati instantiam dirigere debeant. Iurisdictiones autem seculares in occurrentibus huiusmodi casibus, dum partes utriusque ordinis eidem iurisdictioni subessent, illas in praesentiam sui citare, et, si promissio matrimonii nec praetensa nec disputata fuerit, quoad poenam tamen copulae fornicariae, prout etiam satisfactionem pro defloratione, puerperio, et alimentatione prolis, nec minus in causa negatae paternitatis competenti investigatione procedere et decidere, tum vero quando praesenti auxilio opus erit, modo provisorio necessitate pressae matri prout etiam proli debite subvenire; ultra haec coniugum etiam dissidiis observatis tempestive occurrere, eosdem conciliare, partemque culposam corrigere studeant; ubi demum spes emendationis nulla, separationis autem legitima causa adverteretur, ad ecclesiasticum quidem iudicium, ea tamen cum cautela, quod secuta separatione circa alimenta quod necessarium cum determinatione quanti fuerit, disponere iam scient, eos dimittant; qui aeque ac fornicarii, et alii, qui propter promissionem matrimonialem ad Officium Eccles. diriguntur, et ibi in causa principali iudicari debent, receptas ibidem sententias exhibere teneantur. Cum autem sententiis fororum eccles. taxae dotis et respective alimentorum velut connexae includi nonnumquam soleant, iurisdictiones seculares eiusmodi sententias in hoc puncto non attendant, verum quoad quantum secundum proportionem qualitatis personarum, vires nempe et facultates earum ipsae arbitrentur, et ita partes etiam dirigere debeant; in casu demum, si quoad executionem huiusmodi sententiae suae fora ecclesiastica secularem

requirerent iurisdictionem, illam non effectuet, verum quoad quantnm ipsa cognoscat; qnodsi demum una tantum pars locali iurisdictioni subesset, eandem quid in casum condemnationis agendum sit, instrnat, et generaliter quoad quanta a Consistoriis determinata nullam penitus executionem peragat. Ut autem constet in praemissis casibus, quas signanter iurisdictiones seculares provisio non secus ac pertractatio et determinatio accessoriorum concernat, censeri: ut quoad nobiles quidem et nobilitari praerogativa gaudentes, item liberas et nulli iurisdictioni dominali subiectas personas Magistratns Comitatenses; quoad Cives autem Magistratus Civici; denique quoad ignobiles iurisdictioni dominorum terrestrium subiectos domini eorum terrestres provideant, ac pertractanda summarie pertractent et definiant, salva parti succumbenti extra dominium graduali appellata. — In Sessione Deputationis die 8 Febr. 1770 Pestini celebrata."

Congregata autem Curia, cui benignae hnius in bonum Regni tendentis intentionis effectus non minus cordi est, assumsit primo quidem membrum illnd opinionis deputationalis, quo illa censet, benignam Maj. V. SS. mentem quoad fora spiritualia patefactam legibus regni non disconvenire, quinimo in iis, signanter vero tit. 52 P. II. articulo item 15: 1647 et aliis fundari, ac proinde illam observandam, ac in qnantum seu causantium beneficio legum uti intermittentium facto, seu aliter a scopo legnm digressum esset, eatenus speciali etiam lege provideri posse existimat. Duo hic Curia in considerationem sumsit: unum, quod legum dispositionem, in quibus Deputatio opinionem suam fundat, attinet; alterum, qnod speciali lege condendam provisionem circa ea, quae quidem lege iam constitnta sunt, ab observantia tamen eornm digressum esset, concernit. Quoad primum illa hic Maj. V. SSmae recensenda snnt, quae ex fontibus legum nostrarum peti possunt, et quidem: Causas complures non matrimoniales tantum, sponsaliorum et divortii, quae ex aperta ceteroquin canonum constitutione per fora spiritualia tractandae veniunt, sed et dotum, paraphernorum, quartalitii, decimarum, et plnres alias iudicio fororum ecclesiasticorum aevis antiquioribus subiectas fuisse leges nostrae luculenter indicant. Matrimo-

niales autem et testamentorum etiam quoad accessoria art. 3: 1462 discrte huic addixit iudicio. Procedente tempore avulsae quidem sunt a foris spiritualibus causae ceterae, et matrimoniales duntaxat, sub quarum intellectum sponsaliorum et divortii cadere certum est, foro huic spirituali art. 70: 1618, et 31 : 1638; item testamentorum quoad solemnitates extrinsecas art. 15 : 1647, et periurii art. 17 : 1464 relictae omnino sunt. Non tamen reliquae ita avulsae esse censeri possunt, ut circa aliquas species, quales sunt dotes et parapherna, iisdem foris spiritualibus in forma accessoriorum tractandi et de iis in circumstantiis necessariis iudicium etiam ferendi iurisdictio non supermanserit. Ita enim dotes et parapherna, ceteraque causis matrimonialibus et aliis hucusque ad fora eccl. spectantibus adiuncta tit. 52. P. II. ac alter art. 3: 1462 a foris spiritualibus abstrahunt, si ista tamquam factum iuris possessionarii concernentia aut pro haereditate possessionaria adipiscenda principali hoc litis titulo requirantur. Adeoque legis illius §-us : accessorium sequitur suum principale, ita intelligendus est : quod ubi ius possessionarium principale actionis obiectum constituit, tunc de dote et paraphernis in forma accessorii forum spirituale iudicare non possit; e contra, ubi divortium et sponsalia efficiunt principale litis meritum, dos vero, paraphernum, aut intertentio tantum accessorialiter per causantes requiruntur, tum forum spirituale ex praecitatae legis principio iudicandi potestatem obtinet. Iam vero explicat art. 28: 1552, quandonam dos et parapherna principale actionis obiectum constituant; nempe cum viduae ista repetunt : quo in casu forum spirituale nullam sibi vendicat iurisdictionem, sed coram secularibus iudicibus causa decurrit. Mandatis porro declinatoriis, de quibus art. 15: 1647 et aliae in hoc citatae constitutiones disponunt, in iis duntaxat casibus locus dari debet, si iudices ecclesiastici illa, quae modo in forma accessoriorum pertractant, pro principali litis obiecto in iudiciis usurparent; videtur proinde ex legibus nostris deduci, quod accessoria causarum matrimonialium et aliarum, quaecunque demum illae sint, ut talia a diiudicatione fororum eccles. abstracta non sint. Superest, ut de determinatione quanti per

fora eccles. in necessario legum intellectu longo usu diiudicata aliquid adferatur. Sunt legum nostrarum, qualis est art. 29 : 1662 et art. 25 : 1552, dispositiones tales, ut iudices seculares ad id legitime requisiti fororum spiritualium sententias sub poena exequi, brachioque, ubi necessum est, effectum earum procurare teneantur; non potest certe hac ratione executionis huius ac connexe etiam iudicii eccles. obiectum, quod spirituale aut quoad accessoria abstractum, vel denique quoad quantitatem indefinitum duntaxat sit, statui; verum id, quod corporeum est, quodve secularem in quantitate determinata contingit substantiam, longissimi temporis ille atque tot retroactorum seculorum constanter exercitus, numquam turbatus vel contradictus, atque legibus conformis usus et consvetudo has legis dispositiones in hodiernum sustinet. Quod alterum attinet, Deputatioque existimabat, ut nempe seu causantium beneficio legum uti intermittentium facto seu aliter a scopo legum digressum esset, eatenus speciali etiam lege provideri possit, hanc habet Curia Regia reflexionem : ea, quae lege iam disposita sunt, supervacaneum est, condenda nova lege iterum sancire ; legalis Maj. V. SSmae potestas et auctoritas est, (cui derogari nulla ratione potest) legum iam conditarum effectum viis aliis benigne procurari facere, atque a legibus digredientes ad earum observantiam revocare. Cum igitur ea in parte legis condendae necessitatem non videat Curia, in manutentione auctoritatis supremaeque Regiae potestatis Maj. V. SSmae persistit. — Assumsit secundo eadem Curia membrum illud opinionis Deputationis, ubi in casibus per se deductis, quas iurisdictiones seculares provisio non secus ac pertractatio et determinatio accessoriorum concernere deberet, arbitrabaturque, ut quoad nobiles quidem etc. (*ut in opinione.*) Parte in hac in casum illum, ubi norma iudicii ecclesiastici in regnum istud per legem introducenda veniret, Curia quoque haec idem iudicat, et opinioni Deputationis accedit, eo addito, ut pro diversitate obnorum in diversis Comitatibus sitorum Tabulae Districtuales, in Croatia vero Tabula Iudiciaria, aut quoad diversas Regno adnexas Provincias Tabula Regia Iudiciaria ea, quae prae-

senti materia pertractanda et definienda sunt, pertractet et definiat.

Quibus ita pro homagiali fide et obsequio nostro Maj. V. SSmae propositis, cum praeterea eadem Curia Regia eam esse benignam Maj. V. intentionem perspectum habeat, ut nova hac iudicandi methodo non solum convenientior, promtior, et minus sumtuosa iustitiae administratio, sed et exinde snapte profluens causantium commodum enascatur: hinc homagialis obseqnii sui partem se explere censet, si considerationes suas benigno Maj. V. SS. determinio substernat: quae non tantum exiguam de eo spem facere videntur, ut per novam hanc regulationem administratio iustitiae promtior et undiquaque melior reddatur, quin potius non parum impedimenti et obstaculi sit habitura ex sequentibus motivis: Causae fora spiritualia usque nunc de canone deque lege nostra concernentes cum suis accessoriis iudicantur hactenus determinanturque in praemissarum legum sensu in uno eodemque foro, nullis, ut in aliis foris, iuridicis remediis admissis; pertractantur autem lege indulgente etiam iuristitiorum temporibus; accessoria cum principali litis obiecto in uno complexo accepta uno iuris processu definiuntur, sola quoad determinatam accessoriorum quantitatem ad iurisdictiones seculares relegata executione. Iudicia porro ecclesiastica fixa semper sunt, nec de loco in locum transferuntur; sic lites in longum tempus non protrahuntur, et parcis sumtibus cumque litigantium commoditate definiuntur. E contra si systema propositum inducendum est, Iudex ecclesiasticus iudicabit primum de validitate, aut nullitate; iudicabit dein iurisdictio secularis de accessoriorum quantitate; accessoria novae litis obiectum efficientur, in novum causae meritum elevabuntur; ubi prius uno iuris processu utrumque terminabatur, duos efformari oportebit; distinctae citationes, et quidem non raro ad iudicem litigantium commoditates minus spectantem, in locum, ubi illi iudicia celebrare videbitur; distinctae numero lege definito exceptiones; ita procuratorum replicae admitti per partem in causam attractam praetendentur, et neque stante legi conformi iudiciaria praxi denegari poterunt; causa nonnisi lege constitutis diebus

assumetur et tractabitur; iuridica remedia pro fororum diversitate diversa etiam locum sortientur; quandoque ad binariam etiam oppositionem pars convicta prolabi poterit; gradualis denique appellata licet extra dominium cuivis patebit. Atque sic causis his per plures iurisdictiones indicesque tractatis partium incommoda et aggravia, plurium sumtuum profusiones necessarias, litiumque protractiones, imo etiam multiplicationes procul dubio enascituras pronum est praevidere. Unde sequeretur, puerperae et divortiatae matri, ita et infanti, longius protrahendis tali ratione litibus, intertentione usque causae exitum carendum esse, cum nullus quoad intertentionem talium publicus adsit fundus, neque sine novo contribuentium onere statui possit. Sed et praeter cetera difficiliorem rem hanc videtur reddere vel hoc etiam, nempe si ad partium dissidentium per seculares iurisdictiones procurandam compositionem veniendum sit, communiter secretiora animi sensa, causae dissensionum, quas quandoque verecundia edicere prohibet, seculari non panduntur magistratui. Haec hucusque in fiducia filiali viris ecclesiasticis velut patribus et conscientiae directoribus palam facta sunt, atque non raro remedium via celeri, melioribusque modis procuratum. Posthac diffidentia inter querulantem et secularem iurisdictionem spem desideratae amicabilis compositionis dubiam reddet omnem. Altissimo proinde Maj. V. SSmae substernimus iudicio, ea in praesenti materia esse praeadducta obstacula, quae nisi eatenus condenda lege removeantur, nos fororum ecclesiasticorum in causis earumque accessoriis iudicio eorumdem subiectis iurisdictionem, in veteri multorumque seculorum usu roborata ac sensui praecitatarum legum conformi consvetudine ac provisione relinquendam esse humillime existimemus. Atque hac in parte sensum nostrum cum momentis eo pertinentibus throno Maj. V. SS. in homagiali subiectione sistimus. — Datum in Sessione nostra Curiali die 4 Mart. 1770 Pestini celebrata. — *Ex Copia in Tabulario Dioec. Agriensi existente.*

b) Ab anno 1780—1799.

Introductio. Quemadmodum in Introductione doctrinali uberius evolvimus, in hanc temporis periodum incidit mutatio legislationis matrimonialis in *Austria*, et aliis Imperatoris dominio subiectis ditionibus, *Iosepho II* Caesare auctore instituta, a quo etiam ‚Iosephina' passim compellatur. Ad eandem periodum pertinent porro leges matrimoniales in Magno Principatu *Hetruriae*, item in *Gallia* perlatae, omnes doctrinae ac iuribus Ecclesiae summopere contrariae. Sectionem itaque hanc in tres subsectiones tribuimus: prima Imperii Romano-Germanici, et in hoc signanter Austriae, Hungariae, Belgii, altera Hetruriae, tertia Galliae Monumenta recensebit.

---

a) in Austria, Hungaria, Belgio.

A. *Introductio.* Primae Iosephi II Imperatoris ac Regis ordinationes matrimoniales concernebant *ius dispensandi in impedimentis matrimonium dirimentibus*, quod antehac Eppi tamquam Sedis Apost. Delegati exercebant, et in proximioribus cognationis aut affinitatis gradibus ad eandem S. Sedem recurrebant. Imperator a. 1781 mandatum edidit: ut dehinc Eppi nullos seu immediate Romam, sive ad Nuntiaturam S. Sedis scopo obtinendarum dispensationum matrimonialium forment recursus, sed, demtis iuris naturae et divini impedimentis, in omnibus aliis *iure proprio* dispensent. Hanc Caesaris Resolutionem cumprimis praesules *Sabariensis*, *Weszprimiensis*, *et Rosnaviensis*, praeeunte *Primate Regni*, impugnabant: argumentis e natura rei, usu et praxi Ecclesiae, summa potestate Romani Pontificis etc. depromtis ostendendo, ius dispensandi, quod ab Eppis iure proprio exercendum deposcitur, Romano Pontifici reservari, nec citra ipsius nutum et assensum exerceri posse. Repraesentationes Praesulum simul perplexitatem illam exprimunt, in quam per praecallatam Regiam ordinationem inducti sunt. (*Mon.* 58—62.) —

Sensum Epporum Primas Regni in eadem repraesentatione, quam de pluribus mandatis Caesareis in rebus ecclesiasticis editis ad Caesarem 1781 direxerat, expressit; (*Mon.* 63.) sed Rescripto Caesaris a. 1782 edito declaratum fuit, a praeviis ordinationibus recedi non posse. (*Mon.* 64.) Rescripto Caesareo ad suam notitiam perlato, zelosissimus pro Ecclesia Dei *Rosnaviensis Eppus* memorabili ad Primatem litera cum omni energia et fortitudine, quae deceat Praesulem, sensa sua manifestavit. (*Mon.* 65.) Praeadductis Repraesentationibus merito addi potest declaratio *Consistorii Vacien·is* in remonstratione adversus decretum Tolerantiale a. 1782 Consilio Regio exhibita: in qua clare enunciat Consistorium, manifestam inferri vim et coactionem Praesulibus, dum potestate ipsis attributa ita uti iubentur, ut omnis ad S. Sedem recursus interdicatur. (*Mon.* 66.)

A Eppus Trevirensis per Edictum Caesareum de dispensationibus matr. pressus, ultimo anni 1781 mense ad Pium VI Papam recurrit, generalem petens dispensandi facultatem. Pontifex a. 1782 rescribens, solidis rationum momentis evicit, auctoritatem constituendi impedimenta matr. dirimentia, e definitione etiam C. Tridentini, penes Ecclesiam esse; decreta Ecclesiae circa matrimonia anteriora fuisse Imperialibus constitutionibus, hisque ipsis normam praebuisse; sententiam recentium pseudo-Politicorum et Canonistarum, quasi ea Ecclesiae potestas e mera Principum indulgentia sit repetenda, non tantum Ecclesiae iniuriosam, sed et continuae eiusdem traditioni oppositam esse. In altera Brevis parte perstringit ac refutat Summus Pontifex eam decreti Caesarei sententiam, qua Eppos in imped. matr. proprio iure dispensare posse statuitur. Sententiam hanc tam ex historia refellit, adductis primis dispensationum S. Sedis exemplis, quam exinde, quod potestas Epporum quantaecunque non possit extendi ad faciendas proprio iure in generalibus Ecclesiae legibus dispensationes sine expressa vel tacita Potestatis superioris legem ferentis concessione, imo potius de fide sit, auctoritatem Epporum Romani Pontificis potestati esse subiectam, eoque ipso per hanc in usu ac exercitio intra limites certos contineri restringique posse. (*Mon.* 67.)

Pius VI Papa post vulgata per Iosephum Imp. complura decreta Potestati Sacrae maxime infesta, causa Ecclesiae ac Religionis iter Vindobonam suscepit a. 1782, ut cum Imperatore coram ageret, rationesve Ecclesiae cum legibus Caesarcis componeret. Discussiones ea occasione inter Summum Pontificem et Iosephum Caesarem institutae summi sunt momenti. Eae scripto instituebantur ad binas vices, Papa declarationes suas proponente, Caesare autem responsa reddente. In declarationibus suis Pontifex penes reliqua decreta Caesaris pertractavit etiam edictum de dispensationibus matrimonialibus, hortando Imperatorem, ut Papam et Eppos iuribus suis libere uti permittat, publicoque declaret testimonio, se per edicta sua nullum libertati iuribusque Ecclesiae praeiudicium adferre voluisse, imo cupere, ut cuncta removeantur obstacula, quae iis dehinc interponi contingeret. Caesar in suis responsis meritorii nil adduxit in obversum declarationum Pontificiarum, sed sua edicta iustificare adnitebatur. Praeter scriptas has declarationes et responsiones celebratae erant ex parte Epporum Hungariae Vindobonae commorantium Conferentiae, in iisque assumtum in deliberationem dispensationum matrim. negotium: quod cum iidem Praesules in Audientia apud Summum Pontificem habita proposuissent, Pontifex ad dubia Epporum congrua dedit responsa. In his responsis diserte enunciatur: Eppos iure ordinario, uti Caesar volebat, dispensare haud posse. (*Mon.* 68—70.)

Eppi *Belgii* accepto Caesareo decreto de dispensationibus matrimonialibus, libello supplici medio Nuntii Apostolici Bruxellensis adierunt a. 1782 Summum Pontificem, ut facultates Eppis Belgii concessas ampliare, et indulgere vellet, quo deinceps non solum cum pauperibus, sed cum omnibus indiscriminatim personis dispensare possent. Respondit Nuntio Card. Secr. Status, recursum Epporum Belgii magna Sanctum Patrem affecisse consolatione, quod per illum ostendant, se nolle propria auctoritate in hoc negotio procedere; interim Summum Pontificem non posse precibus eorum deferre tum ideo, quod petitam gratiam iam denegaverit Eppis Italiae et Germaniae Imperatori subditis; tum quod si facultates illae unice pro tranquillitate conscientiae Eppis conce-

derentur, concessio manere deberet occulta, et sic publice censerentur Eppi potius virtute decreti caesarei quam ex auctoritate apostolica in dispensando procedere; tum denique ideo, quod subditi quidem Caesaris non possint stante Edicto Romam recurrere, sed Eppi possint non uti potestate, quam sibi non competere existimant, cum hic agatur de usu mere voluntario et ab arbitrio eorumdem pendente. Non obstante hoc responso Praesules Belgii denuo recurrerunt Romam, persvadere nitentes Summo Pontifici, facultatem dispensandi in urgentissimis temporum horum necessitatibus ad Eppos devolutam videri; rogantesque Pontificem, ut ad tempus dissimulet dispensationes ab Eppis impertiendas. Pontifex Vienna redux, Eppis Belgii ampliorem concessit quoad dispensationes matr. facultatem. Ex documentis his, quae in *Synodico Belgico* a *Fr. de Ram* vulgato occurrunt, in Monumentis exhibemus duntaxat alterum supplicem libellum Epporum dd. 15. Febr. 1782. (*Mon.* 71.)

Altera ordinatio Iosephina concernebat *novam legem matrimonialem,* vulgo ‚Ehepatent' a. 1783 pro Austria, et deinceps tam pro ceteris ditionibus, quam Regno Hungariae editam. Constitutio haec totam cognitionem et discussionem causarum matr. a Foris Spiritualibus abstraxit, et Tribunalibus Civilibus adseruit, multaque insuper de rebus matrimonialibus sanxit, ecclesiasticis legibus nequaquam consona; ideoque Praesules Imperii et Regni Hungariae non exigua complevit sollicitudine. Primus contra illam vocem levavit immortalis memoriae *AEppus Vindobonensis* una Eppatus Vaciensis Administrator *Card. Migazzius,* missa ad Caesarem a. 1783 energica repraesentatione: qua articulos Patentalium reflexioni obnoxios fusius evolvit. Ad retractandam literam pastoralem, quam in eodem sensu ad Clerum emisit, iussu Caesaris provocatus, iussui huiusmodi se parere haud posse intrepide Caesari respondit. Utrumque documentum, et primum quidem simul cum Patentalibus latinis, (prout ad Hungariam missae fuerant) inter Monumenta comparet. (*Mon.* 72. 73.)

In Germanicis provinciis *AEppus Trevirensis*, postquam de sublatis per Caesareum Edictum nonnullis impedimentis matrimonii ab Ecclesia sancitis sententiam *Eppi Gandavensis* exquisivisset, decreto ad parochos ditionis Austriacae a. 1785 dimisso declaravit: Edictum Caesaris tantummodo civiles matrimonii effectus respicere, nec integrum fore parochis, matrimonium iuxta ss. canones initum, si id civili auctoritate rescindi contingeret, pro nullo considerare, alterique matrimonio, per quamcunque partem attentando assistere. (*Mon.* 74—76.)

In *Belgio* edictum Caesareum de matrimonio impugnavit *AEppus Mechliniensis* a. 1784. non negando quidem Caesaris ius circa matrimonium leges ferendi, sed potestatem simul Ecclesiae de imped. dirim. constituendis e natura matrimonii, decisione Tridentina, possessione ininterrupta vindicando, ac simul declarando, curatos per se activisari non posse ad assistendum connubiis iuxta tenorem Patentalium contrahendis. (*Mon.* 77.) — Clerus *Gandavensis* e districtu Everghemiensi a. 1786 reflexiones meritorias Eppo proposuit contra decretum Caesareum matrimoniale, illiusve cum aliis similibus edictis e sacro suggestu depostam promulgationem. (*Mon.* 78.)

In *Hungaria* iam ante inductas Patentales matrimoniales, sollicitudine et anxietate plenos Praesulum animos nonnihil recreare videri potuit epistola, quam *Nuntius Ap. Viennensis* Iosephus Com. Garampi ad *Eppum Agriensem* a. 1785 misit, significans eidem: Imperatorem occasione casus matrimonialis, in quo dispensatio in tertio mixto secundo gradu cognationis petenda fuit, et quam Card. AEppus Viennensis reipsa Roma impetravit, declarasse: modum agendi AEppi sibi eo magis probari, quod Edictum Matrimoniale solummodo civiles effectus matrimonii respiciat. (*Mon.* 79.) — Anno 1786 inductis in Regnum Hungariae Patentalibus matrim. Praesules pro ratione muneris sui pastoralis suas reflexiones ac repraesentationes ad Consilium Regium mittere festinabant: e quarum numero seligimus unam *Eppi Quinque-Ecclesiensis* Pauli C. Esterházy: in qua praeclare evolvitur, Ecclesiae propriam esse iurisdictionem fori in omnes Christi

fideles a Spiritu S. acceptam, non e Principum indultu repetendam; et Caesaream de matrimonio constitutionem impingere in dogmaticam decisionem C. Tridentini. (*Mon.* 80.) Iidem Hungariae Praesules maiore numero apud Primatem et AEppum *Strigonii* mense Septembri 1786 congregati, quo rebus matrimonialibus per Edictum Iosephinum nimis prostratis opportune consulerent, consilia inierunt. In *Congressu* hoc firmam convictionem suam Eppi declararunt, quod iurisdictio Eppalis in re matrimoniali tum ecclesiasticis tum patriis legibus Praesulibus tributa nec per Patentales Caesaris excludatur, quae quippe praecise quoad effectus civiles matrimonii intelligi vimque habere possunt. Plura item directiva stabiliverunt puncta, iuxta quae uniformis procedendi ratio induci, iisque consentanea instructio Clero Curato dari valeat. Haec omnia ex Protocollo Congressus, quod Primas ad mandatum Caesaris Consilio Regio substravit, et ex literis, quas idem Primas ad absentem Eppum Agriensem scripsit, uberius patent. (*Mon.* 81. 82.) Actis Congressus Strigoniensis cum opinione *Consilii Regii Hungarici*, et *Commissionis Ecclesiasticae Aulicae* sibi substratis, Iosephus Caesar decrevit: ut in posterum Eppis pro instituenda consultatione in unum convenire integrum non sit, et Edicto matrimoniali promulgato Decanis facultas dispensandi in gradibus vetitis delegetur. (*Mon.* 83. 84.)

Promulgato per Regnum Hungariae Edicto Iosephino civiles Iurisdictiones non modo de aliis quaestionibus matrimonii, sed de ipso etiam vinculo coniugali iudicabant. Exemplum sententiae huiusmodi proferimus ex Dioecesi Weszprimiensi: ubi 1786 per Sedem Iudiciariam Comitatus matrimonium ex capite vis et metus rescissum fuit. Subiicimus una tenores literarum *Eppi Weszprimiensis* ad concernentem VA-Diaconum in sequelam praeviae sententiae datarum. (*Mon.* 85. 86.)

Actis Congressus Strigoniensis subnectimus ex anno 1787 duo documenta: alterum de mente ac sententia *Eppi Transilvaniensis* Ignatii Com. Batthián super dicto Congressu in literis ad Eppum Agriensem expressa, et a sensu Epporum Strigonii congregatorum nonnihil divergente; (*Mon.* 87.)

alternm *Eppi Sabariensis* Ioannis Szily sententiam de Resolutione Caesarea in sequelam Congressus Strigoniensis, paulo ante memorata, in literis ad Primatem Regni expressam, et catholico Antistite dignam: dum quippe dolorem suum haud reticet, quod regimen Ecclesiarum et decisio negotiorum ad religionem spectantium ab Eppis penitus avocetur, legesque Ecclesiae, disciplina item et potestas sacra seculari Auctoritati subordinetur, iamque haec ipsa civilis potestas ad dogmata fidei se extendere non reformidet. (*Mon.* 88.)

Cum in sequelam Edicti Caesarei de dispensationibus matrimonialibus ab Eppis proprio ac ordinario iure concedendis, in locis Germaniae Imperatoris Iosephi II dominio subiectis reipsa nonnulli Praesules, signanter *AEppus Coloniensis* eiusmodi dispensationes in vetitis gradibus, nulla petita ab Apost. Sede facultate, elargirentur; et principia similia etiam in famoso *Conventu Emsano* per delegatos Metropolitanorum Germaniae spargerentur: *Nuntius Apost. Coloniensis* iussu S. Sedis circa exitum a. 1786 Encyclicam edidit, id annunciantem, quod praeviae dispensationes sint irritae ac nullae. Eadem Encyclica historice quoque comprobat, AEppos Germaniae iure dispensandi a vetustissimo tempore nonnisi praevie impetrata S. Sedis facultate usos fuisse. (*Mon.* 89.) Paulo post, nempe a. 1787, ipse *Summus Pontifex* Breve misit ad AEppum Coloniensem, querelis adversus Nuntium omnia complentem, imo et Encyclicam omni vigore destituentem. In Brevi suo idem argumentum, quod in literis ad AEppum Trevirensem a. 1782 datis, docte pertractat Pontifex, multisque rationum momentis in medium adductis ius Pontificium dispensandi in impedimentis matrimonii illustrat, et praetenso iuri proprio AEppi Caesareum decretum eo minus suffragari ostendit, quod Caesar ipse inito cum S. Sede tractatu a priore edicto suo recesserit. Exprobrat etiam AEppo eam, quam cum Nuntii decreto tenuit, agendi rationem, Nuntium qua extraneum compellando, eiusque encyclicam irritam proclamando: assertum isthoc funditus evertens Pontifex Summus, de decreto Caesaris, quo Eppi ad exercenda iura sua originaria, et impediendam Nuntii iurisdictionem

provocabantur, affirmat: id et sanctionibus canonicis contrarium, et non aliud esse, nisi simplicem merae insinuationis epistolam, per nonnullorum importunitatem a Caesare extortam. (*Mon.* 90.) Negotium dispensationum matrimonialium attingit Pius VI in memorabili etiam epistola vulgo *Responsione*, quam a. 1789 *ad IV Metropolitanos Germaniae super Nuntiaturis Apostolicis* dimisit, et in qua incautos, iurisdictionique Ecclesiae et Primatus infestos actus Metropolitanorum in *Congressu Emsano* patefactos graviter improbat. Reprehendit igitur factum eorumdem Metropolitarum, quod circa dispensationes matrimoniales iurisdictionem Nuntii Apostolici sugillaverint, Primatialia Romanae Sedis iura contemserint, et laicae potestatis patrocinium implorare non erubuerint. (*Mon.* 91.)

Ex anno 1789 notanda sunt duo magni momenti Brevia Pii VI Papae, alterum ad *AEppum Pragensem*, alterum ad *Eppum Agriensem*. In utroque sapientissimus Pontifex catholicam de matrimonii indissolubilitate doctrinam egregie stabilit, vana quorumdam theologorum circa eam commenta atque effugia solide refutat penitusque convellit, et cumprimis in Brevi ad Praesulem Agriensem demonstrat: nulla secularis fori sententia alterutri, ac omnium minime catholicae parti licitum fieri posse, ut vivente priore coniuge ad alia vota transeat. Item praeclare ac docte evolvit Pontifex catholica super hac quaestione principia: quod matrimonium non sit civilis duntaxat contractus, sed et naturalis ante omnem civilem societatem divino iure institutus, et quod matrimonii vinculum nec ob adulterium nec ex alia quacunque causa per forum seculare dissolvi possit. Eppo Agriensi novam ponente apud S. Sedem quaestionem: num personae, quarum priora matrimonia per sententias laicorum tribunalium vel acatholicorum consistoriorum soluta fuere, ad secundas nuptias admitti possint? duplex e Congregatione S. Officii emanavit Instructio a. 1794 et 1795 eius tenoris, quod dictorum tribunalium sententiae nullius sint valoris ac momenti, nec prius desideratum ad novas nuptias transitum indulgeri posse, quam ubi per Iudicium Eppale in examen revocati fuerint casus particulares, an non

intervenerit quodpiam dirimens impedimentum, ob quod pro nullo declarari valeat prius matrimonium. (*Mon.* 92—95.)

Anno eodem, 1789, *Primas Belgii et AEppus Mechliniensis* Card. de Frankenberg in percelebri Declaratione sive Iudicio doctrinali super doctrina Professorum Seminarii Generalis *Lovaniensis* edito, propositiones eorumdem Professorum de re matrimoniali ad normam catholicae doctrinae exigendo, eas tamquam iuri Ecclesiae proprio constituendi impedimenta dirimentia contrarias reprobat: declaratione per Facultatem Theologicam restitutam et totam Universitatem Studii Lovaniensis abs ulla cunctatione recepta et subscripta. (*Mon.* 96—99.)

Anno 1790 Clerus Hungariae in sua ad Regiam Maiestatem Leopoldum II repraesentatione, gravamina sub Iosepho II Ecclesiae et Religioni ac legibus patriis illata complectente, inter illa refert eam Iosephi ordinationem, vi cuius forum spirituale pro diiudicandis causis matrimonialibus sustulit; altera autem remonstratione impugnat illum Resolutionis Regiae religionariae articulum, qui causas matrimoniales acatholicorum propriis eorumdem Consistoriis diiudicandas relinquit. Clerus animadvertit: Sacras Sedes Catholicas omnium causarum matr. cognitione inde a vetustis temporibus gavisas fuisse, nec posse concipi, quomodo Consistoria acatholicorum sententias suas in obversum principiorum catholicorum latas, et a Sacris Sedibus pro validis agnosci nequeuntes, in executionem sumi procuratura sint. (*Mon.* 100. 101.) — Clerus quoque *Austriacarum* ditionum post obitum Iosephi Caesaris apud Successorem Leopoldum II a. 1790 instituit, ut res matrimonialis perinde ac reliqua ecclesiastici regiminis obiecta, quae sub Iosepho a iurisdictione Ecclesiae violenter abstracta fuere, ad situm normalem reponantur. Verum, uti ex Protocollo Commissionis Aulicae, et ei superinducta Caesarea Resolutione patet, quoad rem matrimonialem petitioni Cleri delatum non est. E repraesentationibus Epporum unam pro omnibus exhibemus, Card. AEppi Viennensis. (*Mon.* 102—104.)

Anno 1794. ss. *Eppus Rosnaviensis* Antonius L. B. Andrássy insigne praebuit exemplum Eppalis fortitudinis ac zeli in propugnanda catholica de matrimonio doctrina, et

potestate Ecclesiae in causis matrim. cognoscendis. Contigit videlicet, ut vir quidam catholicus (Carolus Kiss) cum persona Helv. Conf. addicta, et a viro suo aeque Helv. C. ex defectu consensus et ex implacabili odio per Sedem iudiciariam Comitatus Neogradiensis divortiata, matrimonialiter iungi cupiens, sui copulationem apud Eppum urgeret. Cuiusmodi postulato quum Eppus tamdiu deferre recusaret, donec causa haec divortialis per altius forum revisa, et, siquidem ductu etiam art. 26: 1791 Eppi nullitatem vinculi coniugalis per fora civilia enunciatam agnoscere nequaquam tenerentur, sibi quoque pro inspectione et ulteriori examine exhibita fuerit: desiderio Praesulis iustissimo, et in sacris canonibus aeque ac lege patria fundato minime acquiescens sponsus, coram parocho proprio, quem sub specioso praetextu ad domum suam vocavit, et in praesentia duorum testium declaravit: quod ipse memoratam personam in uxorem suam accipiat; haecque vicissim enunciavit, se illi nubere; elicitoque taliter reciproco in matrimonium consensu vir personae huic, ac si uxor eius esset, cohabitare non dubitavit. Scandalosum et temerarium hunc convictum Praesul vigilantissimus e medio sublaturus, primum partem catholicam monere, tum levata voce pastorali corripere necessarium duxit; monitis vero ac correptionibus in vanum recidentibus, in Consistorio lata sententia partes iudicialiter separari decrevit, et per Circulares Clero Curato intimavit: antelatum virum qua notorium concubinarium, donec concubinam non dimiserit, in sensu legum Ecclesiae in Sacr. Poenitentiae non posse absolvi, nec ad S. Mensam admitti; insuper monuit Clerum, ut fidelem populum de capitibus fidei circa matrimonium per S. Synodum Tridentinam propositis sedulo instruat, quo omnes ac singuli intelligant, per neminem Catholicorum agnosci posse nullitatem vinculi coniugalis a iudicio civili secundum principia protestantica assertam. Rei huius serie ad Consilium Regium per ipsum Eppum relata, sed et ad thronum Regium per Sponsos et civilem iurisdictionem promota, Rescriptum Regium emanavit, Praesuli iniungens, ut sententiam Consistorialem casset; a Consilio Regio autem plura Intimata edebantur, retractationem Circularium Eppo committentia. Verum Eppus tam Regiae

Maiestati, quam Regio Consilio, exposita uberius doctrina Ecclesiae, negativum dedit responsum. Non opitulante Cancellariae Regiae pro Eppo favorabili opinione, Rex Consilii Regii votum amplexus est, ut quippe Eppus ad audiendum verbum regium Viennam evocetur. Paruit Eppus Regio Mandato, et novam exhibuit, Antistite Catholico dignam, repraesentationem, paratum se ad quidvis patiendum pro Ecclesiae doctrina declarans. Etsi autem Cancellaria Regia medio novae remonstrationis faventem pro Eppo depromeret Regi opinionem: Rex nihilominus Eppum ad parendum mandatis suis etiam per sequestrationem bonorum temporalium stringi iussit. Cuiusmodi mandato, sibi via Consilii Regii insinuato, Eppus data postrema ad Consilium R. declaratione, pronissimam suam ad sequestrationem bonorum voluntatem testatus est, addens: se veritati catholicae id debere, ut non tantum docendo et agendo, sed et patiendo testimonium ipsi perhibeat; relictaque die 9 Febr. 1797 Eppali Residentia ad claustrum PP. Franciscanorum se contulit, indeque dioecesim suam porro pie ac sapienter gubernavit. Post discessum Praesulis ad Conventum Franciscanorum, Capitulum Rosnaviense nomine universi dioecesani Cleri literas scripsit ad Primatem Regni Cardinalem a Batthián: in iisque praemissa succincta rei gestae serie, item solemni subiectionis ac obsequii Regiae Maiestati in iis, quae civilis sunt ordinis, professione, sensa sua de praesente obiecto matrimoniali, quod scenae tantopere tragicae occasionem praebuit, candide ac libere, simul catholice enunciat, duabus cumprimis veritatibus insigne perhibendo testimonium: 1. quod legitimi consummatique coniugii vinculum nulla humana potestate solvi possit; 2. quod quaestiones de vinculo matrimonii ad examen et discussionem Iurisdictionis Ecclesiasticae pertineant. In veritatum harum comprobationem provocat Capitulum in sua repraesentatione ad epistolam Pii VI Papae, quam a. 1786 Duci Würtembergico exaravit, a matrimonio cum persona per tribunal heterodoxorum divortiata, vivente adhuc marito, eundem dehortando; et ad Instructionem S. Congregationis Officii 1789 Eppo Agriensi datam, idque enunciantem, quod sententiae de dissolutione vinculi matrimonialis per fora secularia et Consistoria

acatholica latae nullius sint roboris et momenti, sed prius per iudicium Ecclesiae Catholicae examinari debeant, ut appareat, num occurrat quodpiam dirimens impedimentum, e quo nullitas matrimonii declarari valeat. Acta memorabilem hunc eventum concernentia, iam in opere nostro de Matrimoniis Mixtis vulgavimus, siquidem de mixto matrimonio ageretur; quum tamen praecipua in casu hoc quaestio auctoritatem Ecclesiae in diiudicandis causis matrimonialibus tangat, eadem acta praesenti quoque operi inserenda censuimus. (*Mon.* 105—121.)

Anno 1797. *Vicarius Vaciensis* Consilio Regio reflexiones suas catholicas proposuit adversus Resolutionem Regiam super eo editam, ut causa divortialis coniugum acatholicorum coram foro seculari inchoata, non obstante partis unius ad fidem catholicam conversione interea facta, in eodem seculari foro continuetur. Praeclare evolvit Vicarius: in casu hoc agi de iniuria Sacramento inferenda; agi de separatione secundum principia fororum secularium acatholicorum pronuncianda quoad illos, quos Deus coniunxit; agi denique de novis conversioni ad fidem salvificam struendis obicibus; sed et tenori articuli 26 : 1791 oppositam esse praeviam Resolutionem Regiam, iuxta quam causae matrimoniorum tum eorum, quae iam tempore, quo inita sunt, mixta erant, tum eorum, quae per transitum alterutrius partis ad fidem cath. mixta effecta sunt, Sedibus Catholicorum Spiritualibus ideo vindicantur, quod utrobique de veri nominis Sacramento agatur. (*Mon.* 122.)

B. *Monumenta.* **M o n. 58—62.**

Repraesentationes Praesulum Hungariae contra Resolutionem Reg. cuius ope iidem ad dispensationes matrimoniales proprio iure citra influxum Rom. Pontificis elargiendas provocabantur. 1781.

58. *Resolutionis R. tenor.* Sacra Caes. et Reg. Apost. Maiestas post praemissas maturas considerationes, factas reflexiones, et desuper acceptas repraesentationes omnibus Archi- et Episcopis in ditione hac sua constitutis Dioecesanis

post factam supremam conclusionem et determinationem clementer vult intimari: Imponitur Archi- et Eppis in ditione C. R. A. M. dioeceses suas habentibus, ut ipsi in matrimonialibus causis, in quantum non subesset impedimentum aliquod iuris naturae et divini, in omnibus reliquis impedimentis canonicis erga certam moderatam taxam ad ipsorum Cancellariam deponendam cum omnibus personis contrahentibus tamquam C. R. A. M. vasallis et subditis absque aliqua Pontificia aut aliunde petenda dispensatione, si sufficientia motiva et rationes adfuerint, iure proprio dispensent. Ad bonum enim statum Reipublicae momentosis o rationibus permultum confert, ut Archi- et Eppi sibi a Deo concessa officii sui potestate debita utantur. Ideirco sperat etiam Sua Maj. quod ea, quae supra memorata sunt, in effectum certissimum deducenda sint, cum ceteroquin omnes illae obligationes, quibus se Eppus qualicunque modalitate eventum in eum obstrinxisset erga Sedem Pontificiam, numquam aliter quam salvo iure tertii, per consequens salvo iure Regio intelligi debuerint et valere potuerint. Ex hac itaque ratione, et cum bonum Status publici exigat, ut Archi- et Eppi hoc in negotio absque alterius influxu ipsi soli munus suum officiumque exerceant non obstantibus quibuscunque in contrarium adducendis excusationibus et obiectionibus, a superius mentionata determinatione non recedetur, quin potius adhibito etiam brachio seculari vi potestatis a Deo concessae eadem manutenebitur. — Commune bonum non minus ac cuiuscunque subditi et vasalli exigit, ut in casu expetendae alicuius dispensationis super aliquo notorio aut publico impedimento canonico in posterum dispensatio Roma sive aliunde non petatur, verum unice ab Ordinario Dioecesano erga competentem taxam Cancellariae eius pendendam: quemadmodum iam etiam Sua Maj. ex paterna erga populos sibi subiectos sollicitudine et cura Ordinariis omnibus sua via intimari fecit, ut in negotio hoc externam tantum Ecclesiae disciplinam (quae exigentibus ita circumstantiis utique mutationi obnoxia est) tangente, potestate a Deo sibi immediate concessa utantur secundum exemplum suorum praedecessorum, per consequens in omnibus canonicis impedimentis

matrimonialibus in iure naturae aut divino non fundatis, si alias sufficientia adfuerint motiva, iure proprio dispensent. Hinc a modo in posterum nulli omnino cuiuscunque conditionis et status sit, sub gravi poena et nullitate actus liceat dispensationem aliquam in publicis et notoriis canonicis impedimentis alibi petere aut quaerere, nec Romae nec in Nuntiatura, quam unice ab ordinario suo Eppo, quemadmodum nec alicui animarum curatori licitum erit matrimonio talium personarum, quae dispensatione indigent, penes aliam quam Ordinarii dispensationem assistere. Denique Gubernium per seculares ad id munus deputatos erga Recepisse de Intimato omnibus animarum curatoribus ordines det, ne aliquis eorum sub amissione temporalis sui beneficii aut etiam officii aliquem, cuiuscunque status et conditionis sit, penes aliam dispensationem super canonico impedimento publico sive notorio praeter eam, quae ab Ordinario extradatur, copulet. — Viennae 4. Sept. 1781.

59. *Sententia Primatis super Resolutione ista in literis ad Epp. Agriensem 6. Dec. 1781. expressa.* — Ex quo seculorum usu in hac dispensationum expeditione et Episcopis facta delegatione erga eorum iteratos proprios recursus Pontifex ius praescriptione firmatum acquisiverit, et praxis haec constans universae prope Ecclesiae fuerit: arbitror nullum Epporum exercitium huius iuris via facti sibi arrogare vel posse vel velle; unde existimo in repraesentationibus ad Exc. Consilium L. R. dandis, unde haec dispositio Ordinariis venit, non absque fundamento deduci posse: ceteroquin adhuc probae substernendam esse opinionem eorum, qui asserunt, Pontificem ius hoc ex translatione ab Eppis in se facta exercuisse; quod illis probandum esset, qui hanc thesim sustinent et in ea vim ponunt, quod translatio non potuerit fieri nisi salvo iure tertii; porro non incongrue adduci poterit, possessorium Pontificis ex praescriptione firmum esse, et huic via facti Eppos contravenire haud posse. Sententiam adversariorum esse speculativam, etsi admisero unius et alterius esse talem de origine et exercitio iuris; valorem tamen Sacramentorum periculo non esse exponendum propter probabili-

tatem unius aut alterius sententiae; sed cum causae adsint, quae recursum ad alienam ac Ordinarii loci iurisdictionem disuadent, admittantur Eppi hanc delegationem pro indefinito tempore et irrestrictim sibi petere pro conscientiarum suarum tutamine. Tentatis praevie omnibus huiusmodi mediis si tamen contingeret terrae Principem insistere suae determinationi, et paratum esse ad procurandum quibusvis mediis effectum decreti: arbitror in casu particulari constitutum Eppum ad evitanda graviora mala tum Ecclesiae tum sui, tollendos item conscientiarum scrupulos, et nefors inde secuturam populi inquietudinem posse expedire dispensationem, velut in urgentissimo necessitatis casu positum, in quo non tantum difficilis, sed impossibilis evadit recursus ad Pontificem, et tamen dispensandi adsunt sufficientes causae; pro qua circumstantia vel de consensu Pontificis fundate supponere potest, vel eundem plane pro tali circumstantia nec reservasse existimare. Illuc propendet sensus Epporum nonnullorum Germaniae, quem Salisburgensis et Passaviensis facto iam expresserunt, AEppus Viennensis autem tenore literarum suarum communicavit. Quandocunque autem expedienda veniet dispensatio, eiusmodi expeditionem dandam esse censeo sine ulla vel minima taxa. Num autem in forma expeditionis id fieri ex praesumto consensu Pontificis exprimendum veniat, vel sufficiat hoc fieri ex hoc motivo, quin tenori dispensationis inseratur causa? occurrunt considerationes pro et contra: videlicet quod conveniat claris verbis exprimere, quae Eppus in praesenti rerum circumstantia sentit, ne videatur ludere obsequium, quasi revera erga Mandatum iure proprio exercitium dispensationis assumserit, imo ut anxietates conscientiarum a sponsis ipsis et populo avertantur; contra: quod vel hanc expressionem Rex reiicere, et interdicere nefors possit, aut saltem velit. Circa invalidationis clausulam matrimoniorum erga alienam ab Ordinario iurisdictionem procuratorum Exc. Consilio L. R. repraesentari potest, clausulam hanc materiam successionum, divisionum, defectuum, praecipuos videlicet Iuris Civilis Hungarici articulos ferire, de quibus in publica unice Regni Diaeta statuere receptum hactenus fuit, ea etiam ad praesens subiectum accedente

reflexione, quod per hanc poenalitatem transgredientium innocentes liberi summi criminis reorum mulcta, privatione videlicet nobilitaris praerogativae omnium bonorum, quin ipsa possidendi facultatis privatione afficerentur.

60. *Repraesentatio Eppi Sabariensis Ioannis Szily*. Excelsum etc. Gratioso suo Intimato die 27. Sept. et subseque die 29. Oct. utroque autem hocce anno iam iam delabente ad me expedito dignabatur Exc. Cons. RLH. penes communicationem b. ordinationis C. R. pro haereditariis Germanicis ditionibus circa dispensationes matrimoniales factae mihi significare, eam esse SSmae Suae Maj. voluntatem, ut eadem b. dispositio in Hungaria quoque observetur, consequenter in posterum pro dispensationibus matrimonialibus nec ad Pontificem Romanum, nec ad alium eius Delegatum sub nullitate matrimoniorum aliisque poenis per quemcunque recurratur, verum nos ipsi Eppi in omnibus impedimentis matrimonii iuris ecclesiastici auctoritate ordinaria pro utroque foro externo ac interno dispensemus. Quae b. ordinatio C. R. quoniam ipsam substantiam sacramenti seu valorem aut nullitatem matrimonii afficit, vi muneris mei Eppalis ut fidelis minister ac dispensator mysteriorum Dei sequentes considerationes in lege divina, ecclesiastica et patria fundatas Exc. Consilio RLH. humillime proponendas habeo. An Eppi distributive sumti (de collective enim sumtis hic sermo non est, cum collective sumti totam Ecclesiam Cath. repraesentent) in impedimentis matrimonii dirimentibus lege eccles. latis iure divino seu potestate immediate a Christo accepta dispensare possint? an Pontifex Romanus potestatem dispensandi in iisdem, quam exercet, ex translatione Epporum singillativorum habeat? sunt quaestiones sanctis Ecclesiae Patribus, antiquis Doctoribus, Theologis et Canonistis ignotae, ac nonnisi a nonnullis modernis excogitatae, qui plus sapiendo, quam oportet, concordiam inter Sacerdotium et Imperium hucusque vigentem turbare satagunt. Cum enim omnia dirimentia matr. impedimenta tam Summi Pontifices quam Generalia Concilia statuerint ac stabiliverint, prouti haec ex Iure Canonico, Conciliis, praeprimis autem Tridentino Sessione tota 24. de

Matr. luculenter patent, ex communi illo omnis iuris principio, quod inferior in lege superioris stricte ac ordinarie dispensare nequeat, cuncti Eppi numquam iudicarunt, auctoritatem in iis dispensandi sibi singillative iure divino competere, verum ex traditione divina, Ecclesiae definitione et consvetudine, ac ipsius rectae rationis dictamine firmissime sibi persvaserunt, similem praerogativam soli Ecclesiae et Romano Pontifici, cuius auctoritas in omnibus disciplinaribus Ecclesiae statutis per Concilium quoque Tridentinum Sess. 7. in principio, et Sess. 25. c. 21. de ref. salva esse declaratur, omnino propriam esse. Hinc ab exordio fundatae Ecclesiae Cath. quemadmodum soli Pontifices et Ecclesia, minime vero particulares Eppi potestatem imped. matr. dir. constituendi, modificandi, ac sufferendi exercuerunt, ita etiam soli Pontifices et Ecclesia in iisdem dispensare consveverunt; neque legitur huiusmodi potestas seu per leges canonicas seu per generalem consvetudinem particularibus Eppis attributa esse, qui si in aliquibus extraordinariis casibus forte dispensarunt, non iure ordinario, sed ex facultate Papae et Ecclesiae vel expressa vel tacita dispensasse censentur. Verum quidem est, quod neque legatur aliqua sanctione generali auctoritas haec Eppis ademta, et Pontifici reservata, ac Conc. Trid. c. 5. de ref. matr. dum dispensationem ex causa, gratis, raro dari concedit, non exprimit, an haec a Pontifice vel Eppis dari possit ac debeat: interim quia usus ac consuetudo est optima legum interpres, imo altera lex, usus autem et consuetudo omnium seculorum nos docet, dispensationes matrimoniales in imped. matr. dirim. non ab Eppis sed a Pontificibus datas esse, et Eppos huiusmodi ius numquam praetendisse, minus sibi arregasse, necessario consequitur, hocce ius dispensandi Eppis singillativis iure divino non competere. Nam si res penitius expendatur, tametsi Eppi quoad potestatem ordinis Romano Pontifici aequales reputentur, quoad potestatem tamen iurisdictionis multo inferiores sunt, eo, quod Pontifex Romanus supremam potestatem in Ecclesia universa divinitus sibi traditam habeat, Eppi vero nonnisi pro particularibus suis dioecesibus potestate Ecclesiae ac Summo Pontifici subordinata praediti sint, quam Ecclesia et Pontifi-

ces iuxta diversa rerum ac temporum adiuncta pro sua prudentia iam restringere iam ampliare possunt, prouti hoc Generalia Concilia, complures Pontificum constitutiones, ac ipsum, quo utimur, Ius Canonicum evidenter testantur. Hac de causa Papa iuxta doctrinam fidei Conc. Trid. Sess. 14. c. 7. de Poenit. potest quospiam casus pro tota Ecclesia reservare, quam reservationem tenentur omnes Eppi non solum iure ecclesiastico verum etiam divino in potestate clavium b. Petro eiusque successoribus a Christo collata radicato observare. Hac de causa Eppi non possunt ea omnia iure divino in suis dioecesibus, quae potest Papa in universa Ecclesia, eo, quod hic habeat in tota Ecclesia plenitudinem potestatis, illi autem vocati sint solum in partem sollicitudinis. Si Eppi in imp. matr. dir. a Papa et Ecclesia introductis propria auctoritate ordinarie dispensare quirent, nulla prorsus esset ratio, cur etiam alias Pontificis et Ecclesiae leges communes ordinarie relaxare non possent; quod tamen tum rectae rationi ac ordini, tum divinae institutioni quam dissonum foret, vel exinde quisque facile perspicit, cum per huiusmodi attributam Eppis potestatis aequalitatem ac illimitationem Hierarchia Eccles. divinitus instituta et Caput Ecclesiae tolleretur, ac unitas eiusdem dissolveretur. Verum quamvis per inconcessum admitteretur particularibus Eppis potestas dispensandi in imp. matr. dir. iure divino competere, et Pontificem Romanum ex translatione huiusmodi potestatis ab Eppis in ipsum facta in iisdem hucusque dispensare solitum fuisse, nihilominus quia Eppi hanc translationem libere fecissent proprio consensu partim tacito partim expresso, tum extra tum in Conciliis Generalibus per cuncta Ecclesiae secula firmassent, et Romanus Pontifex per huiusmodi translationem et imperturbatum omnium seculorum usum et praescriptionem ius firmissimum privative dispensandi acquisivisset, ab hoc utique iure quaesito nulla lege via facti per Eppos singillativos aut etiam in quacunque Synodo particulari congregatos, minus vero per Potestatem Secularem privari potest. Praeterquam enim quod materia matrimonii, velut in lege Evangelii a Christo Domino ad dignitatem Sacramenti elevati Ecclesiae subiecta sit, et causae matrimoniales, uti Trid. Sess. 24. can. 12. de Matr. docet, ad Iudices Eccles-

spectent, etiamsi supremi terrae Principes quodpiam ius circa dispensationem matrimonii fovissent, aut fovere potuissent, illi proprio suo facto pridem renunciarunt. Omnes quippe Supremi Principes Catholici ab exordio Ecclesiae potestatem in imped. matrim. dispensandi in solo Pontifice, neutiquam autem in particularibus Eppis agnoverunt, et proprio facto testati sunt, dum pro eiusmodi matr. dispensationibus non ad particulares suos Eppos, sed ad Papam semper recurrerunt, neque ullus supremus Princeps ex universa eccles. historia adferri potest, qui similem dispensationem a privato suo Eppo vel petiisset, minus acceptasset. Ipsi gloriosae remiuiscentiae Imperatores ac Reges nostri ad haec usque tempora hoc ius Pontificium numquam in dubium rovocarunt, minus per hanc potestatem Pontificiam quodpiam praeiudicium iuri suo regio inferri existimarunt; verum a tempore immemoriali, quinimo semper dispensationes in variis imped. matr. tam pro Augusta sua stirpe, quam pro aliis privatis personis non a particulari quocunque Eppo, sed ab ipso Pontifice petere et accipere consveverunt. Potestate itaque Pontificis in imped. matr. dirim. dispensandi ex iure divino et ecclesiastico et communi Principum et populorum cathol. usu adeo firma existente, prorsus non videtur, qua ratione Ille a filiis suis ea via facti privari ac eadem in iuvitos Eppos, qui eam potestatem proprio nomine numquam exercuerunt, et stantibus modernis Ecclesiae sanctionibus neque exercere possunt, reclamante Pontifice transferri queat? Profecto magna vis conscientiis per hanc ben. ordinationem infertur; dum secundum sententiam legibus canonicis et seculorum consvetudini contrariam Eppi ac populi catholici operari coguntur, cum tamen Sua Maj. neque acatholicorum conscientiis vim inferri velit. Et si de mera actuum liceitate ageretur, vis ea tolerabilior foret, sed quia de validitate Sacramentorum negotium vertitur, inextricabilibus conscientiae angoribus coustringuntur, dum parte ex una Principis imperium, parte ex altera Dei mandatum verentur. Tametsi enim nonnulli contra communem Doctorum, Theologorum, et Canonistarum sensum teneant, potestatem in imped. matr. dirim. dispensandi Eppis iure divino competere, et eam, qua hodiedum utitur Pontifex, ex translatione Epporum ha-

bere (quod tamen utrumque per ipsos probandum foret); nihilominus quia haec nova sententia vix probabilis esset, et si etiam aliquam probabilitatem assequeretur, speculativam seu tenuem non excederet, imo si etiam ad veram probabilitatem assurgeret, in materia Sacramentorum, ubi de eorum valore agitur, relicta probabiliori adhiberi neutiquam potest. Dei nimirum institutio, sanctitas ipsa Sacramentorum et has secundans Ecclesiae ac Pontificum, signanter Innocentii 11. hanc damnantis propositionem : „non est illicitum in Sacramentis conferendis sequi opinionem probabilem de valore Sacramenti relicta tutiore“, sanctio exposcit, ut in Sacramentis secundum probabiliores ac tutiores sententias procedatur, ne secus sacramenta periculo nullitatis exponantur; quid quod ipsimet contrahentes conscientiae stimulos iure merito experientur, dum recogitaverint, se a talibus dispensari, qui ex clara Ecclesiae lege potestate dispensandi carent. Haec benigna dispositio tanto magis est onerosa, quod etiam principiis legum nostrarum patriarum minus cohaereat. Nam cum ea pro haereditariis Suae Maj. Germanicis ditionibus primitus edita sit, apud nos Hungaros haud inducenda esset, qui art. 3: 1715. et 8 : 1741. praecanti et assecurati sumus, quod ad normam aliarum provinciarum non gubernabimur. Praeterea ab exordio Christianitatis per antenatos nostros susceptae potuimus imo etiam debuimus in imped. matr. dirim. ad Rom. Pontificem ot eius Delegatum recurrere; quomodo itaque hac libertate Regno nostro coaeva via facti privabimur? quomodo matr. cum dispensatione Pontificia inita ipso facto nulla reddentur? Proles ex huiusmodi matrimoniis illegitimae evadent, ac iusta et legali parentum suorum successione iuribusque excludentur. Certe hae tam graves sequelae sunt antelatae b. ordinationis regiae, ut eam tanto minus in Hungaria introduci sinant, quo sanctius Sua Maj. initio statim felicis sui regiminis Status et Ordines securos reddidit, quod eosdem in iuribus, privilegiis, libertatibus et immunitatibus illibate inviolabiliterque conservare, nec iisdem quaqua ratione derogare velit. Denique quoniam causae matrimoniales velut de spirituali ac sacramento tractantes dictamine etiam legum patriarum continuo omnium seculorum usu roboratarum, signanter art. 3: 1462. — 19 : 1471. — 70 : 1618. — 15 :

1647. ad forum spirituale privative spectant, causae vero spirituales ex cap. 2. Decr. II. S. Stephani art. 22: 1553. — 17: 1563. secundum iura canonica tractari, ac iudicari debeant, ab origine christiani Regni Hungarici cunctae res matrimoniales iuxta SS. Canones decidebantur, ac administrabantur. Qui cum dispensationes matr. per Pontifices non solum admittant, quinimo praescribant, cuncti Eppi et cum his omnis populus christianus Hungaricus piaculo semper sibi duxerunt, Pontificias dispensationes reiicere, tanto magis propria auctoritate dispensare. His igitur ex considerationibus et conscientiae ductu motus Exc. Consilio RLH. demisse supplico, ut has et similes reflexiones Suae Maj. repraesentare, praepotentique sua interpositione efficere dignetur, quatenus Sua Maj. nos in antiquo usu Regno nostro coaevo, et non solum in lege patria, verum etiam divina et eccles. fundato dispensationes Pontificias in imped. matr. dirim. petendi, acceptandi, et exequendi ultro quoque relinquere, aut adminus nobis Eppis indulgere clementissime dignetur, quo nos ad evitandas matrimoniorum nullitates et ad tutandas nostras conscientias a Summo Pontifice facultatem seu delegationem dispensandi in imped. matr. iuris eccles. pro indefinito tempore et sine restrictione petere queamus. Hac quippe ratione et Suae Maj. intentioni ad publicam Statuum suorum utilitatem directae satisfieret, et legibus ac iuribus nullis quidquam derogaretur, et conscientiae nostrae ac contrahentium quietem nanciscerentur, cuius ope pastorale munus tanto securius ac promtius ad maiorem Dei gloriam, ac animarum, nec non Regis ac Regni commodum explere poterimus. —

61. *Repraes. Eppi Weszprimiensis Baizáth.* Bina Exc. huius Consilii gratiosa Intimata — in eodem conuexive merito, videlicet ut dehinc dispensationes matrimoniales in imped. canonicis tam pro externo quam interno foro citra influxum Summi Pontificis aut alterius exterae Iurisdictionis sola auctoritate ordinarii Episcopi expediantur, emanata — veneranter percepi. — Quod concernit utriusque praecitati Intimati meritum, hoc omnino animum meum, qui ceteroquin unum ex minimis Suae Maj. SSmae subditis me esse reputo, maiorem in

modum perplexum reddit. Utut enim noverim, inter privatos scholasticos ultro eitroque verti illam quaestionem: an Eppis iure divino directe vel saltem subordinate attributa sit potestas dispensandi in matr. impedimentis a iure prohibitis? nemo tamen seu e litigantibus scholasticis, seu ex recentioribus magis criticis auctoribus negaverit, exercitium huius potestatis tam ante quam post celebratum Conc. Trid. immediate penes solum Summum Pontificem resedisse, idque Eidem non oscitantia, aut Epporum ignavia vel assentativa conniventia, sed unanimi totius Ecclesiae Cath. consensione adsertum, imo ipsorum quoque Imperantium, qui in casu matrimonii sui recursum facere numquam dubitarunt, manifesto exemplo confirmatum fuisse, adeoque Summum Pontificem iure sibi ex communi Ecclesiae consensu debito non immerito legaliter uti potuisse. Num itaque mihi, aut alteri Eppo ordinario integrum sit in ius Summi Pontificis tot seculorum pacifico usu firmatum adversus communem Ecclesiae sensum via facti involare? arbitrentur illi legumperiti, quorum muneris est, ius suum unicuique ex aequo tribuere. Meum unice est agnoscere, Eppos ordinarios magnam equidem in iis, quae ad Deum et eius Ecclesiam pertinent, ab ipso auctore Iesu Christo potestatem accepisse; diffiteri tamen nequeo, Principi Apostolorum S. Petro et eius in fundata cathedra successoribus cum Principatu in Ecclesia amplius aliquid tributum fuisse, dum ipse Salvator Luc. 20. 30. Petrum affatur: Ego rogavi pro te Petre, ut non deficiat fides tua, et tu aliquando conversus confirma fratres tuos. Unde si non aliud, illud certe consectaneum est, quod ex ordinatione divina in dispensandis divinis, et ecclesiasticis ministeriis Petrum quidem et huius legitimos successores directe et principaliter, Eppos autem ceteros cum respectiva subordinatione operari oporteat, quod ipsum rectus gubernandi Ecclesiam ordo et Hierarchiae Eccles. ratio suapte exposcit. Quantumvis proinde scholastica illa quaestio: an Eppis dispensandi in canonicis imped. immediata sit a Deo potestas? quaqua ratione ad disciplinam duntaxat reduci, et in disciplina Ecclesiae pro varietate temporum variatio aeque admitti possit, hanc tamen variare non a privato cuiusque arbitrio, sed

praecise ab universalis Ecclesiae, cuius consensu facta est, communi iudicio pendere nemo forte inficiabitur, nisi qui in recto ordine hactenus collocatam Ecclesiae disciplinam subinde in confusionem adducere, et membrorum Ecclesiae cum hac et huius visibili capite praehabitum vinculum penitus disrumpere velit. Quocirca cum Eppi iure ordinario dispensandi in canonicis matr. imped. communi Ecclesiae consensu iam a seculis extra usum positi existant, huiusque iuris et exercitii potestas pari Ecclesiae consensione soli Summo Pontifici, qui non exterus, sed communis domesticus Pater a sinceris Ecclesiae filiis reputandus est, reservata habeatur, hinc quemadmodum in his perplexis rerum et temporum adiunctis Eppis ordinariis de valore dispensationum suarum non immerito locus dubitandi superesse possit, in dubio autem valoris operari et sacramentum Matrimonii nullitatis periculo exponere omni iure praecautum foret; ita ne Epporum conscientiae vis inferatur, ac ipsi etiam contrahentes et contracti matrimonii sanctimonia in tuto collocentur, opportunius aliud remedium non videri, quam si velut in Hispania, ita in Hungaria etiam omnibus ordinariis Eppis illimitata dispensandi potestas a visibili Ecclesiae Capite sua via impetraretur; quo facto benigna quoque Suae Maj. intentio cum tutatione multorum conscientiae adaequate impleretur. — Weszprimii 18. Nov. 1781.

62. *Repraes. Eppi Rosnaviensis L. B. Andrássy.* Exc. Consilii R. L. ad me die 29. Octobr. directo Intimato satisfacturus, significo: omnia Maj. SSmae mandata, nisi quae pro privata Eppalis officii notitia emanaverint, semper fidelissime fuisse Districtibus singulis huius meae Dioecesis commendata, et quae agenda praecipiebantur, fere per extensum servatis omnino rescripti ipsius tenoribus communicata. Idque etiam de omnibus, quae a felicissimis Aug. Regis nostri coeptae gubernationis auspiciis emanarunt, universe actum et praestitum est, si excipiantur ea, de quibus, cur vulgari per me haud potuerint, rationem, quantum rei gravitas admittit, strictissime, ne longior oratio aut taedium aut moram negotiis pluribus inducat, praesentibus subiicio. — *Quantum ad dispensa-*

tiones Romanas : Quod de casuum reservatione, idem omnino de dispensationum Apostolicae Sedi reservatarum oeconomia et sentiendum et agendum est : idem enim utrorumque est fundamentum, radix eadem, primatus scilicet iurisdictionis in universam Christi Ecclesiam divino iure Romano Pontifici collatus, quem fide catholica tenemus. Possunt ergo, ut Tridentini Concilii doctrina de reservatione casuum supra laudata habet, Romani Pontifices pro suprema potestate sibi in Ecclesia universa tradita dispensationum causas suo peculiari iudicio reservare; imo cum ex universalis pastoris officio eccles. regularum et ss. canonum cura illis esse debeat praecipua, aequitatis naturalis iure ita poscente modis quam optimis studere, ut possunt, debent, ne constituta per illos disciplina collabatur. Quod ipsum an et quomodo utiliore ratione, quam dispensationum reservatione fieri valeat, ipsorum committendum est iudicio. Illud sat certum cuivis videbitur, magis ad exactam legum custodiam spectare, si uni vel paucis, quam si multis integrum relinquatur dispensandi arbitrium. Est ergo reservandarum sibi dispensationum potestas penes Rom. Pontificem, quia fide tenemur divina agnoscere, primatum ipsi iurisdictionis cum potestate clavium regni coelorum divinitus collatum esse. Atque adeo nisi ipse vel reservationem cessare faciat, vel dispensandi potestatem deleget, numquam suus matrimoniis stabit valor et firmitas, quae intra prohibitos gradus contraherentur, irrita citra delegationem Eppi dispensatione; non aliter quam in irritum caderet absolutio a reservatis casibus citra reservantis auctoritatem impensa. Causas matrimoniales ad Iudices spectare Ecclesiasticos definivit Conc. Trid. Sess. 24. can. 12. Hi autem citra delegationem elargitam dispensationem, nisi reservationem Sedes Apostolica ipsa remiserit, numquam legitimam probare poterunt, nec contractum secundum eam matrimonium validum pronunciare. Sua est a Deo immediate Eppis potestas, sed usus eius partim per provinciales, aut Nationales, partim et maxime per oecumenicas Synodos, et Summos universalis Ecclesiae Pastores Romanos Pontifices varie pro ratione temporum ordinatus, id quod christianae aerae saeculorum gesta testantur. Et quemadmodum divinae institutionis dispositione com-

missa sibi universalis Ecclesiae moderandae cura semper defungi debent Romani Pontifices, ita minime dubium est, quin omnia eorum scripta, quae vel dogmata et mores, aut eccles. disciplinam spectant, Eppi singuli reverente et promto animi obsequio non solum excipere, verum quatenus possunt exequi teneantur, gravis ceteroquin apud Deum reatus culpa haud vacaturi. Quodsi per opposita obstacula nihil proficientibus seu adhortationibus seu precibus eorum illam in se impedientes derivaverint, ipsi innoxii bonum conscientiae suae testimonium retinentes nihil amplius sibi reliquum esse intelligent, quam ut id, quod emendare nequiverint, patienter tolerando assiduas inter lacrymas et orationes Divinae committant providentiae, suo ceteroquin in gregem sibi subiectum pergant munere defungi, secundum illud S. Pauli Timotheum instruentis: Testificor coram Deo et Iesu Christo, qui iudicaturus est vivos et mortuos per adventum ipsius et regnum eius, praedica verbum, insta opportune, importune, argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina. Habentes usque prae oculis, ad quod Paulus provocat, extremi iudicii divinum testimonium, ut primum sibi, tum gregi suo intenti sint semper: attendite vobis, et universo gregi, omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi, et cui plus datum est, plus repetetur ab eo. Et quoniam ad fidei caritate firmatae integritatem omnimodis necessaria est tam fidei quam communionis cum universalis Ecclesiae capite coniunctio, instantissime eadem est praedicanda, ingeminandumque cum Psalte Regio: Ne auferas de ore verbum veritatis usquequaque, quia in iudiciis tuis supersperavi, et custodiam legem tuam semper — et loquebar de testimoniis tuis in conspectu Regum, et non confundebar. — Ut cum veritate aliquando dici possit cum Paulo Apostolo: Vos scitis, quomodo nihil subtraxerim utilium, quominus annunciarem vobis, et docerem vos publice, et per domos, nec fecerim animam meam pretiosiorem quam me, dummodo consumem cursum meum, et ministerium verbi, quod accepi a Domino Iesu, testificari Evangelium Gratiae Dei. Quae dum e gravissima officii mei ratione Exc. Consilio R. L. exhibeo maneo etc.

Mon. 63.

Primas Regni Hungariae suo et Epporum nomine circa mandata regia quoad Bullas Pontificias, Religiosos et censuram librorum edita Regi repraesentat, ac una de dispensationibus matrim. sensa sua et Epporum exprimit. 1781.

Sacratissima etc. Pro fidei meae integritate, assiduoque iussns regios ad congruam deducendi effectuationem studio meo indulgebit Maj. Vra SSma, ut collectos circa data ad Clerum intimata regia tum meos tum partim utriusque Provinciae, Strigoniensis videlicet et Colocensis Episcoporum sensus humillima mei cum submissione altissimae repraesentem deliberationi. Prouti vero haec praecipue ad quinque diriguntur obiecta, ita ad eadem singula candidam relationem et repraesentationem eadem serie exponendam esse existimavi. — Ad tertium : — Quod vero Episcopi delegationem in impedimentis praecipue matrimoniorum receperint a Sede Romana, non est tantopere factum ex restitutione bullae Coenae Domini, sed ex universae Ecclesiae praxi, seculorum usu adusque continuata, et ex praescriptione pro lege reputata; et quod bulla Coenae eiusmodi reservationes complectatur, quae non tantum sui editae temporis sunt, sed retro celebratorum Conciliorum oecumenicorum, ut vel inde praescindendo ab ea vel ex universalis Ecclesiae disciplinae reverentia adusque teneant Eppi in occurrentiis de valore Sacramentorum pro tutiori conscientia eiusmodi delegationem dispensationis esse necessariam, ne cum periculo animarum probabilitati sententiarum infundate deferatur, nullibique alias etiam ingratus probabilismus magis excludi debeat, ac dum agitur de valore Sacramentorum; et ideo adhuc existimant, suae liberae actioni locum haud futurum, et in casu epikiae pro bono duntaxat morali procurando; quibus in casibus per se rarioribus Eppi numquam defuerunt, iurisdictionis suae exercitio necessitati sibi creditarum animarum succurrere, et rarissima dispensatio conformis erit maxime veteranae Ecclesiae disciplinae et praxi, Conciliorum item sanctionibus, num-

quam tamen excludendo Pontificiam in universa Ecclesia potestatem. Sed et penes eius dispensationem celebrata matrimonia irrita declarare non tantum canonum et oecum. Conciliorum sententiis esset contravenire, sed et legum patriarum systemati etiam quoad effectus civiles. Nam insinuata poena nullitatis eiusmodi matrimoniorum involvit obiecta successionum, divisionum, nobilitaris praerogativae effectus, praecipuos videlicet iuris civilis Hungarici articulos; de quibus legem ferre unice in Regni Diaeta receptum hactenus fuit. — Posonii die 12 Dec. 1781.

Mon. 64.

Rescriptum Regium erga hanc repraesentationem dd. 16. Ianuar. 1782. ad Primatem dimissum.

Reverendissime etc Reddita nobis est demissa Rendmae Paternitatis, Dilectionis et Fidelitatis Vestrae super quinduplicis ordinis ben. nostrarum in re publico-ecclesiastica emanatarum ordinationum obiectis remonstratio sub die 12. praet. m. Dec. ad nos exarata, ac reliquorum etiam utriusque provinciae, Strigoniensis videlicet et Colocensis Epporum hoc in passu sensum in se complectens. Qua in re Rev. Pat. Dil. et Fid. Vestrae non minus ac reliquis utriusque provinciae Eppis declarandum duximus: emanatas has in rebus ecclesiasticis ordinationes praevia matura deliberatione praescriptas fuisse, illas quoque iam a pluribus vero pro Ecclesiae bono zelo dotatis ac vera doctrina imbutis Eppis absque ulla remora executioni dari. Numquam eam fuisse intentionem nostram, Clero aut subditis quidquam, quod eorum conscientiae gravamini esse posset, iniungere, declaratumque ea ex ratione iam saepius a nobis fuisse, iis ex Clero, qui absque scrupulis et conscientiae anxietate mandatis his obtemperare non posse crederent, liberum, omnino esse, officia sua aut dignitates deponere et extra ditiones nostras quocunque velint sese conferre. Ceterum nos in Eppis fiduciam quidem ponere, simul tamen iis praecipere, quo omnibus praedictis ordinationibus nostris morem gerant

ac conceptus earum publicationum, quae per Ordinarios ad subordinatum sibi Clerum factae sunt, pro praeterito exhibeant, pro futuro vero eos ante publicationem Consilio nostro R. L. praevie semper pro approbatione submittant, cum ab his ordinationibus nostris, quarum intentio in adiacentibus annotationibus uberius explicatur, nec minime ullo in passu recedere constituerimus. Quam altissimam declarationem una ac ordinationem nostram Rev. Pat. Dil. et Fid. Vestrae finem in eum hisce clementer perscribendam duximus, ut de illa reliquos etiam utriusque provinciae Eppos certiores reddere noverit.

Provocatae Annotationes. Die Befolgung der in Ecclesiasticis erlassenen Anordnungen kann ohne Anstände leicht ausgeführt werden: denn: — In Ansehung der Ehe- Dispensationen ward es zu verschiedenen Zeiten in der Kirche verschieden gehalten: es ist also eine blosse Disciplinarsache. Das gemeine Beste erfordert, dass die Bischöfe in ihre Rechte zurücktreten, welches um so leichter ohne Anstand geschehen kann, als diese Ehe- Dispensationen ja nicht immediate von dem Pabste, sondern nur theils von der Poenitentiaria, theils von der Dataria, und auch von diesen blos nach der Information der Bischöfe oder ihrer Consistorien ertheilet werden.

Mon. 65.

Literae Eppi Rosnaviensis Andrássy ad Primatem post praevium Rescriptum Reg. dimissae. 1782.

Eminentissime etc. Rescriptum Maj. SSmae ad Eminentiam Vestram directum insinuat: emanatas in rebus ecclesiasticis ordinationes matura deliberatione praescriptas fuisse, illas quoque iam a pluribus vero pro Ecclesiae bono zelo dotatis et vera doctrina imbutis Episcopis absque ulla mora executioni dari. Quantum est ad hos Eppos: iudicium de iis spectat ad Ecclesiam, non ad Caes. Regiam Maiestatem. Nec unus Eppus alterum iudicare habet; quando — ait S. Ambrosius ad Valentin. Augustum — audisti Clementissime Impe-

rator, in causa fidei laicos de Eppo iudicasse? Si docendus est Eppus a laico, quid sequetur? laicus ergo disputet, et Eppus audiat, Eppus discat a laico; at certe si vel scripturarum seriem divinarum, vel vetera tempora retractemus, quis est, qui abnuat in causa fidei, in causa, inquam, fidei Eppos solere de Imperatoribus christianis, non Imperatores de Eppis iudicare. Si ergo sunt aliqui, qui fors studio placendi magis, quam ecclesiastico spiritu acti id faciunt, non praeferantur propterea ratione zeli et doctrinae ceteris pluribus, aut etiamsi paucioribus, sed tamen Ecclesiae Capiti, canonumque statutis firmius adhaerentibus iudicio Maj. SSmae, sed si res poscit, Ecclesiae universae expetatur sententia. Dei enim Ecclesia non est territorialis sed catholica. Non audiendi sunt Eppi, quos volumus, sed quos audire inprimis debemus. Ubi Petrus, ibi Ecclesia, ait S. Ambrosius. Constantius Imperator audiebat Eppos, sed quos magis audire debuerat, catholicos Antistites relegabat. Doctrina Eppo est necessaria, non minus tamen necessaria est constans veritatis assertio, et robustum universalis ecclesiasticae disciplinae tuendae studium. Dantur et fragiles quandoque Eppi, maxime si Principum seculi obiiciatur auctoritas. Unde religiosi Principis est, in rebus ecclesiasticis libera omnino relinquere iudicia Epporum. Si enim ad hoc, ad quod suam a Deo minime acceperunt, auctoritatem usurpent, id fere consequitur, quod S. Ambrosius ad Magnum Theodosium scribens elegantissime una ac verissime expressit: Necesse igitur, ut aut praevaricatorem, aut martyrem faciat; utrumque alienum temporibus tuis, utrumque persecutionis instar, si aut praevaricari cogatur, aut subire martyrium; vides quo inclinet causae exitus; si fortem putas Eppum, caveto martyrium fortioris, si inconstantem, declina lapsum fragilioris, plus enim adstringitur, qui labi infirmum coegerit. — Quod ad prius membrum attinet, matura deliberatione ordinationes illas in rebus ecclesiasticis fuisse praescriptas: absit verbo invidia; nam cum opus est, veritas etiamsi fors odium pariat hominum, in Dei eiusque Ecclesiae causa dissimulari non potest; ad praescribendum prius potestas et iurisdictio desideratur, quam matura deliberatio. Veritas est catholica scripturis divinis et evidentissima con-

stantissima que traditione manifestata: Principibus secularibus res ecclesiasticas tuendi promovendique auctoritatem esse unicam, nullam iure et cum potestate ordinandi vel gubernandi. Sunt obiecta mere civilia, de quibus summa et plena est Regum iurisdictio. Sunt mere ecclesiastica, de quibus nulla; sunt denique mixta, de quibus magna sed non unica et summa agnosci potest auctoritas. Haec enim postrema catenus ad utramque referri debent, quatenus fide et sana philosophia docentibus luculente intelligitur Deus homini, Religio Politiae, Ecclesia Civitati, anima corpori, felicitas sempiterna felicitati temporali huius vitae praestare. In his ergo defert, quoad potest, Ecclesia Principibus; sed ius ordinandi regendique Ecclesiam iis deferre non potest, quod id ius divinum sit, non humanitus acquisitum, iuxta illud S. Ambrosii: Non possumus ita ergo quadam adulatione curvari, ut sacerdotalis iuris simus immemores, et quod Deus donavit nobis, ipsi aliis putemus esse credendum. Pergit deinde Maj. Sua SSma in Rescripto suo significare: numquam eam fuisse intentionem suam. Clero aut subditis quidquam, quod eorum conscientiae gravamini esse posset, iniungere, declaratumque ea ex ratione iam saepius ab Eadem fuisse, iis ex Clero, qui absque scrupulis et conscientiae anxietate mandatis his obtemperare non posse crederent, liberum omnino esse, officia sua aut dignitates deponere, et extra ditiones, quocunque vellent, se se conferre. Quod est ad primum: de intentione nec Ecclesia habet iudicare. Est qui iudicet scrutans corda et renes Deus. Ecclesiae tantum est iudicare de doctrina et moralitate actionum humanarum. Quid recta conscientia fieri possit, quidve peccati qualitatem involvat, Ecclesia iure declarat omnibus fidelibus. Quis unquam adstruxerit conscientiae recte formandae regulas non magis ab Ecclesia, quam Principum placitis petendas esse et capiendas? Hobbesius id tandem dicere potuit, qui iusti iniustique regulam, voluntatem statuit Summi Imperantis. Quis, quaeso, Episcopis, quos Spiritus S. posuit regere Ecclesiam Dei, coram divino tribunali excusationi locus esset, si in regimine Ecclesiarum suarum magis Principum secularium decretis, quam Ecclesiae legibus, canonum statutis et Summorum Pontificum ordinatio-

nibus detulisse ac conscientias suas Regum conscientiis accomodasse invenirentur? Numquid non Principes fideles Ecclesiae eiusque Epporum regulis et conscientiis suas merito conscientias, et iustissime tutissimeque conformant? Studemus omnino placere Principibus: sed credimus etiam, ut debemus, habere nos communem cum Principibus Dominum, cui displicere plus periculi sit, quod et corpus et animam perdere possit in gehennam. Ceteroquin quomodo libertas deserendae stationis cum libertate conscientiae cohaereat? non est, quod disquiratur. Illud certum est: liberum haud esse Eppis suas ultro deserere Ecclesias. Pastores sumus per ostium ingressi ovile. Mercenarius fugit et dimittit oves: pastor autem bonus ponit animam suam pro ovibus suis. Notum est Catholicis, quod vinculum alliget Eppum Ecclesiae suae. Ad minas similes quid aliud, quam quod D. Ambrosius, reponendum habebimus? Sed deportationem (inquit S. Pater) minantur? didicimus Christi servuli non timere. Non timentibus numquam est gravis terror. Non quod sufficientes simus vel cogitare aliquid a nobis, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est: qui et idoneos nos fecit ministros. Vinculati sunt Petrus et Paulus, relegatus Ioannes discipulus ille, quem diligebat Iesus. Apostolorum successores sumus. Sacram Eminentiae Vestrae purpuram etc.

Mon. 66.

Vaciense Consistorium dd. 5. Febr. 1782. meritorias contra Decretum Tolerantiale, concessosque per id favores haereticis hominibus, pleno cum candore ac sacerdotali libertate proponit Regio Consilio reflexiones, et simul de dispens. matrim. se enunciat.

— Manifesta nobis vis et coactio infertur — dum resumta attributa Praesulibus Ecclesiarum a Deo potestate tam pro interno quam externo foro ita absolute uti iubemur, ut simul omnis seu dispensationis in impedimentis canonicis, seu absolutionis a casibus quibusve reservatis causa ad Sedem

Apost. recursus nobis prohibeatur: quae potestas ante praetensam collectionem decretalium Isidori mercatoris per Antistites Ecclesiarum, per Synodos Provinciales, imo ipsa Concilia Generalia Sedi Apostolicae et verbis et facto delata fuit, ut Hist. Eccl. monumenta testantur. Nec infundate: praevidebant enim et experiebantur facile ruituram canonicam disciplinam, si quot Eppi tot essent eius solvendae auctores, ubi singulis adlubesceret, optimatibus et Dynastis nulla etiam canonica ratione suffragante ad disciplinam Ecclesiae solvendam illos facile inducturis, vel etiam solutionem illius extorturis; provincialibus Synodis in his temporum circumstantiis non facile, multo minus emergentis eiusmodi casus gratia convocari queuntibus, maxime quando optari potius quam sperari potest, ut ea sapientiae luce et vigoris constantia instructus sit unusquisque Eppus, ut semper et provide dispenset, indeque ut removeantur lites in Eppos improvide aut molliter dispensantes. Omnis siquidem haec potestas non ad dispergendum, sed ad aedificandum concessa solum est. Hoc Epporum, hoc Synodorum prov. factum praebuit occasionem Sedi Apostolicae id, quod sponte delatum fuit ante, subinde positive etiam sibi reservandi. De qua reservatione actum satis fuit in Synodo Tridentina, collatisque et discussis omnibus, quae in obversum facere poterant, nihil esse catenus innovandum, communi Patrum consensu decretum fuit. Quoad forum internum et illud accedit, quod si vetus Ecclesiae disciplina, qua quaedam crimina plurium annorum rigidissima poenitentia expiari debebant, cum moderna conferatur, qua absolutio a Poenitentiaria Apostolica petenda est, satis apparet, morem modernum et conformem esse veteri Ecclesiae disciplinae et infirmitati humanae magis accomodatum: ut quorum relaxatus Ecclesiae rigor circa peccatorum remissionem peccandi audaciam et temeritatem fovere posset, saltem difficultas obtinendae absolutionis cohibeat. —

Mon. 67.

Pii VI PP. epistola ad AEppum Trevirensem, in qua tum potestatem Ecclesiae statuendi impedimenta matrimonium dirimentia evincit, tum ius per Edictum Caesareum Episcopis adsertum dispensandi propria auctoritate ordinaria impugnat. a. 1782.

Post factam Tibi, Ven. Frater, a Nuncio Nostro Coloniensi declarationem circa impedimentorum, de quibus agebatur, dispensationes, Tuas ad Nos dedisti literas die 15. Dec. in quibus cum significaveris, quantis propterea in angustiis verseris, eandem renovasti postulationem, pro obtinenda nimirum extensione facultatum ad quaevis impedimenta matrimonialia iuris humani, et tantum pro subditis Austriacis dispensanda; idque eum in modum egisti, qui Tuae in Nos pietati, in Apostolicam Sedem devotioni, ac in Ecclesiam studio illustribus iam dudum indiciis perspecto maxime est consentaneus. Cum a gravissimis causis adductos Nos esse agnoveris, ut in id, quod iam suscepimus, consilium deveniremus, minime dubitamus, quin tum Tibi si non ipsa re, at rationibus Nostris satisfactum per Nos esse existimaveris. Quo id igitur a Te consequamur, eas ipsas hic breviter adgredimur exponere Tibi consilii eius nostri rationes.

Auctoritatem sane constituendi matrimonialia impedimenta penes Ecclesiam esse dubitari nullo modo a Catholicis potest, cum id definierit Tridentinum Concilium Sess. 24. Can. 4: „Si quis dixerit, Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta matr. dirimentia, aut in iis constituendis errasse, anathema sit.“ Ex quo Catholici Doctores, illi etiam, qui plurimum laicae potestati favent, ac tribuunt, minime dubitarunt agnoscere, Ecclesiae eam auctoritatem esse a Christo Domino datam, ipsamque illa a primis seculis ad haec usque tempora semper usam fuisse. Adduci hic multa possent antiquissimi huius usus monumenta, eorum scilicet temporum, quibus abesse longissime debuit, ut eam praerogativam ethnici Principes Ecclesiae concesserint, a quibus illa gravissi-

mas persecutiones toleravit. Proinde anteriora fuere eiusmodi Ecclesiae edicta, et quodammodo consequentibus Imperatorum constitutionibus normam praebuere. Atque hic animadverti praecipue potest, ipsum affinitatis impedimentum primis illis seculis fuisse ut dirimens per Ecclesiasticam Legem declaratum, ut habemus ex Epistola S. Basilii ad Diodorum, et ex Conc. Neo-caesar. can. 20. idque, ut doctus aliquis Iurisconsultus in notis ad Conc. Eliberitanum asseruit, „antiquo Romanorum iure abrogato." Hinc tanto magis efficitur, ab Ecclesia proprio iure constituta esse impedimenta, planeque locum eripi cavillationi, qua quidam Tridentinae Synodi definitionem eludere contendunt, cum dicunt, Concilium non definivisse, utrum haec auctoritas ex Christi institutione, an ex Principum indulgentia tacita vel expressa in Ecclesiam manaverit. Quoniam eum ea Apostoli sancirent, quae ad fidelium coniugia pertineret, eorumque proximi successores, certe illam non ex hac indulgentia tenuisse dicendi sunt, sed usi cum fuerint, nonnisi a Christo una cum clavibus ipsam se recepisse iudicarunt. Quodsi a Domino non recepissent, profecto in ea sibi tribuenda errassent, ac in legitima Principatus iura invasissent. Id quam sit absurdum, quisque facile intelliget. Notum est etiam, quod Can. 3. eiusdem Sess. 24. definitum est: posse Ecclesiam constituere, ut plures gradus impediant ac dirimant. Cum ergo nullo unquam tempore dogma fidei falsum fuisse potuerit, aut esse possit, necesse est, ut ab Ecclesiae origine et omni anteacto tempore verum fuerit, et omni consequenti aetate verum futurum sit, Ecclesiam ea, quae a Concilio asseritur, potestate pollere. At si tacita saltem Principum requireretur ad eam habendam potestatem concessio, sequeretur, illud primis Ecclesiae temporibus, sub Principibus nimirum ethnicis, verum esse non potuisse, neque hoc tempore verum esse posse iis in locis, in quibus Christi fideles degunt sub infidelium dominatione; et si ob aliquam, ut vocant, rationem Status Principes revocata ea, quae obtenditur, indulgentia et concessione, abrogare sancita ab Ecclesia impedimenta valerent, fieri posset, ut verum esse desineret, quod a Tridentino definitum est, idque portenti existeret, ut aliquando dicen-

dum foret, Ecclesiam non posse, quod Ecclesiam posse Spiritus S. Oecumenicae Synodi oraculo declaravit. Igitur ea, quam memoras, recentium pseudopoliticorum et canonistarum sententia non solum est Ecclesiae iniuriosa, sed et eius constanti sensui, traditionique prorsus adversa. Quod adeo Caesareae Maiestati perspectum fuit, ut in eius Edicto numquam, ut inquis, impugnetur ea Ecclesiae auctoritas, sed mandetur, ut *Episcopi dispensent iure proprio*, ipsis scilicet a Christo collato atque exercito a suis primitivorum temporum praedecessoribus.

At nullum suppetit argumentum, Episcopos primo illo aevo eam, quam habuisse dicuntur, dispensandi facultatem quoad matrimonium contrahendum exercuisse. Imo illi ipsi canonistae, qui adversum sacrae huic Sedi animum praeseferunt, nullum huiusmodi dispensationum exemplum invenire atque adducere potuerunt ante Innocentium 3. qui pro Ottone 4. impedimentum in quarto consangvinitatis gradu relaxavit, ea tamen lege, ut duo amplissima Monasteria Otto fundaret, omneque per imperium largis eleemosynis et ferventibus orationibus illud ecclesiasticae disciplinae vulnus compensaret. Quapropter et primum ab Apostolica Sede exerceri ea dispensationum potestas coepit, et hic usus penes illam solam perseveravit, atque ad eandem solam pertinuit, prout totius Ecclesiae consensu fuit agnitum : nam alios Episcopos numquam eam sibi facultatem assumsisse constat, ne in remotioribus quidem gradibus, nisi cum S. Sedis expresso, praesumto privilegio tueri se posse confiderant. At antiquius etiam habemus, quod illi ipsi Doctores non satis animadverterunt, ac maxime illustre huinsce penes Apostolicam Cathedram auctoritatis monumentum in dispensatione a S. Gregorio M. in aliquibus gradibus pro Anglis christianam fidem tunc suscipientibus concessa, quod ex eiusdem Pontificis verbis edocemur in Registro lib. 14. ep. 17. ad Felicem Messanensem Episcopum edit. Paris. 1705 : „Incestuosos vero nullo coniugii nomine deputandos a SS. Patribus dudum statutum esse legimus. Ideo nolumus in hac re a vobis, sive a ceteris fidelibus reprehendi, quia quod in his in supra annunciata dispensatione Anglorum genti indulsimus, non formam

dando, sed considerando, ne christianitatis bonum, quod coeperant, imperfectum dimitterent, egimus." Quibus ex verbis consequitur: 1. S. Gregorium agnovisse impedimentum consangvinitatis ut dirimens non a seculari, sed ab ecclesiastica potestate constitutum. 2. Tantum abesse, ut Episcopi eam auctoritatem eiusque in dispensando usum habuerunt, ut ipse Pontifex nolle se reprehendi scriberet, quod ad eam dispensationem pro christianitatis bono devenisset. 3. Minime de hac sua potestate dubitasse, *indulsimus.* 4. Demum in ceteris christiani orbis partibus firmam pristinae disciplinae vim remansisse.

Itaque etiamsi Episcopalis auctoritas, ut nonnulli doctores contendunt, ab ipso immediate Deo procederet, certum tamen constansque esse debet, illam auctoritatem non extendi ad faciendas iure proprio in generalibus Ecclesiae legibus dispensationes sine expressa, vel tacita saltem concessione superioris, a qua sancitae illae sunt, potestatis. Fidei enim dogma est, Episcoporum auctoritatem, vel si a Christo immediate emanarit, subiectam tamen esse Romani Pontificis auctoritati: quo fit, ut subesse debeant Apostolicae Sedis statutis et venerabilibus canonum decretis, in quae si quis commiserit, veniam sibi deinceps noverit denegari. Neque minus certum idcirco est, eandem Episcoporum auctoritatem ab illa superiore ordinis hierarchici potestate intra quosdam limites circa usum et exercitium restringi et contineri posse. Omnino igitur sustineri neutrum potest, vel Ecclesiam iure proprio non habere potestatem constituendi impedimenta dirimentia, vel Episcoporum quemlibet posse impositum ab Ecclesia Cath. legis vinculum dissolvere.

His omnibus de causis potes ipse, Ven. Frater, facile pro singulari tua prudentia cognoscere, quam molesto animo feramus, postulatis tuis nos minime posse obsequi, neque hic etiam, ut saepe studiosissime fecimus, tibi reipsa testari, quantam tui, tuarumque rerum pro eximia nostra in te caritate rationem habeamus. Si facultates tibi, prout petis, concesserimus, ut iisdem nimirum occulte et dissimulanter utaris, illud sequetur, nimirum ex re ipsa omnes credituros te ad illud edictum voluntatem tuam conformasse, eiusque vigore tibi potestatem dispensandi assumsisse, ex quo tam gravi

exemplo maximum certe momentum accederet illi pseudopoliticorum sententiae, quam tu ipse pro tua religione reiicis et detestaris. Accedit praeterea, nil esse in ipso Edicto, unde ad dispensationum concessionem devenire iniungatur, nullumque adeo perturbationis periculum, si illas petentibus concedere recusaveris. Neque enim qui petent, ullum ius ad obtinendum habere potuerunt, cum antea pluribus in Ecclesia seculis huiusmodi dispensationes in usu non fuerint. Demum ea est tua dignitas, is virtutum splendor, ea nominis existimatio, ut multorum ad te oculos conversurus sis, qui si te abstinere ab illis novitatibus conspexerint, ne ipsi quidem tuo tam illustri confirmati exemplo adduci ad illas ullo pacto consectandas poterunt. At Dei omnipotentis misericordiam per Dominum nostrum Iesum Christum imploramus, ut propitius esse Ecclesiae his temporibus velit, quove te ipsum in tantis angustiis constitutum sua gratia soletur ac sublevet, eiusdem auspicem Apostolicam benedictionem tibi, Ven. Frater, in nostrae etiam eximiae caritatis confirmationem amantissime impertimur. Datum Romae apud S. Petrum die 2. Febr. 1782. Pontif. nostri anno septimo.

Mon. 68.

Declarationes Summi Pontificis Pii VI circa Constitutiones Caesaris Iosephi II. in rebus ecclesiasticis editas, Viennae propositae, cum responsis Imperatoris, 1782. (ex Italico.)

Declarationes Summi Pontificis.	*Responsa Imperatoris.*
Exponimus paterna cum fiducia Maiestati Vestrae Pontificiam nostram sollicitudinem quoad nonnullos illorum articulorum, in quibus iam cum consolatione nostra cognovimus bonae intentionis Maj. Vrae fundamentum. Loquimur Eidem de corde ad	

cor, missa omni politica formalitate. Implementum officiorum nostrorum prout itineris nostri, ita huius quoque fiducialis declarationis unicum obiectum constituit. —

Filiali cum adhaesione, quam mihi suggerit tum venerabilis character, tum aestimatissima persona Sanctitatis Vestrae, quae venerationem et amorem erga Eandem in corde meo non legere non potuit, amicas Sanctitatis Vestrae legi literas. Sanctitas Vestra ne minimum quidem dubitet de sinceritate, qua breviter et sine ulla politica formalitate ad illas respondendi honorem habeo, sequendo eas ds articulo in articulum. —

9. Per longam seculorum seriem inusitata erant in Ecclesia matrimonia in gradibus prohibitis, et ex quo introductae sunt dispensationes, sola Sancta Sedes illas concessit, aut immediate per seipsam, aut delegando earum facultatem Episcopis; quomodo itaque poterunt unquam Eppi id facere, ut resumendum existiment nunc ius illud, circa quod nulla lex existit, quae id ipsis tribueret, quodve ipsi antehac non exercuerunt ?

Ad 9. Non ingredior in quampiam dissertationem super iuribus primitivis et fundatis Epporum quoad dispensationes matrimoniales. Si Sanctitas Vra vellet semel pro semper tranquillare animos Epporum Monarchiae meae, qui non credunt se auctorisatos ad dandas illas iure proprio (procul enim absum a cogenda aut inquietanda illorum conscientia), permitterem ipsis petere illas a Sanctitate Vra; et si Eadem vellet ultra facultatem, quam habent dispensandi in gradibus prohibitis cum pauperibus, sed non cum nobilibus, impertiri eisdem etiam illam quoad nobiles et divites: parte ex mea quoad gradus viciniores consangvinitatis facerem provisionem maxime congruentem ad satisfaciendum eo certius gravibus obtutibus et providis intentionibus Conc. Tridentini super hoc puncto.

10. Si obtutus exportationis pecuniae e Statu poterat inducere Maj. Vram ad impediendum cursum dispensationum apostolicarum in tali materia, persvasi sumus, Eandem maiore studio expensuram, quales quantosve respectus habuerimus nos et praedecessores nostri erga subdi-

tos Austriacos, quam tenues summas inde perceperit annue S. Sedes, in qualem usum ipsa convertat similes contributiones in Orbe catholico, in subsistentiam ministrorum destinatorum ad servitium et ministerium universalis Ecclesiae, non secus multorum collegiorum constitutorum in variis regnis, pro bono religionis ac missionum, pro conservatione et propagatione fidei in omnibus mundi partibus.

11. In horum seriem non referimus exorbitantiam Agentium et Expeditorum Regiorum et aliorum, qui a Maj. Vra dependent; in Eadem stabit aequius regulare mercedem operae et fatigio ipsorum convenientem; parte ex nostra pollicemur, quod in omni expeditione tam Datariae, quam aliorum officiorum Curiae nostrae in qualicunque materia se subscripturi sint Cardinales Praesides respectivorum horum Officiorum cum nota omnium expensarum, etiam ordinariorum emolumentorum pro Agentibus, unde Maj. Vra de veritate plene convincatur.

Ad 10. et 11. Longe a me abest, ut in legibus meis super quaestionata materia respectum habuerim Finan-

tiae, aut minutias, exorbitantiam exactionis Agentium respicientes.

— Hae sunt declarationes et modificationes, quas inter multas novas dispositiones desideramus a Maj. Vra fieri, utpote maximi ponderis, per quas confortabit reditum nostrum, et consolabitur omnes bonos; qui in praesentibus circumstantiis stant in expectatione magna cum anxietate. Magno autem nobis solatio est, collaudandi non minus pietatem Maj. Vrae, quam simul publicum edendi testimonium de viva religione, quam cum summa nostra aedificatione reperimus tam in ista Imperiali urbe, quam in Provinciis Statuum Eiusdem, per quas transivimus.

Viennae, 10. April. 1782.
Pius PP. VI.

Munus meum stricte alligatum est ad procurandum omne bonum, quod possum, religioni et Statui meo; spero quoque, id Sanctitatem Vram e datis etiam per me provisionibus cognovisse. Summa consolatio pro me et pro toto meo populo promanat exinde, quod non solum Summus Pontifex nos honoraverit, et aedificaverit sua praesentia, sed quod etiam se declaraverit, conten-

tum se esse cum statu religionis et aedificatione, quam tantam comperit in meis provinciis transitu suo honoratis. Istud est, quod breviter Eidem respondendi honorem habeo, assecurando Eandem, quod praesidium ac puritas verae religionis semper fuerint, futuraque sint prima mea consilia, absque ullo secundario fine seu vanae gloriae, seu amoris proprii, eo minus alicuius commodi.

Viennae, 13. April. 1782.
Iosephus.

Mon. 69.

Declarationes secundi ordinis Pii Papae VI. super eodem merito, cum responsis Imperatoris. (Ex Ital.)

Decl. Summi Pontificis.	*Responsa Imperatoris.*
Omnia semper sperabamus a religione, ab animo, et a singularibus dotibus Maj. Vrae: et nunc ius reddimus Nobismet ipsis super iudicio, quod eatenus formabamus; pari modo reddimus in Domino propensissimas et intimas grates pro explicationibus, quas hesterno mane dignabatur fieri fecisse super illis articulis, de quibus nobis sermo est.	

Si Sanctitas Vra iustitiam reddit meae religioni et meo cordi: Eadem tuto credere potest, quantopere ego parte ex mea convictus sim post comparatam personalem notitiam sacrae ac venerabilis Eiusdem personae, quod religio et cor Sanctitatis Vrae praevaleat in Eadem cuicunque alteri considerationi, cum Eadem nec regnet, nisi ut sit Pastor.

7. Ut in facultate, quae a S. Sede delegatur Eppis, dispensandi cum pauperibus in impedimentis matrimonialibus, comprehendantur etiam nobiles, et in toto remaneat tenor solitae formulae, et ut dentur illae facultates ad septennium, renovando eas elapso septennio; pro impedimentis vero ab arctioribus gradibus provenientibus Maj. Vra permittat partibus recursum ad S. Sedem. — Dat. 14 Ap. 1782.

Ad 7. Quantum ad dispensationes matrimoniales: removeri non possum a principio iam adoptato, nimirum, ut Eppi, qui dubitant habere se ius dispensandi propria auctoritate, privatim possint recurrere ad Sanctitatem Vram, et hoc tam in uno, quam in aliis gradibus cons. et affin. Id quod desiderabam in

scripto a Sanctitate Vra semel pro semper pro nobilibus et ditioribus, erat e solo obtutu tranquillandi conscientiam magis timoratam, et incertam de norma potestatis ipsius; etiam his liberum relinquam uti formula consueta. — Viennae, 15 April. 1782.

Mon. 70.

Memorabile Diarium Sessionum Viennae per Archi- et Episcopos Hungariae occasione Viennensis commorationis Pii Papae VI. celebratarum cum instructionibus et responsis Pontificiis, 1782.

Die 20. Aprilis 1782. hora mat. 10. considentibus Archi- et Eppis: Emmo Iosepho a Batthyán Regni Hung. Primate; Emmo Christophoro Migazzi AEppo Viennensi qua una Eppatus Vaciensis Administratore perpetuo; Adamo Patachich AEppo Colocensi; Francisco Zichy Eppo Iaurinensi; Carolo Eszterházy Eppo Agriensi; Iosepho Gallyuf Eppo Zagrabiensi; Carolo Szalbek Eppo Scepusiensi; Antonio Révai Eppo Nitriensi; Francisco Kerticza Eppo Bosnensi; Basilio Bosicskovics Eppo Crysiensi; Antonio Andrássy Eppo Rosnaviensi, celebrata fuit Sessio I. in qua assumta fuit a referente Secretario Primatiali Ecclesiastico Georgio Ricziuger consignatio interventorum in negotiis publico-ecclesiasticis mandatorum Regiorum, de quibus publicandis agebatur. Quorum obiecta cum pluribus pro et contra in medium allatis considerationibus et consultationibus occasionem praebuerint, placuit considentibus Archi- et Episcopis consultationum obiecta concentrare ad ea duntaxat, quae tum communi tum privatorum DD. Epporum nomine Suae Sanctitati pro decisione ac instructione in audientia in corpore petenda proponenda essent.

Eodem vesperi diei videlicet 20. Aprilis cum in finem Archi- et Eppi Hung. Viennae praesentes in corpore processerunt ad audientiam Pontificis praeeunte Primate : sub qua Suae Sanctitati pro moderuarum circumstantiarum exigentia factae sunt propositioues.

Die 22. April. rursum in Residentia Primatis celebrata est Sessio praesentibus iisdem, qui supra die 20. Apr. interfuerunt, AEppo Viennensi absente, qui ad Abbatiam Melicensem praecesserat, praestolaturus ibidem Sanctissimum in reditu; accedentibus vero ad Sessionem hanc Paulo Eszterházy Eppo Quiuqueecclesiensi, et Daniele Somogyi Archi-Abbate Montis Panuoniae. In qua Sessione audientiae series relata, et iu unum protocollum redactae fuerunt tum propositiones factae, tum responsa Sanctissimi.

Die 23. Apr. considentibus denuo iisdem Archi- et Eppis, nec non A. Abbate Montis Pannoniae, celebrata est Sessio 3. in qua lectum est Protocollum supradictum. — —

Protoc. Audientiae Epporum apud SSmum. Anno Domini 1782. die vero 20. Aprilis posteaquam praeeunte Sua Eminentia Primate Regni nniversi DD. Dioecesani Archi- et Eppi una Viennae constituti, AEppus videlicet Colocensis, Eppus lauriuensis, Agriensis, Zagrabiensis, Bosnensis, Scepusiensis, Nitriensis, Crisiensis, et Rosnaviensis ad valedicendum Sanctissimo Domino Nostro Pio VI. Pont. Maximo hinc discessuro in gremio comparuissent, sequentes Suae Sanctitati partim nomine omnium Epporum, partim vero particulariter eorum, qui in casu aliquo versantur, propositae sunt quaestiones, et petitae desuper resolutiones, ac supremi Ecclesiae Pastoris instructio : et quidem

I. Siquidem ab Eppis exigatur, ut iure ordinario citra ullum ad Summum Pontificem recursum in omnibus impedimentis matrimonii iure duntaxat ecclesiastico prohibitis dispeuseut; quia vero id fieri nou posse censuissent, ideo quid eos agere oporteat? a Sua Sanctitate instrui et necessarias ac Suae Sanctitati bene visas ad praecavendam omnem Sacerdotii et Imperii collisionem et tollendas conscientiarum suarum angustias Facultates sibi benigne concedi suppliciter orarunt. *Respondit Sua Sanctitas* : Recte eos censere, quod

Eppi iure ordinario in eiusmodi impedimentis dispensare nequeant. Ac ob id vivae vocis oraculo eis potestatem fecit, ut in tertio et quarto affinitatis et consangvinitatis gradu, dummodo secundum nullatenus attingat, non solum cum pauperibus sed nobilibus etiam ac ditioribus dispensare valeant, facultate hac primum quidem ad quinquennium duntaxat restricta, sed quia Suae Sanctitati propositum fuisset, quod si

II. Evoluto quinquennio pro renovandis praefatis facultatibus ad Suam Sanctitatem recurrere oporteat, novis se involvendos praevideant difficulfatibus, eo, quod eiusmodi facultates pro Placeto Regio obtinendo exhiberi debeant, quo fors non obtento gravioribus adhuc conscientiae cruciandi sint stimulis, *respondit Sua Sanctitas* : ut tam praefatae quam attingendae Facultates ad revocationem usque durent. Quia vero

III. Circa formulam dispensationis ea oborta fuisset quaestio : an quemadmodum in concessis hactenus ad quinquennium Facultatibus demandatum fuit, ut Delegationis mentio fiat, id ipsum in dandis dehinc etiam dispensationibus fieri debeat ? *Declaravit Sua Sanctitas* : Delegationis mentionem faciendam quidem esse, si nihilominus difficultas quaepiam eatenus obmoveretur, exmitti etiam posse.

IV. Siquidem in impedimentis etiam occultis matrimonii recursus ad S. Poenitentiariam inhibitus esset, petitum fuit a Sua Sanctitate, ut necessarias eatenus ad eximendas a periculo damnationis animas Eppis beniguissime concedere dignetur facultates. Circa dispensationes quoad forum internum elargiendas etsi Sua Sanctitas declaraverit, recursum ad S. Poenitentiariam haud difficultandam, verbis „non impediet"; hanc nihilominus facultatem in casibus duntaxat iis in quibus S. Poenitentiaria dispensare consvevit, iudicio et potestati Epporum commisit, neque obligavit, ut necessario recurrant ad S. Poenitentiarim. —

Quibus modalitate praemissa terminatis, die 22. mensis et anni ut supra considentibus denuo in unum praefatis DD. Archi- et Eppis accedentibus quoque Eppo Quinqueecclesiensi et A. Abbate Montis Pannoniae oborta porro ac mota quaestione :

XIV. Num petentes Eppi concessis in praedeductis punctis Facultatibus citra ulteriorem formandum recursum Romam libere uti possint? Retulit Sua Eminentia : Suam Sanctitatem in colloquio pridie secum habito declarasse : se velle, ut ubi intellexerint, Suam Sanctitatem Romam iam advenisse, scripto pro petitis facultatibus ad se recurrant, interim vero concessis facultatibus in casu necessitatis Eppos uti posse.

XV. Obmota et Suae Sanctitati proposita quaestione: num facultates hac petitae et praesentibus concessae absentibus etiam Eppis concessae intelligantur? *Resp. Sua Sanctitas*: absentibus Eppis se nonnisi post recursum ad se faciendum facultates suas concessuram. Lect. et extrad. Viennae die 23. Apr. 1782. per Georg. Riczinger, Suae Emin. Secr. Eccl. et Ref. — *Ex Tabul. Strig. et Agr.*

Mon. 71.

Eppi Belgii Pio VI Summo Pontifici supplicant pro amplioribus facultatibus dispensandi in impedimentis matrimonii ob Edicta Caesarea eatenus edita. 1782.

Inter Edicta Caesarea, quae multam sollicitudinem Eppis Belgii procreant, non minimum locum illud habet, B. Pater, quod dispensationes matrimoniales concernit. Vult enim Caesarea Sua Maiestas, ut Eppi praefatas dispensationes proprio suo iure et ex plenitudine ministerii sui deinceps largiantur; prohibet omnibus suis subditis, ne Romam aut alio pro iis impetrandis recurrant, declarando sic impetratas pro nullis habendas esse, eosque, qui recursum habuerint, mulcta mille florenorum puniendos; ac demum privationem fructuum suorum beneficiorum comminatur Pastoribus, si matrimonio iunxerint aut iungi permiserint illos, qui aliam quam Ordinarii sui dispensationem exhibuerint. Insuper nullam circa haec omnia sperari posse mutationem indicant literae encyclicae, ex speciali iussu Caesaris per Seren. Principes Belgii Gubernatores supremos ad nos datae, quibus ad-

monemur, id firmiter apud animum suum statuisse Caesaream Maiestatem, nullam excusationis speciem super hoc puncto admittere, sed contra mediis quibuscunque Summo Principi a Deo collatis resolutionem hanc suam tueri se velle. Ex quibus verbis abunde patescit, non tantum omnem remedii spem ablatam esse, sed insuper extrema quaevis timenda, si Principis voluntati resistatur. In hoc igitur intricatissimo rerum statu ad Sanctitatem tuam recurrendum duximus, vota nostra cum omni animi demissione expósituri. Quod antequam faciamus, praemittere hic liceat, totum illum terrarum tractum, qui nunc Belgium Austriacum dicitur, olim respective pertinuisse ad dioeceses Cameracensem, Leodiensem, Tornacensem, et Morinensem, antequam Summus Pontifex Paulus IV a. 1559 novas ibidem Eppales Sedes erexerit, per quam erectionem dioecesis Iprensis a Morinensi divulsa fuit, Gandavensis et Brugensis a Tornacensi, Namurcensis et Ruraemundana a Leodiensi, Mechliniensis autem et Antverpiensis maximam sui territorii partem a Cameracensi, alteram a Leodiensi mutuatae sunt. Porro ex dispensationibus, quas iure Ordinarii etiamnum concedunt Leodiensis et Tornacensis Antistites, et ex iis, quas concessit antiquitus Cameracensis, evidens fit, Eppos per totum illum tractum Belgii, qui nunc Imperatori subditur, amplissimam exercuisse in hac materia potestatem usque ad praefatum a. 1559, quin et adhuc hodie Tornacensis Eppus pergit iure proprio dispensare in secundo gradu, Namurcensis vero in secundo mixtim cum tertio et reliquis inferioribus dispensat; non alio certe fundamento, quam quod Namurcenses Eppi, quorum dioecesis antea sub Leodiensi continebatur, eodem iure, quod Leodiensis habebat Eppus, perrexerint uti; quod si etiam apud sex reliquos Eppos consvetudine invaluisset, pro magna parte ab ea, qua nunc premimur, anxietate essemus liberati. Quisque enim nostrum easdem exerceret potestates, quae competebant antiquiori Sedi, cuius territorium occupat; et sic exempli causa Mechliniensis et Antverpiensis dispensarent ad normam Leodiensis Eppi in illa suae dioeceseos parte, quae olim ad Leodiensem spectabat. Nec deerant post erectionem novarum Sedium utrique Eppo rationes iudicandi id

se posse: nam cum ex parte Regis per totam Brabautiam iurisdictio Epporum conteutiosa iisdem decorata maneret praerogativis, de quibus olim inter Carolum V et Eppum Leodiensem conventum fuerat, poteraut sibi persvadere primitivi dictarum dioecesium Eppi, etiam ex parte Pontificis privilegia Leodiensium ab ipsis non esse ablata. Certo id sibi persvaserunt Namurcenses. Constat etiam de AEppis Mechliniensibus, eos aliquamdiu iure proprio dispensasse, idemque forsitan etiam de aliis Eppis posset probari: sed quidquid sit, fatemur, haec iam in desvetudinem abivisse, sive quod praedecessores nostri suos Romam mittendo difficiliores voluerint reddere dispensationes, et disciplinam observare uniformem, sive quod putarent tutius esse, prout revera erat, nonnisi vi facultatis expresse ab Apost. Sede obtentae in eiusmodi dispensationibus procedere. Haec non eo animo dicimus, SS. Pater, quasi antiqua illa Epporum iura, quae in Belgio viguerunt, vellemus in usum revocare: absit id procul a nobis, qui cuperemus quam maxime, ut liceret nobis tranquille more iam solito dispensare vi facultatis delegatae, cuius renovationem singulis quinquenniis a S. Sede postulamus. Ea igitur solum intentione haec Sanctitati tuae proponimus, ut perspectum habeat, qua potestate non ita pridem Eppi in Belgio Austriaco usi fuerint, et etiamnum duo ex nobis utantur, sperantes Sanctitatem tuam hac forte ratione facilius permovendam, ut facultates illas, quibus nunc indigemus sex alii, qui supersumus, Eppi, dignetur gratiose concedere. Desideramus scilicet, B. Pater, iu hac dispensationum materia stricte inhaerere decreto Trid. Conc. Sess. 24 de ref. c. 5: ‚in contrahendis matrimoniis vel nulla detur omnino dispensatio vel raro, idque ex causa, et gratis concedatur. In secundo gradu numquam dispensetur, nisi inter magnos principes, et ob publicam causam.‘ Quo decreto pro regula inviolabili posito, supplicamus Sanct. tuae, ut, dum iustam iudicaverimus subesse causam, dispensare nobis liceat cum illis, qui in secundo mixto, aut alio inferiori cons. vel affin. gradu sese mutuo contingunt, parati, si ita velit Sanct. tua, renovationem facultatis nobis in eum finem concedendae singulis quinquenniis, ut ante fieri solebat, expe-

tere; nec minus essemus parati qualemcunque formulam, quae potestatem delegatam denotet, dispensationibus expresse inserere; sed arbitramur impossibile talem aliquam excogitare, quae cum Edicto Caesareo et epistola ad nos eius iussu scripta combinari valeat.

Desideria haec nostra statim post promulgatum Edictum exposuimus Rev. AEppo Emeseno in hisce partibus Nuntio Apostolico, qui mox suis oblatis officiis in se suscepit, eadem nostro nomine ad Sanct. tuae pedes deferre. Cumque ex eo tempore ob intimam, qua S. Sedi addicti sumus, reverentiam omnem prorsus dispensationem negaverimus, murmurationibus quotidianis vexamur, quae brevi in querelas publicas erumpent, neque poterimus eo pede pergere post festa paschalia, nisi velimus haberi Edicti Regii contemtores. Summo igitur animi moerore affecti fuimus, B. Pater, dum nuper nobis retulit praefatus Sedis Ap. delegatus, Sanct. tuam minime placitis nostris annuisse; quod profecto non sperabamus, cum ea, pro qua supplicavimus, facultatum ampliatio exiguum quid videatur, si comparetur cum summis illis, quibus alias exponemur, malis. Hoc etenim solum a Sanct. tua requirimus, ut potestatem dispensandi cum pauperibus in tertio et quarto, qua nunc gaudemus, ad quascunque indiscriminatim personas extendat, et semigradum, idest, secundum, dum cum tertio mixtus erit, adiiciat, permittatque praeterea, ut in formula, sub qua dispensabimus, non exprimatur, an ex concessione tua, prout reipsa erit, an ex nostra Ordinaria id faciamus potestate. Non dubitamus itaque, B. Pater, ob eas, quibus premimur, angustias iterato per nosmetipsos Sanct. tuae thronum accedere, et nova pro iam dictis facultatibus obtinendis uti instantia; illudque eo maiori cum fiducia agimus, quod postulatio nostra iustissima videatur, et unicum offerre remedium, quo in hoc rerum statu salvari possint substantialia S. Sedis iura. Sicuti enim supremae auctoritatis tuae actus fuit earum facultatum, quibus nunc potimur, concessio, ita et eiusdem auctoritatis actus erit earumdem ampliatio ac secutura subinde renovatio: quo pacto semper remanebit apud S. Sedem illius supremae auctoritatis exercitium, poteritque succedentibus aliis temporibus in pristinum statum redintegrari,

quod numquam sperare licebit, si nunc voluntati Caesaris aperte et constanter resistatur. Neque etiam animadversionem tuam fugiunt, B. Pater, mala cuiusque generis, quae ex hac resistentia in Clerum, in Eppos, in Ecclesias nobis commissas, et in ipsam S. Sedem certo certius redundabunt; nimis enim manifestum est, numquam fore, ut a proposito suo dimoveatur Caesarea Sua Maiestas; imo forte, si resisti sibi videat, in eam ibit sententiam, quam docent Pseudopolitici bene multi, et maleferiati huius temporis Canonistae, nempe in istis impedimentis consangvinitatis, quae olim a lege civili ortum habuere, Principem posse propria auctoritate dispensare. Ex his autem et similibus multis quae poterit moliri iratus Princeps, quanta scandala, quanta schismata, quanta cuiusvis speciei mala timenda sunt! Haec porro avertere et praecavere caritas postulat; ideoque semper sollicita fuit pia mater Ecclesia prudenti oeconomia adversus Summorum Principum placita uti, et in eorum gratiam severitatem legum silere, ac primaria disciplinae capita relaxari saepius voluit; quam in rem pulchre Muratorius de ing. mod. l. 1. c. 15: ‚Certe necessitas avertendi aut sanandi schismatis, vitandique gravis alias in Ecclesia incommodi, opportuna et potentissima causa semper visa est disciplinae mitigandae aut etiam solvendae; qua in re etsi crimine plerumque non careant, qui conculcatis legibus iustissima de causa constitutis eo Ecclesiam adigunt, ut de iure suo cedat, ipsa tamen Ecclesia cedens non solum omni culpa semper caret, sed prudentiae quoque laude persaepe abundat.‘ Hanc prudentiae laudem Sanct. tuam consecuturam arbitramur, si tempori cedat in hoc negotio, in quo sine ullo fructu resistet Edictis Caesareis, quae potentissimus ille Princeps omni sua potestate tueri decrevit; quid enim fieri natum est, si sex Eppi in remoto quodam vastissimi eius imperii angulo positi obtemperare Caesareae Suae Maiestati recuseut? Vel nodum scindet Caesar et declarabit, semetipsum in dioecesibus nostris dispensaturum, quae sane res non tantum pessimi foret exempli, et funditus impugnabit omnem Ecclesiae in hac materia potestatem, sed et insuper singulos parochos, qui dispensationes illas revereri non volent, in aerumnas coniiciet inevitabiles; vel nova iussione

urgebit Eppos Caesar, et in eos saeviet nisi obediant, tunc autem eiicientur ipsi e Sedibus suis primum, deinde tempestas orietur in Vicarios, si et hi recusent, nec quiescet procella, donec inveniantur qui placitis Caesareis obtemperent; ac demum Sanct. tua, dum hisce procellis turbatas et devastatas cernet Ecclesias Belgii, finaliter praeferet reservationem relaxare quam in eadem urgenda pergere. Tunc autem et tibi et nobis, B. Pater, imputabuntur mala interea temporis exorta, diceturque serius factum quod ab initio faciendum fuerat. Praeterea imprudentiae ac zeli indiscreti arguemur, eo quod pro puncto mere disciplinari, quod salva fide et Ecclesiae pace mutationem patitur, in nosmetipsos et Ecclesias nostras gravissima provocemus mala; quin imo pauci erunt et forsan nulli, qui resistentiam nostram, si quam faceremus, approbabunt: dici enim non potest, quam odiosae factae sint apud omnes, etiam viros cordatissimos et optime affectos in Ecclesiam dispensationes, quae in causa matrimonii Romae impetrantur, eo quod Te inscio, B. Pater, vitio curialium, qui hasce gratias sollicitant, aut earum expeditioni se immiscent, tam enormes et quotidiani irrepserint abusus, ut nulla excusatione tegi valeant; de quibus nihilominus nunc praestat silere, ne sauciato animo tuo novum superaddamus moerorem.

Quamvis porro quae iam dicta sunt demonstrare videantur, iustissimum esse id quod a Sanct. tua postulamus, animadvertimus tamen, plures existere posse rationes, quae ipsam permoveant, quatenus nec expressis terminis iuri suo renunciare velit, nec directe potestatem dispensandi nobis concedere; neque de eo iustam possumus movere querelam, cum Sanct. tua eodem prorsus pede cum Eppis Italiae et Germaniae Imperatori subditis processerit. Quodsi huic proposito suo ob gravissimas, quae non desunt, causas inhaerendum iudicet, id equidem in praesentibus angustiis, quibus non ex hoc solum capite sed ex aliis bene multis obruimur, impetraturos nos confidimus, nempe ut Sanct. tua saltem ad tempus, donec transierit tempestas, dissimulare dignetur. Nos autem elapsis festis Paschalibus, post quae non amplius liberum nobis erit omnem recusare dispensationem, unico, quod

superest, utemur remedio, scilicet ad tacitam tuam voluntatem, quam merito praesumemus, recursum habebimus, SS. Pater, et tum ex ea, tum ex firmis iuris principiis resolutionem practicam nobis efformabimus, a Sanct. tua minime, ut speramus, improbandam. Consideramus scilicet, ad hanc gravem difficultatem, quae proprie inter S. Sedem et Caesaream Suam Maiestatem tractanda foret, componendam nihil omnino nos posse, imo totum si quid possimus, nunc esse a nobis praestitum. Secundo caritatem, quam iure divino ovibus nostris debemus, aliquando exigere, ut in gradibus cousangv. dispensetur, atque in iis nos versari circumstantiis, in quibus de facto impeditus est omnis ad S. Sedem in dictum finem recursus; eo autem impedito, docent Auctores, casum, qui Papalis erat, Eppalem fieri; soletque Ecclesia, cuius svavis est gubernatio, in necessitate iurisdictionem supplere, omnemque reservationem tollere, ne hac occasione quis pereat. Si porro Ecclesia, dum de alicuius privati commodo procurando vel malo cavendo agitur, in casu necessitatis iurisdictionem suppleat, a fortiori id facere ceusetur, dum hoc necesse est, prout hic, ad avertenda incommoda gravissima et publica, quae certissime orientur in Ecclesiis Belgii, si ab omni dispensatione cessaremus. Tertio, quod dispensationes matrimoniales Summo Pontifici reservatae sint, ex consvetudine provenit vim legis habente, sed nullum putamus esse canonem, in quo haec reservatio scripta sit; quin et ab hac quaestione, quae in Tridentino agitata fuit, abstrahere voluisse Concilium ex eius decreto praecitato clare colligitur, in quo nec Summus Pontifex nominatur, nec Eppi; sed neque Havetius primus Namurcensium Praesul, qui dictae Sessioni interfuerat, cessavit post suum e Concilio reditum proprio iure dispensare eo modo, qui ad haec usque tempora, ut supra allegavimus, in ista dioecesi servatur. Praeterea lex omnis humana Epikiae subiicitur, cessatque obligare ex ipsa legislatoris mente, dum sine gravibus incommodis servari non potest, et tunc locum illud habet: quod non est in lege licitum, necessitas licitum facit. Quapropter etiamsi Ecclesia lege quadam positiva et expressissima dispensationes omnes matrimoniales Summo Pontifici reservasset, non ideo mens eius fuisset,

casus cuiuscunque momenti, etiam maxime improvisos sub sua lege comprehendere; finis quippe, quem lex intendit, est bonum commune, et ideo si contingat illud combinari non posse cum literali observatione humanae legis, tunc expedit, praetermissis eius verbis spiritum legis sequi, et id, quod poscit communis utilitas, prout latius S. Thomas 2. 2. qu. 120. art. 1. ubi de epikia disserit. Quarto, inter omnia statuta ecclesiastica reservationes strictiorem prae reliquis patiuntur interpretationem, adeo, ut communis sit doctorum sententia, practice et tuto pro non reservato haberi, quando de ipsa reservatione rationabiliter dubitatur: quis autem negabit in praesenti rerum statu cum summa et invicta ratione dubitari, an censeatur ut ante subsistere reservatio et urgeri, dum haec propter obstacula invincibilia executioni mandari non potest sine gravissimis incommodis, quae et ipsam turbabunt Ecclesiam, et privatis hominibus, quibuscum dispensari alias iudicaretur necessarium, animarum perniciem afferent? Hisce sanae theologiae et iuris principiis nixi, ac de mente Ecclesiae, tuoque, SS. Pater, tacito saltem consensu, si expressum ob altiores rationes obtinere non liceat, confidentes, arbitramur tuto dispensare nos posse, dum morali iudicio hoc necessarium iudicabimus, idque intra limites in supra posito C. Trid. capite contentos. Ingemiscimus quidem nos eo dura necessitate compelli, ad evitanda scandala et schismata, quae alias imminent Ecclesiae; sed cum in responsis Summorum Pontificum Corpori Iuris insertis multoties ab ipsis declaratum reperiamus, se aequanimiter ferre, si ob dictas causas mandata sua executioni non dentur, idem prorsus a paterna tua benignitate et prudentia nobis hic tacite de hac reservatione responderi non dubitamus. Ceterum summam nostram erga S. Sedem reverentiam sufficienter demonstravit et demonstrabit in posterum noster in hoc negotio procedendi modus. Hactenus precibus et supplicationibus apud Sanct. tuam institimus, et ab eo tempore, quo Edictum Caesareum prodiit, ab omni prorsus dispensatione concedenda abstinuimus; sed cum in eo statu res permanere non possint sine turbatione publica, satis apparebit, nos unice propter hanc evitandam et sequelas amarissimas ex ea secuturas ad dispensandum necessitari.

Quam aegre autem id faciamus, probabunt parcissimae quas concedemus dispensationes, notumque erit fidelibus auctoritate tua nos uti, B. Pater, in iis dispensationibus, ad quas se extendunt facultates nobis concessae, in aliis autem id nos agere ex tacita tua voluntate, quam ex firmissimis iuris principiis merito colligimus; parati alioquin ex animo, primo temporis instanti, quo restituetur pristinus ad S. Sedem recursus, etiam intra pristinos limites potestatem nostram continere. Interim orare non cessabimus, ut Supremus animarum Pastor, qui te Vicarium suum in terris constituit, afflictum tuum animum alleviet et confortet, atque in bonum Ecclesiae sponsae suae has et alias tempestates convertat, ac demum ss. pedum osculo apostolicam nobis gregique nostro benedictionem imploramus. — 15 Febr. 1782. — *Ram Synodicon Belgicum.* II. Mechliniae. 1829. p. 52.

Mon. 72.

cedendo limites suae patriae; et ibi ubi matrimonium tale nullum declarabitur, figeudo domicilium, in maximnm infelicis consortis et prolium praeiudicium? imo et alteram consortem, quam hic sibi sociarent, stante Edicto possent derelinquere, qnae quippe alibi pro consorte legitima non haberetur, primamque, a qna separata fuit, rcpetere cogerentnr: e quo nonnisi confusionem pro utraque familia, et miseriam pro respectivis prolibus subsequi necessum foret, quae qnippe innocentes victimae essent disordinis hoc cumprimis tempore, quo morum corruptio in dies crescit, timendi. — Art. 26. Edicti auget adhuc perplexitates pro casu eo, quo de matrimonio cum sponsa a tertio impraegnata quaestio instituitur: qnis enim credat, valorem aut nullitatem matrimouii a voluntate viri dependere, num velit aut nolit uxorem, quam a tertio gravidam invenit, incusare? si matrimonium valide fuit initum, priusquam graviditas ista observata fuisset, manet indissolubile: si contra ab initio erat iuvalidum, qua conscientia possnut partes invicem cohabitare? qnam gravis foret in hoc rei sitn et confessarii et mei ipsius positio, si partes ad me recurrerent? Possem adhuc plures proponere Edicti istius difficultates, ni scirem, eas a Vicario Generali Antwerpiensi Maj. Vestrae abunde expositas fuisse, ad quas proinde liceat mihi hoc loco provocare. Impetrare tamen a me non possum, quin Maj. Vcstrae insuper rcmonstrem, qualem primus mox Edicti illius articnlus ex me prolicuerit dolorem, quo prohibetur tribnnalibus ecclesiasticis, de cansis matrimonialibus etiam contractorum matrimoniorum, ac proinde de valore quoque vel nnllitate sacramenti cognoscere. Tribnnalia Ecclesiastica omni tempore, ct in omnibus locis, etiam iuter Protestautes observante Boehmero, gaudebant iure coguoscendi cansas matrimoniales; Conc. Tridentinum ius hoc Episcopis horumve officialibus confirmavit can. 12. Sess 24. de Matr. ct plura exerciti iuris huius in historia inveniuntur exempla apud citatum Gerbais etiam quoad Principes, qui suam augustam personam ultro submittebant cognitioni forornm ecclesiasticorum in dubiis matrimouium concerneutibus. Qua ex causa privati sunt Episcopi tam insigni confidentiae Principum tcstimonio, privati iure, iu cuius possessione semper

fuere, quodque Episcopatui ipsi inhaeret, fundatum quippe in iure iudicandi super ovibus suis in his, quae religionem, salutemque animae tam prope contingunt? Auget dolorem ea circumstantia, quod Episcopis substituti sint magistratus seculares, qui in oppidis et minoribus pagis maxima in parte e personis iuris civilis imperitis, in iure vero canonico et theologia prorsus hospitibus componuntur : quis igitur exspectet, ut hi in casibus gravissimis, et implicatissimis qui nonnunquam peritissimorum quoque iudicum exercent ingenia, debite decidant et pronuncient? an non merito timendum, ne plura coniugia iniuste et sine maturo iudicio invalida ac nulla pronuncientur? etc. Hae sunt meae contra Edictum reflexiones, proprii muneris rationibus dictatae, et e zelo salutis subditorum Maj. Vestr. provenientes, quas Maj. Vestrae perspicaciae et iudicio committo. — *Synodicon Belgicum.* II. 523. ss.

Mon. 78.

Repraesentatio Cleri Curati e Dioec. Gandavensi adversus promulgationem decretorum Caesareorum in materia Religionis vulgatorum, praeprimis decr. de re matrimoniali, de cessatione Seminariorum Episcopalium, et erectione Seminarii Generalis. A. 1786.

Celsissimo et Rmo Dno Episcopo Gandavensi. Nos Decanus et Pastores districtus Everghemiensis cogimur omni qua par est reverentia et submissione exponere angustias animae nostrae, quibus in dies constringimur, dum ex una parte pro debito nostro et tamquam humillimi subditi obtemperare nitimur edictis et consultis Sacrae Caesareae Maiestatis, et ex alia parte idipsum secundum male intellectam a populo nobis commisso Caesaris mentem facere nequimus, si Dei scita custodire, ut fas est, volumus. Tantum enim experimur in multis parochianorum nostrorum novitatis pruritum, ut antiquae ecclesiasticae disciplinae et apostolicarum traditionum vilipensionem non obscure incipiant profiteri. Existimamus autem, Celsissime Domine, huius mali causam praecipue reperiri in promulgatione regiarum ordinationum in ecclesiis

parocbialibus, idque sub missa parochiali: siquidem ex hoc inusitato agendi modo risus, obloqnia, garrulitates, Dei ministrorum vilipendium, proinde scandala in populo oriantur, idque in loco, cui decet omnis sanctitudo, ubi Spiritus S. nos praecipit pascere gregem Dei, qui in nobis est, et pervigilare qnasi rationem reddituros pro animabus gregis nobis commissi, et proinde omnem irreverentiam e domo Dei officiisqne divinis pro viribus avertere et amovere. Hinc intelligere potes, Celsissime Praesul, quantum conscientia nostra angatur, dum decretorum regiorum publicatione irreverentiam et indecentiam in domo Dei promovere videmnr. Tacemus, quantum videatur incongruum, dum pro Christo legatione fungimur, tamquam Deo exhortante per nos, populo praelegere mandatnm Regis, qnod qnantumcunque veneramur, mandatum hominum esse fateri cogimnr; quinimo frequenter dum longiora sunt edicta, necessitamur Verbum Dei derelinquere, aut illud raptim aut quasi perfunctorie tractare, ut Regis placita promulgemus; dum e contrario gentium Doctor in persona Timothei nos iubet verbum Dei praedicare, instare opportune, importnne, arguere, obsecrare, increpare in omni patientia et doctrina, verbo ministerium nostrum implere. Quae utilitas ex promulgatione regiarum ordinationum in Ecclesia sub missa parochiali? Multi in sensum corruptelae morum snorum faventem, at a mente Augusti prorsus alienum, impudentia intolerabili divertunt: timorati e contra videntes, Dei ministros actu Deo militantes coactos sese secularibus ministeriis implicare, per publicationes saepe oblongas officium divinum interrumpi, indeque se ipsos multis variisqne distractionibus expositos sentientes, ingemiscentes tacite inclamant: o tempora! o mores! Eas tamen nec hi nec isti intelligunt, et sane quis illas de rebus gravissimis tractantes semel et plernmque raptim ob temporis brevitatem praelectas intelligat? Pluries experti sumus, Celsissime Domine, sensum illis affigi non solum menti sed et literae nsquequaque contrarium, ita ut mali multnm, boni autem nihil ex promulgatione regiorum edictorum in ecclesia oriri iudicemus. Quamobrem supplicamus Celsissimae Paternitati tuae, nt pro suo erga gregem sibi concreditum zelo, malo

huic mederi conetur, impetrando a Caesarea ac Regia Sua Maiestate, ut promulgatio praedicta fieri amplius in ecclesiis non debeat.

Non minori angustia conscientiam nostram premit edictum de matrimonio de die 28. Sept. 1784. non in uno legibus Ecclesiae adversari apparens; ast cum Sua Maiestas pluries privatim declarasse dicatur, edictum memoratum Sacramentum non afficere, sed effectus duntaxat civiles per illud statui ac regulari, rem quam maxime in bonum Ecclesiae vergentem Celsissimam Suam Dominationem praestituram arbitramur, si ab Augustissimo Caesare declarationem desuper impetrare et obtinere possit. Necesse neutiquam est, Celsissimo Domino exponere, quantum per huiusmodi declarationem sive interpretationem tranquillitatis in exercitio munerum nostrorum adipisceremur, quantis malis obviam iretur. Pariter multum in modum afficimur, dum attente consideramus pleraque Caesareae Maiestatis decreta eo collimare, ut abusus, qui in res ecclesiasticas clanculum irrepserunt, aboleantur. Ast illos abusus efficacius et feliciori cum successu tolli non posse quis ignorat, nisi per illos, quibus Apostolus Act. 20, 28. dicit: Attendite vobis et universo gregi, in quo vos Spiritus S. posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sangvine suo; quosque in persona Titi his admonet verbis: Huius rei gratia reliqui te --- nt ea, quae desunt, corrigas et constituas per civitates presbyteros. Frustra Rmae Domin. Vestrae ab incunabulis Ecclesiae per secula ad nostra usque tempora in memoriam revocaremus, abusus, qui lapsu temporis in disciplinam Ecclesiae irrepserant, efficaciter non fuisse sublatos nisi per concilium ecclesiasticum; quantoque cum fructu semper et praesertim tribus primis Ecclesiae seculis, dum Concilia haberi non poterant, synodi particulares habitae fuerint. In testimonium posterioris aevi S. Carolum Borromaeum allegasse sufficit. Hinc bonum Ecclesiae vere amantes, omnis abusus ex disciplina eccles. eliminationem ex corde optantes, Celsiss. Pat. Vram enixissime rogamus, et exposcimus, ut efficaciter apud Caesarem Augustum instare dignetur, quatenus Emmo Dno AEppo Mechliniensi in qualitate Primatus Belgii liceat

omnes Belgii Episcopos ad Concilium Nationale convocare, ut per remedium ab Ecclesiae Auctore institutum abusus, si qui inveniantur, penitus eliminentur. — Die 6. Octobr. 1786. — *Synodicon Belgicum*. IV. 458.

Mon. 79.

Epistola Nuntii Apost. Viennensis C. Iosephi Garampi, ad Eppum Agriensem, Com. Car. Eszterházy dd. 7. Ianuar. 1785. de Imperatoris declaratione quoad Edictum Matrimoniale.

Notae iam erunt Illti Vrae gravissimae angustiae, in quibus versabatur Emmus Migazzi, propter quamdam matrimonialem Dispensationem, a L. B. Ignatio Honrichs et Leopoldina de Schiexli in 3-o tangente 2-um consangvinitatis gradum petitam; in cuius respectu declaravit: se facultate eandem concedendi destitui, allegando tam seriem facultatum, a SSmo Patre, post eiusdem Vienna discessum acceptarum, quam expressos Ordines Suae Mattis, ad Eppos Monarchiae dimissos, quibus disponitur: ne dispensare audeant in impedimentis, quae secundum gradum quoquo modo attingerent. His non obstantibus, Regimen, eorum, quae in hoc gravi obiecto statuta fuerunt, quasi oblitum, porro apud Card. AEppum institit, atque dispensationis largitionem adursit; imo, pro cumulo malorum, sponsi minabantur, se matrimonium etiam absque dispensatione attentaturos; et ipse Parochus ad S. Petrum non verebatur eosdem in hac animi dispositione obfirmaro, se promptum declarando, ad impertiendam absque omni restrictione solemnem Benedictionem. Verumtamen Divina Providentia, quae non permittit nostri humiliationem, nisi dum Ipsi placuerit, Emmo Migazzi in hoc arduo negotio animos, fortitudinemque ad implementum suae obligationis addidit, nobisque omnibus solatium tribuit, ut illum e tam periculi plena causa gloriose emergere videamus. *Obtenta* quippe interea *Romana Dispensatione, quam ipse petierat, Sua Mattas C. non tantum eiusdem executionem per-*

misit, sed etiam agendi rationem, ab Emmo Card. AEppo hoc in casu adhibitam, multum commendavit; enunciando: patentales Literas de matrimonio solummodo civiles effectus eiusdem respicere, et praeferenter horum gratia a Sua Mstte editas fuisse. Cum huiusmodi factum, atque lactus eiusdem exitus pro norma et directione deservire possit, hinc lubens utor hac occasione, ut illud ad notitiam Illtis Vrae per praesentes literas perferam, cui sensa constantis atque immutabilis venerationis adaperiendo etc. Viennae 7 Ian. 1785. — *Ex Tabulario Dioec. Agriensi.* Vet. Arch. Nr. 2575.

Mon. 80.

Repraesentatio Eppi Quinque-Ecclesiensis Pauli e Com. Eszterházy ad Consilium RLH. contra Patentales matrimoniales et fororum eccles. regulationem. 1786.

Excelsum etc. Die 2. Maii dato Exc. Cons. Intimato iunctam Constitutionem C. R. accepi. Duo sunt praecipua Constitutionis eiusdem capita, quae non mediocre rei catholicae vulnus infligunt; ac proinde Ministris Ecclesiae, apostolico muneri obeundo Divina Providentia, Regis etiam Apostolici benignitate deputatis, vitio verti non debet, si medelam ab Augustissimo, iustissimoque Principe, iurium Ecclesiae defensore, fiducialiter ac humiliter efflagitent. Vulnus primum, idque non modicum est, quod causae disciplinares quoad laicos universim omnes Ecclesiastico Foro subtrahantur — alias enim magis politicas et civiles causas Consistoriis adimere, terrae Principum auctoritati negare nolim. Propria certe est Ecclesiae iurisdictio fori etiam externi in omnes Christi fideles: nam Spiritus S. Eppos non solum docere posuit ac sacramentis nutrire, sed etiam regere Ecclesiam Dei; neque cum catholica pietate dici potest, quod omnis externi fori iurisdictio aut usurpata sit, aut a Principum indultu repetenda; cum hanc Apostoli nulla Principum gratia, invitis imo illis exercuisse legantur in Scriptura, qui tamen velut Spiritu S. pleni, illiusque ducti impulsu, usurpatores alieni iuris haud

fuerint. Et vero si salva S. Scriptura ac perpetua Traditione inde ab Apostolis usque ad nos derivata omniumque temporum et gentium veneratione confirmata negari Ecclesiae nequeat constituendae disciplinae potestas, cum disciplina sit adminiculum conservandae fidei puritati, religionis et morum sanctitati, tum ecclesiasticae unitati tuendae perquam necessarium, suapte consequitur, quod eidem negari nequeat potestas cognoscendi causas circa eam vertentes et delicta adversus eam commissa vindicandi : sunt enim haec duo naturaliter connexa, ferre leges, earumque transgressionem proportionatis potestati poenis punire; secus leges utpote sanctione destitutae non erunt leges, sed mera consilia contra eam, quam rursus tota rerum antiquitas sacrorum canonum nobis exhibet ideam. Nec sane contra hanc ita haereditario iure ab Apostolis in Eppos derivatam potestatem in animo aequiter et catholice sentiente quidquam valere possunt ea, in quibus Ecclesia, ut bonam Principum in se voluntatem remereretur, iuri suo cessit, aut in quibus oeconomia prudente illatas etiam iniurias patienter tulit, patientia namque sola iniuriam in ius vertere non potest.

Alterum vulnus priore longe sensibilius est, quod contra dogmaticam S. Conc. Trid. definitionem Sess. 24. can. 12. propositam causae matrimoniales omnes ab Ecclesiae foro, velut ex indole sua nativa ad illud haud pertinentes, avellantur. Est profecto matrimonium in Ecclesia Catholica novae legis Sacramentum, Sacramentorum autem dispensatio non minus quam iudicium de eorum valore, de dispositionibus insuper ad ea rite suscipienda necessariis, discretio denique capacium ab incapacibus subiectis, dignorum ab indignis Ecclesiae soli a Iesu Christo credita fuerunt. Hoc licet Constitutio Regia cum Ecclesia Cath. recognoscat, cohaerere tamen non apparet, quod deinceps in ordinatione matrimonialium decernitur, ut videlicet causas de valore matrimonii Iudex laicus observet ac iudicet; cum tamen quaestio de valore matrimonii fere semper implicitam et practice vix praescindibilem supponat quaestionem de valore eiusdem in ratione Sacramenti, quae ex scripto, traditoque Dei verbo ac illius auctoritate decidi debet, cui hoc divinitus commissum credimus. Vin-

culnm certe istud ab homine nullo solvendum ex institntione Christi contractui matrimoniali postliminio restitutum in gratiam honoremve sacramenti, huiusque virtute de novo roboratum ex Ecclesiae seusn tenemns. Ex his catholicis principiis ultro manat, quid de impedimentis dirimentibus sentiendnm. Clara pariter est ad rem hanc Trid. Concilii dogmatica defiuitio can. 4. Sess. 24. Quare licet contravertere nolim, ius Principibus esse quoad impedimenta matrimonii constituenda, illis attamen ita privative, ut Ecclesiae par potestas denegetur, istnd tribui salva fide catholica nentiquam potest. Ex hoc manifeste consequitur, non sola impedimenta a Principe statuta in contractu matrimoniali attendenda esse, illa vero, qnae statuit Ecclesia, scrnpuli instar habenda : non enim impedimenta potestas alia tollere potest, quam qnae eadem legitime statuit, nisi haec illius iura violare velit, neque in his dispensare, cum dispensatio legem pro his personae, temporis, et rerum adiunctis tollat. Qnare dispensatio super impedimentis ecclesiasticis necessario pro conscientiae indemnitate per fideles catholice sentientes ab Eccles. Potestate peti profecto debet. Nec possent Parochi salvo Dei timore cogi, ut contra conscientiam et fidem matrimoniis impedimento tali, quod in Constitutione Regia quidem exprimitur, sed praeterea iure quoque ecclesiastico statuitur, irretitis penes nnicam Potestatis laicae dispensationem assistant, ant absque dispensatione Potestatis Ecclesiasticae copulent illos, qui nullo quidem Regio, attamen Ecclesiastico retinentur impedimento, ut sic actione ministeriali ad factum illicitum et sacramenti profanationem concurrant. Certe si falsi haereticorum errores id a benignissimo Principe merentur, ut circa hos vim conscientiis non inferat, mnlto magis hoc merebitur dogma catholicnm, et sacramenti reverentia. Neque vero in animum quis inducat, Principi Catholico idem esse posse, num subditi suae religionis stipulatione sola civili matrimonium contrahant, nnm sub ratione sacramenti? hoc enim animus catholicus indifferenter ferre nequit; hic enim scit et confitetur, non futilia sed inaestimabilia esse sacramenti bona, scit Iesn Christi praeceptum esse, nt sui fideles sacramenta, immensa pietate in eorum bonnm instituta, per contemtum

non negligant, verum iisdem potius, dum res tempusque tulerit, religiose utantur; scit illam demum solam veram felicitatem temporalem, a Principe procurandam, esse, quae non praeiudicet aeternae; hoc illis duntaxat in mentem venire potest, qui de sacramentis parum honorifice sentiunt, atque hoc pacto aestimationem huius usumque pedetentim sufferre nituntur, ut per non usum ipsum quoque dogma tandem ex corde fidelium evanescat. Illud omnino hoc cumprimis tempore et sanctimonia foederis huius, et bona ex eodem non solum in privatas familias, sed in statum etiam publicum promanantia maximopere postulant, ne ratione quadam contractus huius religio labefactetur, tanto autem magis illam infirmandam certum, ac indubium est, quanto magis contractus iste ad aliorum pure civilium ideam transformatus, sui foederis amiserit similitudinem. Quamquam nec illud quidem aut sibi ipsi aut principiis catholicis cohaerenter aliquis diceret, quod usus matrimonii cum nullo civili impedimento dirimente contracti, si tamen impedimento Ecclesiastico dirimatur, culpa fornicationis vacet; contractus enim, qui diversis iuribus subsunt, si ab aliquo irritentur, omnes effectus etiam illos, quos alterius iuris indulgentia habere poterant, amittunt, quia nihili, ut dicitur, nullus est effectus; patet hoc ex diversis contractibus, e. g. minorennium, iure naturae validis, sed civili irritis, qui post hanc irritationem nec ut contractus naturales obtinent; patet ex ipsa Constitutione Regia, per quam milites ex matrimoniis sine debita facultate contractis nec illa bona consequuntur, a quibus illos natura iure suo non exclusit; fit hoc, ne iura secum ipsis, cum ingenti perturbatione generis humani invicem pugnent. Par autem apud Catholicos debet esse ratio dirimentium impedimentorum ecclesiasticorum, quae ex legitima divinitus collata potestate statuuntur, ut satis luculenter ostensum est, et ex omnium Catholicorum, Ecclesiaeque sensu non eo tantum tendunt, ut matrimonium cum illis contractum materia sacramenti non sit, sed ut ipsa matrimonia nulla sint. Quodsi porro matrimonia quaedam per modum sacramenti non subsistentia valere in ratione contractus civilis a quopiam dicantur, de illis tantum id verum esse potest, quae nullo impedimento dirimente

ecclesiastico affecta, ex alio incidente ad honorem Sacramenti non pertingunt, uti si e. g. extra Ecclesiam celebrata sint, ubi nec Sacramenta Christi reperiuntur, nec impedimenta ecclesiastica illa respiciunt, cum Ecclesia de illis, qui foris sunt, non iudicet.

Essent adhuc alia memoratu digna, quae SSmae Maiestati Suae quoad memoratam Constitutionem humillime proponi mererentur, sed ut vel haec quae hucdum recensita sunt, veniam ab August. Principe, gratiamque mereantur, de genu supplico. Dignetur Exc. Consilium demissam hanc repraesentationem meam clementissimi Principis obtutui substernere, pro suo etiam catholicorum dogmatum conservandorum studio apud Sacram C. R. Maiestatem promovere, qui ceterum etc. Quinque-Ecclesiis 18. Iulii 1786.

Mon. 81.

Cardinalis Primas Regni nomine Regio provocatus, ut de Congressu Epporum Strigonii celebrato referat, desideratae relationis instar submittit Consilio R. L. H. Protocollum dicti Congressus in merito Patentalium Matrimonialium celebrati. 1786.

Excelsum etc. De 17. Octobr. anni labentis ad me datum Intimatum altissimo nomine Regio committens submitti Protocollum illius, quae existimabatur mense Septembri Strigonii celebrata, Synodi, 30. Octobr. mihi redditum fuit, nec moror desideratam relationem. Si Synodus Strigonii celebrata fuisset, utique eiusdem legalitati et conclusorum securitati omni ex parte provisum fuisset, nec dilata ad Maiest. SSmam relatio, cuius felicem ex aliis provinciis suis reditum avide praestolabar, ut et de his actis referrem ocyus. Verum plerisque Strigonium invitatis Eppis ab exoptato concursu valetudinis causa, exundationum molestia impeditis, tantum DD. Epporum Weszprimiensis, Albensis, Rosnaviensis, Sabariensis, Vicariorum vero Capitularium Vaciensis et Nitriensis colloquio et consultatione confidenti frui et uti potui; et inde factum, quod fraterne ad invicem depromtae et collectae

opiniones nec nobis ipsis, minus absentibus Eppis legem aliquam facere potuerint, imo nobis ipsis reservaverimus, ut soli uberius communicatas expendamus opiniones, consilia colligamus, et dein pro animae nostrae convictione agamus, destituti legali conclusorum protocollo, utpote quod nullum subscriptionibus nostris firmavimus. Unice cum inter cetera plura confidentis ad invicem consultationis obiecta, quae nos angebant, praecipuum et urgentissimum fuerit, convenire in uniformes Parochis ad nos recurrentibus dandas inviationes quoad Patentalium in re Matrimonii sub respectu contractus civilis editarum effectuationem, eatenus occurrentia eorumdem et nonnullorum timoratae conscientiae fidelium dubia in hoc momentoso merito in id equidem coaluerunt concordes sensus nostri: 1. Licet nec modo tenore Patentalium arceamur in re Matrimonii, quatenus est Sacramentum, unde indissolubilitas vinculi repetitur, a legali nostra procedendi et concludendi activitate; tamen omni opportuno tempore Suae Maj. SSmae instantiam faciendam, ut salva ecclesiastica iurisdictione ad Christi fideles curae Epporum creditos, etiam seculares, quae in systemate catholico a tempore Apostolorum usque modo viguit, integra quoque maneat Fororum Eccles. iurisdictio et legibus eccles. et patriis defixa; in Hungaria etenim praecipue ubi causarum secretio art. 3: 1462. et subsequis per diaetalia conclusa et usum seculorum firmata fuit, ceteroquin nil legaliter alterari posset, nisi eo tempore et via, quibus secretio causarum legalisata fuit. 2. Salvis his precibus, et circa Patentalium observantiam in conciliatione legum eccles. et civilium, et in hac thesi solvenda Parochorum et fidelium dubia et anxietates consulendum venire; et
A. ideo eatenus concordem sensum nostrum deduximus in A).
3. Ipsius publicationis et executionis modum et exemplum
B. apponendum esse, prout praestitimus sub B). 4. De cunctis vero incunctanter Suae Maj. SSmae circumstantialem hanc relationem mox cum felici suo reditu per me faciendam venire; quod et praestitissem continuo, nisi mihi in concertatione introducendarum novarum parochiarum cum Comitatibus occupato in itinere supervenisset altissimo nomine intimata commissio de cunctis referendis medio Exc. Consilii L. R.

quod modo praesto, et praestabo ultro Suae Maj. utprimum mihi modus fuerit. Quod tantas cautiones circa securitatem in dispensatione de tribus promulgationibus a Iurisdictione Politica impetrata pro legali acceptanda, et non simpliciter committendam copulationem existimemus, rationes sunt, non quod absolute fieri non posset, sed quod multiplices in Bohemia, Moravia et nos Eppi experti fuerimus defectus, et ipsa Excelsa Dicasteria plura testimonia reiecerint; quod longe facilior sit deceptioni modus, quo plures seculares iurisdictiones etiam inferioris classis sint expedientes, nec eatenus superrevisionis cautela posita sit, quae est circa dimissiones Moravorum, Bohemorum, ubi tamen cum his cautelis imposturae factae; quod ipsae multiplices expedientes Iurisdictiones in re nova sibi adusque ignota et insolita opereutur, ideoque aliae nimium scrupulosae, aliae maiori longe facilitate, forma et stylo difformi sensus dubios expediant; cum tamen matrimonia citra legalem eiusmodi denunciationem inita nullitati quoad effectus civiles exponantur, ceteroquin cautelae positae eiusmodi dispensationes afficiant, quae scrupulo obnoxiae, ubi nullum periculum in mora, prout ipse iam vidi exemplaria insoliti imo dubii styli plura iam prodire debuerunt, in aliis provinciis, ubi a longiori tempore iam tales dispensationes datae, in certis et urgentibus procedet parochus ad copulationem, certus pro tali casu a nobis Eppis aeque dispensatum esse. Ita quod hic et nunc dispensationem in impedimento tertii et quarti gradus universaliter delegandam non existimemus, potius in magis diffusis Dioecesibus aliquot consummatae prudentiae et experientiae Vice Archi-Diaconis committendam delegationem, ratio est: quod a veteranis Parochis multas defectuosas genealogiarum deductiones acceperimus; quod modo cum multiplicatione parochiarum et capellaniarum et cooperatorum multi nobis veniant in expositiuris Religiosi, quibus experientia adusque in similibus defuit, praxis in ducendis domesticis protocollis, instruendis parochiae Archivis saltem ab exactitudine nobis adusque nota non est. Ubi sollicitudines de exactitudine eiusmodi expeditionum, dispensationum cessaverint, experientia

monstraverit pericula cessare, non erit difficultas extendendi delegationem dispensationis, et in promulgationibus etiam ex parte Dioecesani, et in impedimentis tertii et quarti gradus; tota etenim directa est ad securitatem altissimarum dispositionum et stabilem praescriptorum effectum, remoto omni periculo et in hac idea et directione, quin cuncta hic et in advoluto sub A). deducta Parochis hic et nunc communicentur, sed pro casu occurrentis difficultatis aut dubii pro uniformi inviatione reservantur; existimabamus hic et nunc Patentales in re Matrimonii, quatenus in respectu contractus civilis regulatur, Parochis communicandas esse in forma acclusa sub B). Licet quoad plura obiecta ad invicem ex occasione confidentis colloquii consuluerimus et opiniones collegerimus, concordes tamen sensus nostros praecipue quoad momentum publicandarum et exequendarum Patentalium in scriptum redactos Altissimo Loco referri soli constituimus, prout modo mediante praesenti circumstantiali deductione exequor, confidentes et ipsius Excelsi Consilii LR. providentia, mediatione, et legum dictamine salvam tenendam ipsam legibus patriis distinctarum et activisatarum Iurisdictionum auctoritatem. Eppi Hungariae, quorum situs inter multiplices dissidentes omni attentione maior est, ac reliquarum ditionum Cleri eiusmodi circumstantiis non adeo expositi; quorum conspicuum corpus ipsum venerationem et creditum conciliat, quorum denique existimatio omni tempore et in Ecclesia orthodoxa, et in Aula Regia aeque ac in Patria salva semper et magna fuit, quo magis confidunt securius alios exemplis suis ad facta sua pertrahendos, eo magis canti esse debent, ut consilia et actiones suae Regis Apostolici institutiones inoffenso et stabili pede ad effectum dirigant. Pestini 8. Nov. 1786. Cardinalis a Batthián.

A. *Provocatum sub A). Protocollum.* Declaratione praesentium DD. Epporum et Vicariorum Capitularium praemissa, nihil optabilius esse, quam ut universum in Publico-Ecclesiasticis systema in unum colligendum Sua Maj. SSma in Synodo Nationali proponere dignaretur, se nullum opportunum tempus praeterlabi passuros, eatenus renovandi instan-

tissimas suas apud Regem Aplicum preces, et eatenus Suae Eminentiae Primatialis cooperationem continuo requirere, nec videri sibi aliud opportunius uniformis inducendae operationis medium; cum eousque tantum iis consiliis locus dari possit, quibus salvetur Publico-Ecclesiasticorum manipulatio ab ea praecipitatione, cui iam nullo tempore mederi possit. Et in hac directione se et modo condescendere ad consultationem, qua ratione et interea sibi altissimo nomine commissa ad effectum inviari possint salva conscientiarum suarum integritate. Et quidem 1. Quoad Patentale Edictum in merito regulationis fororum Eccles. et Matrimoniorum provocant se ad repraesentationes suas ad Exc. Consilium LR. unde Patentalium communicationem acceperunt, datas, cuius mediationem interpellarunt pro iurisdictione legibus eccles. et patriis sibi attributa in sua integritate conservanda; qua quidem praecipue in re Matrimonii, quatenus est Sacramentum, unde indissolubilitas vinculi sequitur, nec per praesentes Patentales se exclusos existimant. Quarum ulterius debite expenso tenore, et terminis ipsis memorati Decreti C. R. cum in prologiali ipsius §. distinctis verbis expressum haberetur: decretum hoc sponsalia ac Matrimonium contingere praecise „quoad sponsalia non minus ac validitatem vel invaliditatem contractuum matr. effectusque eorumdem civiles"; non secus respectu ipsummet iam matrimonium immediate contingentium Constitutionum §. 1. expressis verbis declaretur: matrimonium in se ipso ut contractus civilis consideratum, prout et ex contractu hoc fluentia et contrahentibus invicem competentia iura; et denique §. 15. „affinitas haec relate ad contractum civilem ex valido duntaxat matrimonio" etc. aliisque passim effectus praecise civiles pro obiecto habere dignosceretur, conclusum coalitumque est: reflexe ad praevios Edicti tenores nihil dogmati ac Religionis orthodoxae principiis contrarium directe ac in genere in Decreto hoc reperiri, atque terminos ipsos *irritum, nullum,* et *invalidum* in sensu praeambularis §. et in nexu illius ac aliorum iisdem terminis conceptorum assumendos esse. Quo in sensu 2. respectu contrahendi in 3. et 4. cons. aut affin. gradu matrimonii illud praecise providendum venire, ut ad

15*

effectus civiles consequendos impedimento hoc nullum obicem ponente, animarum quoque saluti et conscientiarum levamini per DD. Antistites promta dispensationis elargitione consulatur; quod et facturi sunt sine ulla subditorum suorum molestia vel aggravio; et etsi hic et nunc hanc dispensationem generaliter delegandam non existiment, quod et veteranos parochos in deductione genealogica frequenter errasse compertum sit, et vel inde a proxime neoinducendis Parochis, Capellanis, plerisque Religiosis praxis huius expertibus sibi de qualitatibus eiusmodi, de diligentia ignotis adhuc plures defectus metuant, qui matrimonia in gradu praeter activitatem dispensantis Eppi, et ipsam intentionem Regiam contracta nullitati exponerent; si tamen diffusa extensio Dioecesis requireret, mallent Vice-Archi-Diaconis a maturitate iudicii, experientia, et solertia conspicuis delegationem facere, donec remotis successive periculis eam extendere valeant. 3. Dispensationes in bannis sive promulgationibus iure Tridentini et Decreto quoque C. R. matrimonio praemittendis a competente Politica Iurisdictione impetratas, si ipsi impetratores Ordinario exhibere negligerent, ad avertendum omne deceptionis periculum, quod sicut in falsificatione multarum manumissionalium literarum Bohemiae, Moraviaeque subditorum saepius evenit, nisi evidens sit illius authentia, et periculum in mora sit, Parochi pro revisione DD. Eppis submittent, ne penes fictitium dispensationis in his testimonium matrimonio assistentes, illud ad tenores C. R. Decreti irritationis periculo exponant; ad antevertendas vero, quae successive hoc ex capite oriri possent, difficultates matriculis Ecclesiarum suarum diligenter inserant, quae coniugia penes dispensationem in denunciationibus inita fuerint. Et ne exemplaria dispensationum perditionis periculo in parochia exponantur, ea in autographo ad Tabularium Eppale reponenda DD. Ordinariis submittent. 4. In praescripta divortii dissidentibus coniugibus concedendi methodo gravia quidem observant DD. Eppi incommoda et periculosas sequelas; ab his tamen nunc abstrahendum, et remedium his ab eventu ac ab emersuris casibus efficacius et celerius obtinendum expectandum esse censent, obligatione nihilominus dissidentes eius-

modi coniuges componendi tam ex officio, qnam ex §. 52. C. R. matr. Edicti parochis incumbente, atqne coniugalium obligationum eiusmodi coniugibus inculcationem codem benigno decreto iisdem iniungente mnnns snum explevisse, atqne adeo testimoniales extradari posse haud existimabunt Parochi, si una alterave vice eiusmodi coniuges allocuti fuerint, et obligationem eiusmodi obiter iisdem proposuerint. Verum nt adaequate hac in parte muneri sno respondeant, ad persvadendos componendosqne eiusmodi intentionem foventes coniuges vicini parochi ac ipsiusmet etiam V. A. Diaconi consilium et cooperationem hnnc in finem implorabunt, mutnisque studiis et opera revocare ab infelici proposito eosdem satagent, nec nisi his omnibns rite adimpletis praescriptas testimoniales extradatnri snnt. Ut autem nihil omnino per Parochos neglectum fuisse DD. Ordinariis constet, iidem de singulo eveniente einsmodi casu, ac quomodo in horum exhortatione processerint, quamve et qualem in his adhibuerint industriam, relationem iisdem de casu in casnm facere inbebnntnr. 5. Alienis a fide matrimonii dissolutionem etiam quoad vinculum in casn adnlterii per alterutram partem admissi, implacabilis odii, molestae cohabitationis, et longioris absentiae, in principiis eorumdem Confessionis admitti multum dolent Eppi, cum nullus parochorum praevio modo separandae personae, sive in sua confessione remaneat, sive ad fidem cathol. transeat, in contrahendo matrimonio, quod secnndum principia catholica nullum esset, assistere possit; et ex hoc invincibili obice, facilitate e contra ad dissolutionem etiam quoad vinculnm alienae confessionis hominibus admissa, praevideatur, conversionem eorumdem impediendam, perversioni vero motivum dari, et si eventus conieeturam firmaverit, non poterunt differre instantissimas pro remedio preces. Praemissa vero parochis occasione publicationis ben. Edicti Regii per extensnm nequaquam communicabuntur praeter ea, qnae dispensationem in bannis, et in 3. et 4. gradu cognationis, vel necessarii ad Eppos recursus respiciunt, ast unice pro privata DD. Epporum informatione deservient. Ad Parochos vero dirigendae publicationis conceptus proprius appositus fuit.

B. *Provocatum sub B). formular publicationis.* Pront Patentales Regias de regulatione matrimoniorum quoad contractus et effectus civiles cum Exc. Consilii L. R. Intimato accepi, ita illas cum DD. Vestris in advoluto genuino exemplo pro sui directione accurataque observatione communico ea cum ulteriori instructione : ut 1. caveant omnimode, ne illi unquam matrimonio assistant, quod iuxta hanc Constit. Regiam non foret omnibus ad validitatem contractuum et effectuum civilium requisitis provisum; sed 2. sollicite cauti sint et in exemtione Constit. huius Regiae, et in conciliatione Ecclesiasticae et Civilis legis operentur, ad ulterius implementum fidele obstricti. 3. Si contrahendo matrimonio, cui per Regias has Patentales in ratione contractuum et effectuum civilium nullus obex poneretur, canonicum aliquod obstaret impedimentum, antequam illi assistant, semper praevie ad officium hoc Vicariale pro dispensatione recurrant. 4. Dispensationes super promulgationibus iure Tridentini et decreto quoque C. R. matrimonio praemittendis a competente Politica Iurisdictione impetratas, si ipsi impetratores officio huic Vicariali exhibere negligerent, ad avertendum omne deceptionis periculum (sicut in falsificatione multarum manumissionalium literarum Bohemiae Moraviacque subditorum saepius evenit) nisi evidens sit illius authentia, et periculum sit in mora, quibus casibus ceteroquin a promulgatione dispensatas habeant partes, semper praevie pro revisione officio huic Vicariali submittent, ne penes fictitium dispensationis testimonium matrimonio assistentes illud irritationis periculo quoad effectus civiles exponant : ad antevertendas vero, quae successive ex hoc capite oriri possent, difficultates matriculis Ecclesiarum suarum diligenter inferent, quaecunque coniugia penes dispensationem in denunciationibus inita fuerint. Et ne exemplaria dispensationum perditionis periculo in parochiis exponantur, ea in autographo ad Tabularium Officii Vicarialis reponenda submittentur. 5. Cum in praescripta divortii dissidentibus coniugibus concedendi methodo §. 52. Parochis, id quod ceteroquin vi muneris sui incumbit, coniugalium obligationum eiusmodi coniugibus inculcatio iniungatur, DD. Vestrae munus suum explevisse, atque adeo testimoniales extradari

posse haud existimabunt, si coniuges eiusmodi una alterave vice allocuti fuerint, et obligationem eiusmodi obiter iisdem proposuerint; verum ut adaeqnate hac in parte muneri suo respondeant, ad persvadendos componendosqne eiusmodi coniuges vicini parochi quoque ac ipsiusmet etiam VADiaconi pro opportunitate consilinm et cooperationem hunc in finem implorabunt, mutuisque studiis et opera ab infelici proposito revocare eos satagent, nec nisi his omnibus rite adimpletis scriptas testimoniales extradabunt. Ut autem Officio hnic Vicariali constet, nihil omnino per DD. Vestras neglectum fuisse, Eaedem de singulo eveniente einsmodi casu, ac quomodo in horum exhortatione processerint, qnamve et qualem in his adhibuerint industriam, eidem Officio hnic relationem de casu in casum facient.

Mon. 82.

Epistola Primatis ad Eppum Agriensem de Congressu Strigoniensi, dd. 11. Septembr. 1786.

Excellentissime etc. Heri a meridie solutae Sessiones Concursns Strigoniensis; et, qui aderant DD. Episcopi Dioecesani, et Sedium vacantinm Vicarii Capitulares, cum consolatione domum rediverunt. Non moror Excellentiae Vrae circumstantialem consiliorum nostrorum, et relate ad eadem adhuc ad rem facientium plurium circnmstantiarnm, et candidi sensus mei communicationem; utut frequenter institerim pro *Synodo Nationali*, et, hac non impetrata, Conprovincialium Episcoporum Concursum a Maiestate probari: numquam tamen maiori animo instantiam hanc renovavi Augustissimo Pestini, ac ubi aestimatissimis literis Excellentiae Vrae spes mihi facta Einsdem providis non minus ac eruditis consiliis non meae tantum sed et concurrentium Episcoporum conscientiarum angnstias esse quietandas, et huins providentiae temperamento et consiliorum pondere inviandas venire Augustissimi Domini nostri in publico-ecclesiasticis commissiones ad competentem effectum, tum in nonnullis flectendum optimi Principis animum in preces nostras ob momentorum nostro-

rum vim et candorem, imo fiducia impendendae eatenus nobiscum ab Excellentia Vra operae Augustissimum, qui gratam eius experientiam iam fecit, promtiori et tutiori animo propositioni accessurum; et reipsa, etsi occurrentes Eidem aliquas considerationes diluendas habuerim, et DD. Episcoporum directe ad se recursum praeferri adverterim, e voto tamen cessit hac vice petitio, et Augustissimi Domini in nos impetrata fiducia.

Facile proinde coniiciet Excellentia Vra, quantum nos omnes, et ego praecipue doluerimus, praeconcepta spe et Excellentiae Vrae desideratissima opera destitui, et alterationi valetudinis iter praeconceptum prohibentis ex animo tum Ecclesiae Hungaricae universae, tum sui causa condoluerimus. Profecto si temporis angustiae, viarum et tempestatum molestiae non impedivissent, facile omnes fuissemus inclinati ad Congressum totum *Agriam* transferendum; cum vero hic et nunc mox fieri non potuerit, nec satis tuti fuerimus, num executio huius propositi mei nefors ipsis alteratae Excellentiae Vrae valetudinis circumstantiis conveniret : decrevi consilia colligere, eadem Excellentiae Vrae statim referre, meas considerationes una addere, et Excellentiae Vrae mentem fiducialiter expetere, sed et quidquid fieri poterit ita in integro servare, ut modus adhuc sit, Excellentiae Vrae consilia, quibus plurimum defero, in tempore recipiendi; qui in omnibus eiusmodi occurrentiis et in specie praesentium consultationum obiectis universam Ecclesiam Hungariae afficientibus eo omnem sollicitudinem et conatum converti, ne facto meo praecipitem DD. Episcoporum eatenus concipiendam mentem, mihique tempus excludam, eorumdem consilia colligendi, ad uniformem sentiendi et agendi inviationem; unde et modo praecipuum mihi fuit et est, ne consilia nostra ita nos, minus absentes, ligent, ut meliora amplecti non liceat, imo nec ea forma appareant nobis, et absentibus, ac essent conclusa Congressus nostri, ceteroquin temporis et valetudinum circumstantiis a frequentia DD. Episcoporum imminuti, minus ut Maiestati pro regula decisionis serviant; et inde cum praevidere sit, quod Augustissimus conclusa nostra sibi referri petet, nec persuaderi posset, nihil in scriptum

esse redactum, ceteroqnin et consilia in nonuullis casibus magis arduis eo praecipue directa sint, ut serviant nobis et absentibns, qnibus ita videbitnr, pro directiva determinationis regula, ubi tentatis aliis quibnsvis opportunis temperamentis ad extremas angustias redneceremur: anctor fui, ut haec tantum per modnm et rubricam collectionis opinionum scripto dedneantur, et nobis, et, qnorum interest, hac forma communicentnr; alind Protocollnm Conclusornm ea ratione fiat, qno ubique sine offensa et pracindiciorum sequela comparere possit; Augusto qnidem tantum, si et eius commnnicatio declinari non posset, et eidem vel verbali vel scripta privata relatione mea non satisficret; ne tamen et hoc formam inalterabilis alicuius decisionis obtineat, nec idem subscripsimus: sed pro extrinseca alicuins autbentici exemplaris forma per Episcopnm Zerdahely reqnisitum Congressus Actuarium snbscribi fecimns; et banc ipsam causam confitebor Augustissimo.

In acclusa *Collectione Opinionum* intelliget eqnidem Excellentia Vra, quis sit sensus DD. Episcoporum et Vicariornm Capitularium, qni Strigonii adfuerunt, et qnid, si ultro nrgebuntur, et sibi soli relicti fnerint, sint probabilins ex huius Collectionis inviatione acturi: ut tamen plenam Actorum relationem, quantam absens habere potest, a me accipiat, addendum babeo: Convenisse omnes, si casus occurreret, qnod praeter spem nostram Maiestas a se posita impedimenta dirimentia, ab Ecclesia adhnc non acceptata, extenderet etiam ad dissolutionem vincnli in ratione Sacramenti, nullnm Episcopum ulla ratione cooperari posse.

Strigonii, die 11. Septembris 1786. Iosephus a Batthiány.

Mon. 83.

Opinio Consilii RLH. de actis Congressus Strigoniensis Regiae Maiestati praestita, a. 1786.

Allergnädigster etc. Ew. Maj. gerubten mittelst eines unterm 11. Oct. d. J. berabgelassenen Hofdecretes dieser

Stelle gnädigst aufzutragen, dass das Protokoll über den in Gran gehaltenen bischöflichen Synodum von dem Kardinal-Primas, unter dessen Vorsitz der Synodus abgehalten worden, abgefordert, mit deren allenfalls vorkommenden Bemerkungen sobald als möglich einbegleitet, und Ew. Maj. zur höchsten Einsicht vorgelegt werden möchte. Dieser Verordnung zufolge ist an den Kard.-Primas dd. 17. Oct. ein gleichförmiger Auftrag wegen der unverweilten Einsendung besagten Protocolls erlassen worden, in wessen Gemässheit derselbe dd. 8 et 10. d. M. seinen hier ‚in origine‘ sammt Beilagen A. et B. anverwahrten Bericht erstattet, und sich dahin äussert, dass diese Versammlung um so weniger ein Synodus geheissen werden kann, als nur sehr wenige Bischöfe und namentlich der Weszprimer, Stuhlweissenburger, Rosenauer, Steinamangerer, dann von Seiten der General-Vicarien vacante Sede nur der Waitzner und Neutraer, und zwar in der heilsamen Absicht erschienen sind, womit die ihnen zur Nachachtung mitgetheilten allerh. Anordnungen zu diesem Ende in Erwägung genommen, und durch die Hebung und zweckmässige Einleitung der in Sachen obwaltenden Umstände die allerh. Gesinnungen um so verlässlicher und mit grösserer Genauigkeit in Vollzug gebracht werden können, wodurch sich die Folge von selbst ergebe, dass die wechselseitigen Meinungen in dieser blos freundschaftlichen Zusammentretung weder als ein legales Decisum dem Protokoll eingeschaltet, vielweniger aber von den abwesenden Bischöfen als ein Gesetz habe können angesehen werden. Doch weil unter vielen Gegenständen, welche diese Zusammentretung veranlasset haben könne, die Belehrung der um Weisung einkommenden Seelsorger in Betreff des wiewohl nur in dem Gesichtspunkt der bürgerlichen Wirkungen erlassenen Ehepatentes einer der wichtigsten zu seyn schien, als wäre mit vorausgesetzter Berathschlagung die einstimmige Meinung dahin gerichtet gewesen, dass 1. *etc. ut in Protocollo sub A*). Hierin besteht der ganze Inhalt der vom Cardinal-Primas gemeinschaftlich mit den anwesenden Bischöfen gemachten Berathungen, und bezieht sich solcher eigentlich auf die zwei Gegenstände, nemlich auf die sich vorbehaltene Gnade Seiner Maj. hierü-

ber seiner Zeit eine unterth. Vorstellung machen zu dürfen, womit von Allerh. die Zusammensetzung eines Synodi Nationalis zur Beförderung aller in Publico-Ecclesiasticis erflossenen Verordnungen allergn. bewilliget werden möchte; und dann auf die Art, mit welcher die Ausführung des Ehepatents auf das Füglichste ohne Gewissenszwang der Bischöfe und der Seelsorger veranstaltet werden könne, worüber mit Bezug auf den ersten Gegenstand man um so weniger hier urtheilen kann, als es lediglich von der allerh. Bestimmung abhangen wird, ob das für die übrigen Erbländer festgesetzte System in Ecclesiasticis auch hierlandes ohne weiters eingeführt, oder vorläufig zu dessen Erwägung ein National-Synodus angeordnet werden wolle. In Betreff des zweiten Gegenstandes, nemlich die Ausführungsart des Ehepatents betreffend, wird der Vorschlag der Bischöfe in folgenden Punkten sammt allerh. Orts vorgeschriebenen Bemerkungen aufgenommen.

1. Dass kein Pfarrer sich beigehen lassen solle, eine Parthey zu trauen, die nicht allenthalben vermög des Ehepatents quoad effectus civiles zu der Verehelichung geeignet wäre. *Ad 1.* Da eben diese Verordnung in dem allerh. Orts zur Richtschnur und Nachachtung vorgeschriebenen Ehepatent ausdrücklich mit dem fernern Zusatz enthalten ist, dass eine Ehe, welche mit irgend einer Übertretung der allda angeführten Bedingnisse geschlossen wird, für ganz und gar ungiltig und nichtig angesehen, folglich ohne aller Wirkung sein soll, so ist auch das Bestreben der Bischöfe, mittels welchem dieselben die gesetzwidrigen Eheverlöbnisse und Verträge, durch ihre unterstehende Geistlichkeit bestmöglichst zu verhindern trachten, als den allerh. Gesinnungen angemessen anzusehen.

2. Soll den Seelsorgern eingeschärft werden, dass sie in Fällen mit Vereinigung der geistlichen und civil-Rechten in Ehesachen vorschreiten sollen. *Ad 2.* Da das allgemein kundgemachte Ehepatent die Ehe unter zwei Gesichtspuncte, nemlich als Sacrament, und als eine nach den Civilgesetzen wechselseitig eingegangene Verbindung, nach dem wesentlichen Sinn aller Rechte darstellet, so dürfte die in diesem

Punct den Pfarrern anempfohlene Conciliation der Kirchen und Civilgesetze bei so verschieden denkenden Seelsorgern um so leichter die Vollziehung der allerh. Verordnungen hemmen, als es ganz leicht voranszusehen ist, dass ein jeder nach seiner eigenen Denkungsart und Begriffe die Rechte erwägen und beurtheilen, folglich auch die vorgeschlagene Conciliation darnach anstellen wollen wird, dann ferners gar nicht zu zweifeln ist, dass diese Conciliation der canonischen und Landesrechte schon im vorans noch vor ergangenem Ehepatent geschehen sey; also wäre in dieser Voraussetzung entweder die genane und auf diese Grundsätze gegründete Befolgung ohne weiters und gerade aufzutragen, oder wenn dennoch einige Fälle wären, welche noch einer weitern Aufklärung bedürfen, zur unfehlbaren Richtschnur der Seelsorger annoch zu bestimmen.

3. Sollen dieselben bei einer jeden Trauung, die zwar in Ansehung bürgerlicher Wirkungen gestattet wird, jedoch wegen eines canonischen Impedimenti nicht für sich gehen könnte, das Gutachten und die Dispense der Diöcesanen einholen. *Ad 3.* In der billigen Vermuthung, dass allhier solche Hindernisse und Impedimenta erwähnt werden, welche etwa durch das Ehepatent nicht entschieden sind, oder ans der Ursache bei den politischen Behörden nicht entschieden werden können, weil sie geheim sind, und ad Forum Poli gehören, ist diese allhier gemachte Bemerkung um so billiger, als auch laut 33. §. die Untersnchung geheimer Ehehindernisse nicht den pólitischen Behörden, sondern lediglich den Bischöfen eingeräumt wird, nur könnten zur Vermeidung aller Irrung und sich etwa ereignen mögenden Bedenklichkeiten die Seelsorger über die besondern und noch nicht angezogenen Fälle etwa belehrt werden.

4. Sollen, wie oben angeführt wurde, die von politischer Behörde über die Dispense der Verkündigung ausgefolgten Testimoniales aus Besorgniss einer Verfälschung, nnd in Anbetracht, dass dermalen verschiedene Geistliche, die in der Seelsorge nicht allerdings geübt seyn dürften, angestellt werden, dem Diöcesan noch vor der Trauung vorgewiesen werden. *Ad 4.* Es ist ganz billig und zweckmässig,

dass wo in einem ausgefertigten Dispensationsschein ein gründlicher Zweifel der Unächtheit obwaltet, der Pfarrer mit der Trauung einhalte, bis der Zweifel erörtert wird, doch will man es der allerh. Entscheidung unterziehen, ob es nicht dem Geist und dem Sinn des Ehepatents mehr angemessen sey, in dergleichen Fällen, die lediglich eine Civilsache zum Gegenstand haben, die Pfarrer vielmehr an die nemlichen Behörden, die diese Dispensations-Scheine ertheilet haben, als an die Bischöflichen Vicarien anzuweisen; und das zwar um so mehr, als widrigenfalls der Vicarius in jenen Vorfallenheiten, wo sich ein Zweifel über die Authenticität des Scheines ergeben würde, die Superrevision erhalten müsste, es könnte auch dadurch die bereits schon allgemein kundgemachte allerh. Einrichtung bei dem von den wahren Ursachen sothaner Veranlassung nicht hinlänglich unterrichteten Publicum leicht ein Argwohn erregt werden, als wäre diese in den Patentalibus ausdrücklich der Civil-Behörde vorbehaltene Befugniss wenigstens in parte ad forum mixtum geleitet worden.

5. Endlich erachten die Bischöfe den Pfarrern kund zu machen, dass im Fall einer von beiden Partheyen anverlangten Trennung und zu treffenden Vergleich nicht der Pfarrer allein, sondern auch andere Seelsorger, und namentlich der VADiaconus zur Hilfe gezogen werden soll. *Ad 5.* Dieser Punct gründet sich auf eine vorausgesetzte Unfähigkeit mehrerer, besonders aber der neuanzustellenden Seelsorger, da doch die Leitung des Gewissens und der ganzen Seelsorge in ihrem Umfang in mehreren gleich wichtigen Gegenständen denenselben anvertrauet wird, und auch nach den bestehenden Normalien kein anderer, als der die erforderlichen Eigenschaften zu diesem wichtigen Amte besitzt, angestellt werden soll. Der von den Bischöfen gemachte Vorschlag wäre demnach nur auf jene besondern Fälle anwendbar, wo der Diöcesan oder Vicarius, der seine Untergeordnete bestens kennen muss, von einem und andern überzeugt ist, dass er mit den zu seinem Amt erforderlichen Eigenschaften nicht begabt ist, wo man übrigens es ordnungsmässig findet, dass die in Gemässheit des Ehepatents ertheilten Dispensationen aufge-

zeichnet, und in gewissen vom General-Vicarius zu bestimmenden Fristen dem Vicarial-Protocoll eingeschaltet werden sollen.

Und diess sind jene Anmerkungen, welche man hierorts über die in besagter Zusammentretung zur Belehrung der Pfarrer nach dem Sinn und Meinung der allda versammelten Bischöfe verfassten und zur allgemeinen Richtschnur dienenden Circulari pflichtschuldig zu machen, und der allerh. Einsicht vorzulegen erachtet hat. Da aber ferner die Bischöfe in der dem anher mitgetheilten Concertations-Bericht anklebenden Beilage A). und zwar sub A. 5. noch über die Trennung jener Personen ihre Bedenken insbesondere äussern, welche nicht der kath. Religion zugethan sind, und ex capite intentatae necis aut adulterii getrennt, und zu einer andern Ehe zugelassen werden können, welche jedoch nach den Grundsätzen unserer Religion von keinem Geistlichen für giltig angesehen werden darf, ist man hierorts des unterth. Erachtens, dass da in dem Ehepatent gleichsam zur Grundlage dieser Verordnung angenommen wird, dass die cognitio causae nur in so weit, als die Ehe ein Sacrament ist, zur geistlichen, in allen übrigen aber zur weltlichen Gerichtsbarkeit gehört, die Protestanten andern Theils, denen die Ausübung ihrer Religion bereits verstattet worden, die Ehe nur als ein Civilcontract ansehen, und ferner die Beurtheilung einer statthabenden Trennung als kein ecclesiastischer Gegenstand denen Civilbehörden eingeräumt worden, so wird erachtet, dass die Pfarrer in dem von den Bischöfen angeführten Fall, wenn dergleichen quoad vinculum geschiedene Partheien neuerdings sich verehelichen wollen, um so weniger einer Gewissens-Ängstlichkeit unterliegen, und selbe zu trauen sich weigern sollten, als sie ad cognitionem facti, welche die Scheidung veranlasst hat, gar nicht einfliessen, folglich diese als schon von dem ehelichen Band auctoritate competentis iudicii losgesprochene und in den vorigen ehelosen Stand gesetzte Partheien von dem Pfarrer zu betrachten kommen, und in diesem Fall der aus angeführtem Grunde keiner weitern Untersuchung mehr unterliegende freie Stand der Partheien in Gegenwart des Pfarrers gesetzmässig mit dem ehelichen verändert werden könne. Welches Ew. Maje-

stät zufolge obangegebenen Hofdecrets zur allerh. Entschliessung und allergn. ertheilenden Weisnng von dieser königl. Stelle in tiefster Ehrfurcht unterbreitet wird. Ofen den 14. Nov. 1786.

Mon. 84.

Propositio et votum Commissionis Eccl. Aulicae in eodem merito. 1786.

Ew. Majestät! Als sich die treugehorsamste Hofcommission die ehrfurchtsvolle Freiheit nahm, Ew. Maj. unterthänigst zu bitten, dass es ihr erlaubt sey, das Protokoll der dem Vernehmen nach in Gran unter dem Vorsitze des Cardinal-Primas zu Anfang des September-Monats abgehaltenen Bischöflichen Versammlung abzufordern, hatte sie sich jene merkwürdige Vorgänge gegenwärtig gehalten, die sich in den Jahren 1768. 1769. nnd 1770. in Betreff des durch den damaligen Erzbischof von Görz versammelten Provincial-Conciliums ereignet haben. Als nemlich besagter Erzbischof nach der Erhebung seines Bisthumes zu einer Metropolitankirche nöthig zu sein erachtete, dass er seine Suffraganen zusammenrufe, und sich mit ihnen über das gemeine Wohl dieser geistlichen Provinz berathschlage, erhielt er dazu die Erlaubniss von der höchstsel. Kaiserinn Königinn Maj. mit dem Beding, dass er vorläufig einen Auszug der in dem Concilium zu erlassenden geistlichen Satzungen zur Approbation einsende. Zugleich wurde unterm 23. Juli und 1. Octob. 1768. der Görzerischen Landeshauptmannschaft aufgetragen, einen aus ihrem Rathsgremio zu dieser Versammlung in der Eigenschaft eines k. k. Kommissärs mit dem abzusenden, dass er das in selber abzufassende und zu seiner Zeit zur höchsten Einsicht einzuschickende Protocollum mit unterzeichnen solle. Solchergestalt wurde das Provincial-Concilium unter der unmittelbaren und fortdauernden Aufsicht der weltlichen Regierung den 19. October 1768. versammelt, und durch einige Tage fortgesetzt, die alldort getroffenen Verfügungen aber unter dem Namen der Synodalconstitutionen durch den kön.

Commissär mit unterfertiget und anher eingesendet. Obschon nun diesen Constitutionen die Clausel: „salvis sacris iuribus Summi Principis“ beigerückt war, so glaubte die damalige Hofstelle doch, dieselbe nicht platterdings gutheissen zu können, sondern theilte sie in drei Classen ab, deren erste die Constitutionen, welche den Glauben, die Dogmata, die Ausspendung der Sacramente, und überhaupt die essentialia Religionis angehen, in sich begreift, und worüber die Hofstelle erkläret, dass sie nicht das Mindeste einzuwenden habe; in die zweite Classe versetzte sie jene Satzungen, die in die äusserliche Kirchenzucht einschlagen, und machte hiebei die Bemerkung, dass in den Constitutionen dieser Classe manche anzutreffen seien, die die päbstliche Macht auf den höchsten Grad der uneingeschränkten Monarchie hinauftreiben, dafür aber die Gewalt der Bischöfe, die doch auch unmittelbar von Gott kömmt, zu sehr verkleinern; da nun der Landesfürst als Advocatus Ecclesiae verbunden sei, die seinen Bischöfen und Nationalkirchen von Gott verliehene Macht gegen fremde Eingriffe zu schützen, so könne sie diese auf irrigen Grundsätzen ruhenden Satzungen keineswegs mit Stillschweigen übergehen; in die dritte Classe wurden jene Constitutionen verzetzt, welche pur zeitliche, oder doch sehr eng damit verknüpfte Dinge zum Gegenstande hatten; hiebei erinnerte die Hofstelle, dass das Concilium durch derlei Satzungen die Grenzen der geistlichen Macht überschritten habe, und dass selbe folglich nicht können gutgeheissen werden, weil sie den landesfürstlichen Rechten zu nahe treten, und andurch zu vielen der Kirche und dem Staate nachtheiligen Missbelligkeiten, wie es die tägliche Erfahrung lehrt, Anlass gegeben werden könnte. Nach einer solchen Zergliederung schlug die Hofstelle verschiedene Modificationen vor, nach welchen die Synodalconstitutionen gutgeheissen werden dürften, und den 8. Dec. 1770. wurden diese abgeänderten Constitutionen der Landeshauptmannschaft zu dem Endzwecke zugeschickt, dass sie dieselbe in Druck legen lasse, ihr aber zugleich aufgetragen, dass im Falle der Pabst bei der Confirmation in selben etwas abänderte, die Anzeige sogleich anher gemacht, und bis dahin die Auflage im

Drucke zurückgehalten werde. Hat man nun alle diese weisen Anstalten zu einer Zeit, da an das heilsame Werk der äusserlichen Kirche-Reforme erst Hand angelegt wurde, für nöthig gefunden: um wie viel mehr müsste sich's die treugeh. Hofcommission nicht zur Pflicht rechnen, jetzo, da man in selber schon so einen beträchtlichen Fortgang gemacht hat, ihre ganze Aufmerksamkeit auf eine Bischöfliche Versammlung zu richten, die gerade in jener geistlichen Provinz solle abgehalten worden seyn, aus welcher schon so manche bedenkliche Vorstellungen gegen diese Reforme eingelaufen sind. Ew. Maj. gernheten allergnädigst den Antrag der Hofcommission zu genehmigen, und ertheilten ihr den Befehl, das Synodal-Protocoll abzufordern, und es Ew. Maj. mit den allenfalls vorkommenden Bemerkungen vorzulegen. Nun erscheint in der Anlage der gutächtliche Bericht, den die Statthalterey über die schriftliche Äusserung des hierüber befragten Cardinal-Primas erstattet. Diese Äusserung geht in der Hauptsache dahin, dass zumal verschiedene Bischöfe durch böse Witterung, durch das Austreten der Flüsse, und durch schwache Gesundheit abgehalten worden seien, sich in Gran einzufinden, so verdienen die zwischen dem Cardinal und den Bischöfen von Weszprim, etc. abgehaltene vertrauliche Unterredungen auf keine Weise den Namen eines Conciliums, auch wären diese Bischöfe nicht gesinnt gewesen, weder für sich, noch für die Abwesenden einige Gesetze zu erlassen; vielmehr haben sie sich vorbehalten, sich noch ferners zu berathschlagen, wesswegen sie auch kein ordentliches Protocoll verfertiget noch unterzeichnet haben, da er widrigenfalls nicht ermangelt haben würde, den Synodal-Schlüssen, wenn einige abgefasst worden wären, ihre Legalität durch Berichterstattung an Ew. Maj. zu verschaffen. Durch diese ausdrückliche Erklärung wird zwar das diessfällige Besorgniss der Hofcommission für das Vergangene vollkommen behoben. Allein für die Hinkunft kann sie nicht umhin, hierüber folgende unterth. Bemerkung zu machen. In allen wohl eingerichteten kath. Staaten ist es zur Grundmaxime geworden, keine Versammlungen der Bischöfe

mehr zu gestatten, ausser jene, die unter der Anfsicht des Staats gehalten werden, welche Ausübung des landesfürstlichen Rechtes um so dringender geworden ist, als das seit einigen Jahrhunderten eingeführte neue Kirchenrecht den Kirchenvorstehern so viele Gewalt über die geistlichen Angelegenheiten zueignet, und die meisten Concilien seitdem in eben so viele Tribunalien, wo die weltlichen Gesetze beurtheilet, nnd eingeschränkt werden, umgestaltet hat. Ist nun ein Landesfürst geneigt, aus erheblichen Ursachen eine Conciliar-Versammlung zu gestatten, so scheint es nöthig zu seyn, dass nach Mass dessen, was zu Görz geschehen, vor allem der Plan nnd die Gegenstände eines abzuhaltenden Conciliums durch die Bischöfe der Regierung vorgelegt, nnd die Abschickung eines landesfürstl. Commissärs erbeten werde. Findet aber der Landesfürst nicht für rathsam, solch eine Versammlung zuzulassen, so wäre den Metropoliten auch nicht zu gestatten, die Bischöfe ihrer Provinz, wie es hier geschehen, auf einen bestimmten Tag zusammenzurufen, und solchergestallt unter dem Namen vertraulicher Unterredungen in Abwesenheit eines landesfürstl. Bestellten dasjene zu erzielen, was sie in seiner Gegenwart unter dem Namen eines ordentlichen Conciliums zu erwirken sich nicht getrauen. Da nun in der dem Primatialschreiben sub A). angeschlossenen Beilage die oberwähnten Bischöfe den Wunsch äussern, dass das dermal in Publico-Ecclesiasticis bestehende System in einem National-Concilium vorgenommen werde, welche Äusserung die Landesstelle mit der Betrachtung einbegleitet, dass es nur von Ew. Maj. Bestimmung abhänge, ob dieses in den deutschen Erblanden vollends bestehende System auch in Ungarn weiters eingeführt, oder ob zu dessen Erwägung ein National-Synodus angeordnet werden wolle: so entsteht hieraus die beste Gelegenheit, dem Cardinal-Primas durch die Landesstelle zu erwiedern, dass zumal die Nothwendigkeit eines abzuhaltenden National-Synods nicht vorhanden sey, den Bischöfen hierinfalls nicht willfahret werden könne, wornach der Cardinal-Primas auch bis auf weitere Verordnung die Bischöfe seiner Provinz nicht mehr zusammenzurufen, sondern in Hinkunft die durch ihn als

Metropoliten zu besorgende Geschäfte mit seinen Suffraganen schriftlich abzuhandeln habe. Da sich also das unterth. Gutachten der Hofcommission in Bezug auf die Graner Versammlung lediglich auf diese Veranlassung beschränket, so bleibt noch übrig, die weitere Äusserung des Cardinal-Primas und die derselben sub A). beigeschlossenen Gesinnungen der mit ihm gleichdenkenden Bischöfe in Erwägung zu ziehen. Diese betreffen eigens das in Hungarn den 6. März d. J. erlassene Ehepatent, und können füglich in zwei Theile abgetheilt werden, in deren ersterem die Bischöfe einige Bemerkungen über dasselbe vorbringen, in dem zweiten aber über den Entwurf des Circulars übereinkommen, mittels welchen sie das Ehepatent den Pfarrern kund zu machen gedenken. In denen Bemerkungen wird erwähnt. (*ut in Protocollo sub A*).) — Diesen Bemerkungen der Bischöfe wird sub B). der Entwurf des Circulars beigeschlossen, welches nebst einem kurzen Eingang folgende fünf Puncte in sich enthält. (*ut in Provoc. sub B*).) Dieses ist also der ganze Inhalt desjenen, was der Cardinal-Primas und die mit ihm versammelten Bischöfe über das Ehepatent zu erinnern haben.

Die in der Registratur dieser Hofcommission aufbewahrten Acten thun dar, dass gleich nach Erlassung des Ehepatents, das ist im J. 1783. die Bischöfe von Constanz, Basel, und Lavant, und bald darauf der Cardinal-Erzbischof von Wien, und der Bischof von Neustadt Vorstellungen an Ew. Maj. gerichtet haben, die in der Hauptsache gerade das Nemliche sagen, was nur einige hungarischen Bischöfe vorstellen, und ist sich über diese Einstimmung nicht zu verwundern, weil diese Bischöfe die nemlichen Grundsätze über den Ehevertrag haben, woraus auch die nemlichen Schlüsse folgen müssen. Das Irrige dieser Grundsätze hat die Hofcommission Ew. Maj. in ihren mehrmaligen Vorträgen sattsam vorgelegt, und nach Verlauf dreier Jahren hat sie es endlich dahin gebracht, dass nun keine weiteren Anfragen und Bedenklichkeiten über das Ehepatent in den deutschen Erblanden mehr vorkommen. Um Ew. Maj. dahero mit Wiederholung dessen, worüber Allerh. schon so manches verordnet haben, nicht überlästig zu fallen, wird diese Hofcommission ihre

Bemerkungen über das, was die Bischöfe hier erinnern, ganz kurz ansetzen, und sodann über das angetragene Circulare ihr Gutachten erstatten. Das Irrige der von den Bischöfen angenommenen Grundsätze ist in folgenden Puncten auffallend: 1. Dass die Unauflöslichkeit des Ehevertrages von dem Sacrament herrühre. 2. Dass Ehen, so durch landesfürstl. Gesetze vor nichtig erklärt werden, in Betreff des Sacramentes doch giltig seyen. 3. Dass das Seelenheil solcher Gläubigen in Gefahr stehet, die eine durch das Civilgesetz für giltig anerkannte Ehe schliessen, ohne vorhin das canonische Impediment durch die geistliche Dispens heben zu lassen. 4. Dass es nicht in der Gewalt des Landesfürsten stehe, die Ehen der Protestanten nach ihren diessfälligen Grundsätzen auch in Bezug auf das Band zu zertrennen, und dass jeder kath. Pfarrer solch eine Ehe auch nach der Trennung als giltig ansehen müsse. Diese Grundsätze nennet man auffallend irrig, weil man nur die Geschichte und die alten kais. Gesetze, besonders die Novellen lesen darf, um sich zu überzeugen, dass viele Jahrhunderte nach dem eingeführten Christenthume es jedem Christen frei stund, den Ehevertrag im Angesicht der Kirche, d. i. auch in der Eigenschaft eines Sacramentes, oder nur blos vor der weltlichen Behörde und hiermit lediglich als einen natürlichen und bürgerlichen Vertrag zu schliessen; Kaiser Leo aber der erste war, der im 9. Jahrhunderte durch die 89. Novelle seinen Unterthanen auftrug, die Ehen in Gegenwart geistlicher Personen zu schliessen, und diejene, die nicht auf solche Art geschlossen wurden, auch quoad effectus civiles für null und nichtig erklärt hat. Wenn nun die vor diesem Gesetz geschlossenen Ehen der Katholiken, wenn jene, die nach der Hand, als die Kraft dieses Gesetzes wieder aufhörte, jedoch vor dem Concilium von Trient im Geheim, und ohne Beiseyn des eigenen Pfarrers geschlossen wurden, wenn jene der Protestanten, die dabei der Empfangung eines Sacraments nicht fähig seien, weil weder die Partey noch der Minister hiebei das Daseyn eines Sacramentes anerkennet, wenn alle diese Ehen nicht als ein gesetzwidriger und sträflicher Beischlaf angesehen werden sollen, wie sie kein vernünftiger Mensch als solche

anzusehen öffentlich auf sich nehmen wird, so ist die Folge richtig, dass es auch heut zu Tage Ehen gebe, die unauflöslich seyn, ohne mit der Eigenschaft des Sacraments verbunden zu seyn. Noch mehr aber fallt das Irrige des Grundsatzes sub 1. auf, wenn man ihn mit jenem sub 4. zusammenhält; denn in dem zweiten wird die Unauflöslichkeit der protestantischen Ehen offenbar anerkannt, und im ersten wird sie nur der Kraft des Sacraments zugeschrieben; ein Widerspruch, der sich nicht anders heben lässt, als durch den Satz, dass selbst die Protestanten das Sacrament der Ehe empfangen, sie, die die nöthige Zubereitung hiezu weder in der Intention des Empfangenden, noch in jener des Verleihenden, ohne welcher selbst die Taufe nicht giltig ist, hierzu mit sich bringen. Was die sub 2. angeführten Landesgesetze anbetrifft, so schlaget die diessfällige Erinnerung der Bischöfe um so weniger in den Wirkungskreis dieser Hofcommission ein, als die Bischöfe selbst anerkennen, dass sie sich hierüber schon eigens an die Landesstelle als die politische Behörde gewendet haben.

Nach dem Ermessen der Hofcommission wäre daher von dieser ganzen Vorstellung kein anderer Gebrauch, als im Folgenden zu machen: 1. Der Antrag, den Dechanten die Erlaubniss für beständig zu delegiren, dass sie in den Ehehindernissen des 3. und 4. Grades dispensiren können, scheint dieser Hofcommission bei dem Bewandtniss, dass die Unwissenheit der Pfarrer, wenn sie ganz sich überlassen wären, manche Unordnung verursachen könnte, allerdings angenommen werden zu können. 2. Nicht minder dürfte die vorgeschlagene Weisung an die Pfarrer, jedoch mit dem genehmigt werden, dass die Pfarrer nach dem Gutachten der Statthalterei die zweifelhaften Attestata über den Nachlass der Aufgebothe nicht den Consistorien, sondern den weltlichen Behörden, die sie erlassen haben, zur Einsicht vorlegen sollen; auch dürfte der Punkt wegen Eintragung solcher Ehen in die Matrikel bestehen, wornach die Einsendung des Original-Attestates in das bischöfliche Archiv überflüssig wird. Jedoch wären über diese zwei Puncte die Pfarrer durch ihre Bischöfe dessen zu belehren, dass Ew. Maj. in ihren

diesseitigen Staaten schon wiederholtermassen anzuordnen geruhet haben, dass nemlich die geistliche Dispens über die canonischen Impedimenta, die durch das Ehepatent aufgehoben sind, und über den durch die weltliche Behörde ertheilten Nachlass der Aufgebothe nur damals ertheilt werden sollte, wenn die Partheien sich um dieselbe ausdrücklich melden; finden sich aber die Parthcien so über eines als das andere in ihrem Gewissen ruhig, dann solle ihnen der Pfarrer die priesterliche Einsegnung ohne allen Anstand ertheilen.

Ausser diesen Puncten wäre daher sowohl die bischöfliche Vorstellung, als der Entwurf des Circulars, in dem man einerseits einen Widerspruch der Civilgesetze mit den canonischen voraussetzt, andererseits aber die Zusammenräumung beider den Pfarrern überlässt, nach Mass dessen, was Ew. Maj. im J. 1783. anzubefehlen geruht haben, lediglich zu beseitigen. Zu diesem Generale geben die verschiedenen Auslegungen des Ehepatents, die sich die Bischöfe erlaubten, Anlass; Ew. Maj. befehlen daher auf den beiliegenden Vortrag der vereinigten Hofstelle vom 22. Jun. besagten Jahres, dass es von allen weitern Circulari über das Ehepatent abzukommen habe, weil dieses ohnedem schon klar genug ist, wornach allen Landesstellen mitgegeben wurde, dass wenn ein Bischof über das Ehepatent einen Hirtenbrief zu erlassen das Ansinnen machen würde, derselbe ab- und dahin angewiesen werde, dass er ohne Erlassung eines Hirtenbriefes sothanes Patent seinem ganzen Inhalte nach auf das Genaueste zu beobachten, und sich sowohl in Betreff der in diesem Gesetz für ungiltig erklärten als auch der vermög desselben giltigen Ehen von aller Erregung einiger Collision auf das Sorgfältigste zu hüten, und eben hiernach die Pfarrer, Seelsorger und Prediger anzuweisen hätte. Nur dem Cardinal-Erzbischof ward auf seine wiederholten Vorstellungen erlaubt, sein erstes an die Pfarrer erlassene Circulare mittels eines zweiten, welches einige Erläuterungen in sich hielt, zurückzurufen, und dieses zweite Circulare wurde dem Bischof von St. Pölten zur gleichförmigen Belehrung seiner Pfarrer mit dem mitgetheilt, dass sich dasselbe im Punkt der Dispens-

ertheilung nur von dem Fall verstehe, wo die Brautleute in 3. et 4. gradu simplici et mixto cons. et affin. aus Gewissenszärtlichkeit die Dispens verlangen, weil ansonst jeder Seelsorger ohnehin schuldig ist, die in dem Ehevertrags-Patent aufgehobenen Hindernisse als keinen Anstand der geistlichen Trauung zu betrachten, folglich derlei Partheien ohne weiters auf ihr Begehren zu copuliren. Wenn Ew. Maj. daher diese Anträge der Hofcommission zu genehmigen geruhen wollen, so wird man der kön. Statthalterey mitgeben, dass nachdem dermalen keine Nothwendigkeit vorhanden sey, ein National- oder Provincial-Concilium zu halten, der Cardinal-Primas bis weiterer Verordnung seine Suffraganen nicht mehr zusammenrufen, sondern die durch ihn als Metropolit zu besorgenden Geschäfte mit ihnen schriftlich abhandeln solle. Auch hätte die Kundmachung des in sich selbst so klar gesetzten Ehepatentes an die Pfarrer ohne Circulare oder Hirtenbriefe zu geschehen, sondern die Bischöfe hätten lediglich auf die genaue Beobachtung desselben sowohl in Betreff der in diesem Gesetz für ungiltig erklärten, als auch der vermög selben giltigen Ehen zu verweisen, anbei aber sich selbst von Erregung einiger Collision zu hüten. Die Anträge, die Dispens in 3. et 4. gradu den Dechanten zu delegiren, wie auch den Pfarrern aufzutragen, dass sie die mit Nachlass der Aufgebothe geschlossenen Ehen in der Matrikel besonders aufzeichnen sollen, werden hiemit genehmiget, jedoch habe es von der Einlegung derlei Attestaten in das bischöfliche Archiv abzukommen, auch hätten die Pfarrer die zweifelhaften Attestata nicht dem Consistorio, sondern der weltlichen Behörde, unter deren Namen dieselben gefertigt würden, zur Untersuchung vorzulegen. In allen übrigen Puncten der durch den Cardinal-Primas und einige Bischöfe seiner Provinz bei Gelegenheit ihrer Zusammentretung in Gran geäusserten Anstände haben sie sich lediglich an den klaren Sinn des Ehepatents zu halten, besonders aber ihre unterhabende Geistlichkeit dahin zu belehren, dass sie schuldig sey, die in selbem aufgehobenen Hindernisse als keinen Anstand der geistlichen Trauung zu betrachten, folglich den Partheyen, die in solchen Fällen die priesterliche Einsegnung verlangen,

dieselbe ohne Anstand zu ertheilen, wornach die diessfällige geistliche Dispens nur damals stattbaben kann, wenn die Partheien sie aus Gewissenszärtlichkeit selbst ansuchen, und habe die kön. Statthalterey hierauf besonders zu wachen, dass sich die Pfarrer dieser höchsten Anordnung treulich und ohne Verzögerung fügen sollen. Schlüsslich muss man noch unterthänigst erinnern, dass weil die bisherigen Anstände gegen das Ehepatent nur aus der Graner Provinz erreget worden sind, die Bischöfe hingegen der Kalotscher Provinz hierüber noch keinen Zweifel geäussert haben, es überflüssig sein dürfte, diese höchste Veranlassung auch den letzteren kundzumachen, und wäre dieselbe demnach lediglich an den Cardinal-Primas und seine Suffraganen zu erlassen. Nur wäre der Statthalterey unter Einem mitzugeben, dass wenn in Hinkunft auch aus dieser Provinz einige Anfragen sollten gemacht werden, die Statthalterey die Fragenden nach diesen Grundsätzen zu belehren habe. Wien, am 28. Nov. 1786. — *Ex Tabulario Regio.* Nr. $^{13192}/_{1786}$.

Mon. 85. 86.

Sententia Fori Civilis in causa vinculari matrimoniali in sequelam Patentalium Matr. lata a. 1786. et declaratio Eppi Weszprimiensis. 1786.

85. *Sententia.* Per Sedem Iudiciariam Com. Weszprimiensis in oppido Pápa die 17. Nov. 1786. celebratam in causa Annae Romleiter velut P. A. adversus Emericum Baronyai velut R. C. ad rescissionem vinculi matrimonialis mota — deliberatum est: Causis matrimonialibus per ben. Ordinationem Regiam dd. 6. Mart. 1786. editam, moxque circulariter in Regno hoc et Partibus adnexis publicatam a Foris Ecclesiasticis seu Dioecesanis ad specifica Secularia Fora, signanter vero talibus, quae inter ignobiles personas ventillarentur, ad Sedes Iudiciarias respectivorum Comitatuum penitus translatis, et ad exigentiam huiusce ben. Ordinationis praesenti etiam processu iam coram praescripta Sede Iudiciaria susci-

tato, cumque universis cohaerentibus irrotulatis Actis, ferendo desuper Iudicio per Partes ab utrinque snbmisso existente: ruminatis itaque ambarum liteagentium partium scripturis et probationibus, quandoquidem iuxta expositionem Actionis actricem Annam Romleiter ad contrahendum cum R. C. Emerico Baronyai matrimonium prorsus invitam reluctantemque per parentes eiusdem minis, terriculamentis variis, quinimo iteratis etiam verberibus adactam fuisse ex fassionibus adiuratorum testium in Inquisitione — contentorum, et quidem respective domesticorum, respective talium, qui solimet tempore initi matrimonii influxerunt, atque adeo quaesitae rei optimam notitiam habentium, limpide ac manifeste comprobaretur; inquisitio autem Rei C. non ut probam eiusmodi actoream elideret, ast potius multum secundaret; insuper coactum illud matrimonium — carnali copula haud unquam subsecuta consummatum nentiquam haberetur, ac denique ipsamet Pars R. C. petito per Partem A. divortio expresse annueret: matrimonium inter praeattactas Partes coactive initum cum omni sui vinculo iudicialiter rescindi, ac easdem partes ambas in statum antematrimonialem restitui. —

86. *Eppi Weszprimiensis declaratio in nexu praeviae sententiae.* Dilecte in Christo fili, D. VADiacone! Optassem, si in causa Annae Romleiter et Emerici Baronyai penes latam sententiam ipse quoque processus nobiscum pro tutamine maiori conscientiae communicatus fuisset; cum tamen contextus ipsius sententiae et in ea provocatae testium iuratae fassiones conformi consensione assevcrarent, antelatae Annae ad incundum matrimonium vim omnino et coactionem illatam, exindeque matrimonium a principio iure naturali nullum fuisse, eapropter in his arctis rerum circumstantiis ipse quoque quaestionatum matrimonium ex praeadductis rationibus nullum praeexstitisse agnoscere debeo, sequaciter modum non video, quominus Emericus Baronyai ab incundo cum altera sibi desponsata servatis de iure servandis matrimonio arceri possit. Weszprimii die 22. Nov. 1786. Iosephus Bajzáth, Eppus.

Mon. 87.

Eppus Transsilvaniensis Ignatius Comes a Batthyán datis ad Eppum Agriensem literis sensa sua circa acta Congressus Strigoniensis Praesulum in re Patentalium Matrimonialium manifestat. 1787.

Excellme etc. Nunc primum mihi licuit Protocollum DD. Episcoporum Strigonii anno priori congregatorum ad circumstantias meae non minus quam universalis Ecclesiae expendere. Reflexiones, quae mihi invocata Spiritus S. gratia — in mentem venerunt, hic adnecto, temeritatis etiam meae veniam petens, quod audeam tantorum Virorum retractare iudicium. Sed si quid bene scripsi, gaudebunt procul dubio Venerabiles Fratres mei, aliquid me vidisse; sin minus rectum aliquid excidit, corrigere et emendare paratus sum. — — Albae-Carolinae, 10. Febr. 1787.

Reflexiones provocatae. Duo sunt praecipua momenta, circa quae Edictum Connubiale versatur: valorem matrimoniorum, et iudicium causarum matrimonialium. Quantum ad primum: sicut Maiestas Regia aliquibus valorem restituit, aliis abstulit, impedimenta ab Ecclesia statuta abrogando, et nova sanciendo, ita duplex occurrit consideratio: an impedimenta ab Ecclesia, uti praemissum est, statuta tolli, et nova constitui quiverint? Quod impedimenta ab Ecclesia statuta per Principem antiquari non possint, iam alias videor mihi demonstrasse, ut adeo me iudice nulla de his quaestio supersit. Maior quaestio est de novis impedimentis. Utraque tamen haec quaestio cessat, si in effectu et practice tota vis ordinationis regiae ad effectus civiles ita restringatur, ut nihil ad rationem Sacramenti pertineat. Dixi practice: si enim Parochi cogantur matrimoniis intra gradus prohibitos absque praevia dispensatione assistere; si matrimonia contra prohibitionem regiam inita ita rescindantur, ut ad alia vota transeant coniuges, omnis haec distinctio contractus civilis et sacramenti otiosa est. Videndum itaque, quid catenus memoratum Edictum Connubiale contineat. Prologus haec habet:

quoad sponsalia non minus ac validitatem vel invaliditatem contractuum matrimonialium effectusque eorumdem civiles, atque adeo etiam, quatenus susceptae proles pro legitimis vel illegitimis considerandae veniant. §. 1. Matr. in se ipso *ut contractus civilis consideratum*; paulo post: *ex hoc contractu fluentia et contrahentibus invicem competentia iura*. §. 6: de matr. minorenninm: *omni effectu destituetur*. §. 15. de affinitate: *affinitas haec relate ad contractum civilem*; rursus: *concubitus huiusmodi impedimentum matr. ut contractus civilis nequaquam constituit*; §. 29. *pro substantia contractus matrimonii, et conditione inevitabiliter necessaria*; §. 36: de matr. conscientiae — *omnes illas obligationes ex contractu profluentes, quibus cetera matrimonia subiacent, post se trahet.* §. 48: de matr. irrito declarato — *ex contractu matrimoniali profluentia iura et obligationes cessant.* §. 33: de dispensatione a promulgationibus obtenta . . nisi partes sponte et proprio motu ecclesiasticam quoque dispensationem petere vellent, ad eam impetrandam nulla ratione adigi poterunt, verum per Parochum copulari debebunt. §. 46: si pro valido matrimonio pronunciatur, *coniuges, qui forte facto proprio semet ab invicem separassent, ad domesticam habitationem stringendi sunt*; ibidem: si contra matr. pronuncietur, *fora iudiciaria eo invigilandum habebunt, ut domestica cohabitatio personis antea coniugatis praecludatur, et omnis suspecta conversatio impediatur.* Iam discutiendum, quid contractui matrimoniali inter Christianos Sacramenti adferat dignitatem. Et mihi quidem videtur benedictione sacerdotali per illa, vel illis similia verba: ego vos coniungo in matrimonium, elevari ad rationem sacramenti, dicente Apostolo: hoc sacramentum magnum est in Christo et Ecclesia. Hanc fuisse sententiam Tertulliani, probant verba illius a me alias laudata, et mire commendat, quod lib. 2. ad uxor. inquit de illis foeminis, quae cum gentilibus matrimonia iungunt, cum quaedam istis diebus nuptias suas de Ecclesia tolleret, id est, gentili coniungeretur, idque ab aliis retro factum recordarer. Nuptias ergo de Ecclesia tollere, est contractum matrimonialem absque benedictione sacerdotali inire. Necessum non est, me omnia argumenta adferre pro sententia mea a patronis illius allegari solita: sed

conclusionem inde deducere. Ex haetenus dictis sequitur: 1. quod Edictum Connubiale rationem Sacramenti non tangat; 2. quod contractus matrimonialis a ratione sacramenti separabilis sit; 3. quod parochus, cum benedictio nuptialis ad rationem sacramenti pertineat, non debeat adsistentiam suam praebere; quod eo manifestius, quod id ne verbulo quidem praecipiatur; quin si ex veteri paroemia expressa docent, non expressa non nocent, cum §. 33. parochus post obtentam proclamationum dispensationem iubeatur sponsos copulare, de casibus vero matrimoniorum intra gradus prohibitos contrahendorum non dicatur, videtur a nullo magistratu cogi posse. His praemissis adsentior perlubenter DD. Eppis, sacrorum antistites liberales et promtos esse debere in dispensationibus tertii et quarti gradus, et cognationis spiritualis concedendis; verum potestatem hanc indiscriminatim parochis quibusvis concedere perniciosum foret tum ob rationem per DD. Eppos allegatam, tum quod ideo fieri videretur, ut parochi illos etiam, qui dispensationem non petunt, copulare valeant, quod, si aliquid video, fieri non potest; legis enim veniam facere non petenti imo detrectanti est legem abrogare, quod in Eppi potestate situm non est. Hinc sufficit, ut Eppi sequantur ductum Protocolli, et in magis dissitis locis, unde intra tempus proclamationum peragendarum ad Eppum accedere non liceat, personis idoneis, et discretis subdelegetur facultas dispensandi. Quodsi tamen sponsi neque sic vellent dispensationem exoperari, copulari utique non possunt, neque parochi adigi possunt per Magistratum, quod in superioribus ostensum. Quodsi vero parochi ipsi vel servili adulatione tempori inserviant, vel peregrinis doctrinis imbuti id sibi integrum existiment, alia quavis ratione periculo animarum consulendum, ut et parochi ab errore revocentur, et fideles ad viam salutis deducantur, prouti circumstantiae temporis et loci admiserint; in parochos enim animadvertere inconsultum videtur. Impedimentum publicae honestatis Edicto Connubiali sublatum mihi non videtur, et eo non obstante coram Deo vim suam obtinere existimo, utpote cum nullus Princeps legem universalis Ecclesiae solvere possit iuxta illud: qui solverit unum de mandatis istis

minimis, minimus vocabitur in regno coelorum. Quare duo duntaxat evadendi media occurrunt: unum est, ut contractus sponsalitii conditionate iuxta tenorem Edicti ineantur, unde suapte consequetur nullitas illorum; vel denique impedimento hoc irretiti dispensentur modo in praemissis exposito. Eadem est ratio cognationis spiritualis, de qua cum nullus sermo sit in Edicto Connubiali, neque commemorandum est. Quantum autem ad impedimenta impedientia, licet faciliorem habeant tractationem, quia tamen illis nihil obmovet Edictum Connubiale, non videtur, cur nos ipsi disciplinam Ecclesiae relaxemus. De novis impedimentis a Regia Maiestate Sua sancitis sicut DD. Episcopi nihil videntur egisse, ita difficile est aliquid constituere; neque satis scio, quid facto opus sit, si non obstante prohibitione nostra matrimonio tali Parochi adstiterint, neque eliquatae veritatis est, Principes nihil posse, neque sat firmum est, aliquid posse. —

Ad alterum iam transeo, de Iudice videlicet causarum matrimonialium. Mihi non videtur expedire, ut DD. Eppi mixtum forum petant; quia 1. si quid Principibus et seculari Magistratui iuris Ecclesia attribuit, id numquam retractare valebit; si autem Ecclesia vim passa fuerit, spes est, ut licet serius, felicius tamen aliquando ad primaeva redeat iura. 2. Mixtum illud iudicium vulnus Ecclesiae non reparat; dum enim extraneus admittitur, iam vulnus Ecclesiae hians est et patens. 3 Non est nobis liberum, ultro consentire, ut leges universales Ecclesiae abrogentur. 4. Mixtum illud iudicium, praesertim si acatholici, quod fieri pronum est, et poene inevitabile, assessores fuerint, est intolerabile onus, quod Eppi Transsilvaniae semper detrectarunt, super quo Ordinatio etiam Regia edita fuerat sub pie defuncta Domina. Neque placet, Defensorem matrimoniorum directe peti, ob easdem poene rationes. Id ergo unicum superest, ut Parochi vigilent, ad nos omnia referant, nosque in quosvis naevos intenti illos ad Principem referamus. Quodsi autem e Processibus rite confectis liquido constiterit, matrimonium nulliter fuisse contractum, ad alia vota admitti posse coninges censeo; quod tamen, si vigiles fuerint parochi, raro eveniet.

Mon. 88.

Sensa Eppi Sabariensis Ioannis Szily post celebratum Epporum Congressum, et Resolutionem Reg. circa eundem editam Primati Regni depromta. 1787.

Eminentissime etc. Sollicitudinem meam, quam mihi demandata Regiae circa matrimonia constitutionis e suggestu promulgatio ingerit, literis meis proximo cursore ad Eminentiam Vram datis explicui. Nova ab eo tempore ad me pertigit Resolutio Regia, ac eam Eminentiae quoque Vrae redditam esse non abigo. Haec ad nostrae consultationis Strigonii habitae puncta emanavit die 2. Ianuar. a. praes. meque novis curis et conscientiae angoribus implicuit. Inprimis enim prohibetur, ne amplius per Eminentiam Vram convocari possimus, idque ordinatur, ut in posterum negotia, si quae occurrerint, Eminentia Vra nobiscum per literas tractare velit. Maxime salutares quovis tempore reputati fuerunt Epporum congressus, quatenus in arduis rerum ac temporum circumstantiis in medium consulere, alter alteri sensa sua explicare, mutuis consiliis alter ab altero illuminari, in fide confirmari, religioni ac suae quisque gregisque sibi concrediti saluti prospicere posset. Certe iam ipsi Apostoli in unum congregari et consilia conferre coeperunt, suisque successoribus exemplum reliquerunt, quod, ubi gravioris momenti negotia se se obtulerint, imitentur, maxime cum divina et falli nescia Christi Domini promissio adsit, se in medio duorum triumve in nomine ipsius congregandorum praesto futurum. Atque ad exemplum temporum apostolicorum consequentia secula semper respexerunt, ipsis plane Ecclesiae adeo infaustis temporibus Praedecessores nostri non equidem palam, cum id fieri omnino vetantibus partim Imperatoribus, partim circumstantiis temporum non posset, verum clam et occulte in unum convenire solebant. Nos tempora illa non vivimus; vivimus enim sub catholico Imperatore et Rege Apostolico, in quem occasione nostri Strigonii celebrati Congressus non tantum nihil peccavimus, quin potius eo consilia nostra direximus, ut ordi-

nationes eius, quae cum dogmate legibusque ecclesiasticis confligere rudioribus praesertim videbantur, ab huiusmodi collisione immunes esse declaremus et absque offensione populi publicas reddi curare possemus. Quam itaque ob causam deinceps convenire prohibemur? cum praesertim commercium literarum pertractandis maioris ponderis negotiis medium sufficiens minime sit. Nam neque sensa calamo ita, prout ore ad os, exprimi possunt, neque ab altero scripta verba eo, quo volumus, sensu accipiuntur. Atque haec negotiorum pertractatio et communicatio longiorem exposcit moram, donec nimirum epistolae eant, redeantque. Interea vero ordinationum regiarum effectus suspensus haerebit. Alterum est, quod me sollicitum tenet, demandata Patentis Edicti R. de matrimoniis publicatio, quin literas circulares per dioecesim nostram idcirco dimittere audeamus. Sed haec dispositio altera in eadem Resolutione, imo in eodem §. contenta eliditur. Etenim ibidem statim subiungitur, ut animarum curatores et verbi divini praecones eo instruantur, quatenus ab omni excitatione cuinspiam collisionis quam diligentissime caveant. Quod utique absque circularibus literis fieri nequit. Tertium porro illud me angit, quod in 3. et 4. cons. et affin. gradu dispensandi potestas Decanis seu Vice-Archi-Diaconis deleganda ordinetur, quodve hac eo duntaxat in casu, dum sponsi huiusmodi impedimento irretiti circa conveniendum in matrimonium scrupulum concipiunt, uti; ceteroquin autem si scrupulus eiusmodi absit, eos citra dispensationem in praeallato impedimento, quod per Patentales iam alioquin sublatum est, copulare iubeantur. Circa delegationem potestatis dispensandi tantopere non adhaereo; iam enim Strigonii aliquorum e nobis sensus in eam, si reipsa necessitas adfuerit faciendae delegationis, inclinabant. Verum altera §. pars me summopere anxium reddit, qua usus praeallatae potestatis in illum solummodo casum restringitur, dum sponsi ipsimet ob scrupulum conscientiae eam petunt, secus dispensationi locum haud adesse indicatur, cum impedimentum praedictum, lege eccles. statutum per Patentales pro sublato adstruatur. Hoc etenim manifeste tendit in subversionem potestatis Ecclesiae, et vix adparet, qua ratione cum canonibus Conc. Trid. 3. et. 4.

Sess. 24. de Sacr. Matr. conditis conciliari possit. Praeter tria haec puncta essent etiam adhuc alia, quae me non modicum torquent, et praecipue illud, quod sincerae nostrae et cum summa erga terrae Principem fidelitatis, iussisque illius obtemperandi promtitudinis testificatione conclusae deliberationis puncta pleraque convellantur. Unde id prono fluit alveo, Ecclesiarum nobis concreditarum regimen et negotiorum ad religionem pertinentium decisionem a nobis penitus avocari, leges Ecclesiae, disciplinam, et potestatem Eccl. potestati seculari subordinari, et hanc iam usque dogma fidei se extendere. Quam acerbum hoc nobis accidere debeat, qui constituti sumus dispensatores mysteriorum Dei, et quibus creditum est depositum fidei, pluribus prosequi nolo, cum et Eminentia Vra tanto quidem magis, quanto in sublimiori honoris et potestatis gradu est collocata, ingens adeo vulnus persentiscat, ac de medendo hoc vulnere plus omnibus nobis sollicita sit; ut nihilominus id, quod Eminentia Vra sponte sua facit, et factura est, sapienti suo consilio ac potenti interpositione efficere, rebusque nostris nimium afflictis prospicere dignetur, preces etiam meas adiungo. — Sabariae, 2. Febr. 1787.

Mon. 89.

Encyclica Apostolici Nuncii de dispens. matr. 1786.

Bartholomaeus Pacca etc. Quum ad notitiam SSmi Domini nostri Pii PP. VI. pervenerit, in quibusdam dioecesibus et a nonnullis Archiepiscopis concedi dispensationes ab impedimentis matrimonialibus, in gradibus neqnaquam expressis, aut comprehensis in Facultatibus a Sede Apostolica impetratis: idcirco Sanctitas Sua, ne quid temere per huiusmodi dispensationes obrepat, quod fideles in errorem inducat, et ne quis factorum ignorantiam in re tam gravi praetexere unquam valeat, districte nobis praecepit die 18. Octobr. proxime elapsi, ut facultates, quas a S. Sede ab antiquissimo tempore nominatim postularunt et obtinuerunt, atque etiam nunc de quinquennio in quinquennium sibi confirmari postulant et obtinent primi AEpiscopi Moguntinus, Coloniensis, et Trevi-

rensis, palam omnibus faceremus, et si quid contra factum, fierique contingeret, irritum diceremus. Nos igitur SSmi D. N. Papae iussa exequentes, praesentibus nostris literis notum omnibus facimus et declaramus, non alias dispensandi facultates praefatis primis AEppis competere praeter eas, quae in singulis eorum indultis explicite continentur: dispensandi nimirum in tertio et quarto simplici et mixto tantum cum pauperibus in contrahendis; in contractis vero cum haereticis conversis etiam in secundo simplici et mixto, dummodo non attingat primum gradum, ut liquet ex tenore indultorum iuxta formulam tertiam typis impressam.

Ubi enim primum quorumdam episcoporum et archiepiscoporum necessitatibus et precibus occurrere volens Apostolica Sedes praedictam formulam concessionis invexit (antea enim perraro et plerumque in haereticorum ad unitatem ecclesiae redeuntium gratiam dispensandi facultas uni aut alteri Ordinario concedebatur), indulta apostolica indesinenter enixis precibus de quinquennio in quinquennium a primis AEppis expostulata sunt et benigne concessa, licet aliquando aliqua interiecta mora. Primus AEppus Coloniensis Ferdinandus primum quidem confirmationis indultum obtinuit die 21. Dec. 1645. quo defuncto illius in AEppatu successor Maximilianus Henricus cum die 12. Ian. 1651. easdem sibi facultates a S. Sede Ap. tribui obtinuisset, de quinquennio in quinquennium sibi prorogari facile consecutus est 16. Dec. 1655. — 1. Iul. 1662. — 30. Iun. 1667. — 30. Iun. 1672. — Item Iosephus Clemens ex Principibus Bavariae, cui praeter Coloniensem AEppatum Ecclesiarum quoque Hildeshemiensis et Leodiensis administratio concredita fuit, postquam indultum iuxta praedictam formulam tertiam a S. Sede impetrasset 6. Maii 1677. idem prorsus sibi confirmari summo studio contendit, quinquennio quolibet exeunte. — Post illius obitum renunciatus AEppus Coloniensis Clemens Augustus consvetas dispensandi facultates sibi a Summo Pontifice quaesivit a. 1728. easque statis temporibus confirmari curavit repetitis indultis. — Neque secus actum est ab reliquis Episcopis Coloniensibus successoribus, quorum extant con-

cessiones atque confirmationes habitae 23. Iun. 1761. — 26. Iun. 1766. aliaeque usque ad hodiernum Sereniss. AEppum Maximilianum ex Archiducibus Austriae, qui post impetratas a SSmo D. N. dispensandi facultates — easdem ad quinquennium prorogari petiit 27. Maii 1784. — Coloniensium AEpporum exemplis excitati AEppi Moguntini, iam pridem ab a. 1653. de huiusmodi facultatibus impetrandis instaurandisque admodum solliciti fuerunt, ut constat ex pontificiis secretis editis 6. Iun. 1658. etc. — His demum apprime cohaerent facultates, quas sibi a Summis Pontificibus delegari confirmarique curarunt Archiepiscopi Trevirenses 5. April. 1662. etc. — Quamvis autem hodiernis celsissimis AEppis Coloniensi ac Trevirensi circa an. 1712. a Summo Pontifice concessum fuerit dispensandi (cum subditis Austriacis) in gradibus tertio et quarto simplici et mixto tantum nedum cum pauperibus sed etiam cum nobilibus in contrahendis: non ideo licet superadditam hanc facultatem aut extendere ad tertium et quartum gradum mixtum cum secundo, quod ne per formulam quidem tertiam unquam licuit, aut ad alios gradus, ad alias personas et loca extra ditionem Austriacam posita ampliare.

Cum itaque ex his omnibus pateat, primos AEppos Moguntinum, Coloniensem et Trevirensem non aliis potiri dispensandi facultatibus, nisi contentis et expressis in formula tertia, quas ipsi de quinquennio in quinquennium sibi confirmari a S. Sede hactenus institerunt; itemque certum sit, eiusdem formulae tertiae ampliationem a Summo Pontifice nuper invectam pro dioecesibus Trevirensi et Coloniensi subditos ditionesque austriacas duntaxat attingere: idcirco noverint omnes, ad quos pertinet, immotum permanere, quascunque dispensationes secus quam per formulam tertiam eiusque novissimam ampliationem, aliunde quam ab Apost. Sede profectas nemini suffragaturas, neque propterea ratum validumque futurum desuper matrimonium, sobolemque, si qua ex eiusmodi incestis nuptiis prodierit, quocunque legitimitatis iure destitutum iri. Datum Coloniae pridie Cal. Dec. 1786. — (Vid. Pacca, hist. Denkwürdigkeiten über seine Nunciatur. Augsburg. 1832. p. 48.)

Mon. 90.

Pius VI in literis AEppo Coloniensi exaratis argumentum de praetenso iure proprio Episcoporum dispensandi in imped. matrimonii cum reflexione ad edictum Caesareum uberius pertractat, et querelas AEppi contra Nuncium Apost. propositas refellit, a. 1787.

Pius VI. Retulit Nobis dilectus filius Marchio Antici tuorum negotiorum apud nos administer querelas tuas de Ven. Fratre Bartholomaeo AEppo Damiatensi, Apostolico ad Tractum Rheni Nuncio, propterea, quod Declarationem Encyclicam emiserit pridie Cal. Decembris typis editam (cum grave nimis fuisset, eandem tot exemplis perscribere), in qua agitur de dispensationibus ab impedimentis Matrimonii. Eas querelas non tam in illum, quam in Nos ipsos cadere perspicue agnoscimus, cum a Nobis, ut illam declarationem emitteret, habuerit in mandatis. Maximum inde animo moerorem cepimus, cum te Ven. frater in tales contra Nos querelas prorumpere videremus. Facile tu ipse ex eiusdem declarationis lectione intelligere potuisti, quae nos causae ad id suscipiendum consilium impulerint, quamque omnino necesse nobis fuerit pro Nostra Ecclesiarum omnium sollicitudine iis, ad quos pertinet, constare facere, irritas esse matrimoniales dispensationes, quas ad nos pervenerat in quibusdam Dioecesibus a nonnullis Archiepiscopis concedi in gradibus nequaquam expressis aut comprehensis in facultatibus a Sede Apostolica impetratis. Cum de maximi momenti re, de validitate scilicet Sacramenti Matrimonii ageretur, in quo illicitum est quidquam incerti adhibere medio certo praetermisso, quod adhiberi potest: num dissimulare potuimus, quin eos omnes, quos oporteret, instructos monitosque redderemus de perscriptis per nos facultatum dispensandi limitibus, quos ultra si dispensatio fieret, suffragatura esset nemini neque validum futurum matrimonium, neque legitimam sobolem ex illo orituram. Sed ut clarius agnoscas per Nuncium Apostolicum ob declarationem a Nobis sibi mandatam nihil iniuriae Episco-

pali tuae iurisdictioni irrogatum esse, repetemus hic tibi aliaque adiungemus rationum momenta, quibus benevole paterneque exposueramus Ven. fratri AEppo Trevirensi, cum sub finem anni 1782. a Nobis petiisset facultatem dispensandi ab omnibus impedimentis matrimonialibus iuris humani pro subditis Anstriacis in eius dioecesi existentibus, Nosque rescribentes probassemus ex allata tunc ab illo causa satisfieri eius postulatis non posse.

Praemittimus sanctionem C. Tridentini Sess. 24. de Matr. can. 4. „Si quis dixerit Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta matrimonium dirimentia, vel in iis constituendis errasse, anathema sit.“ Ex dogmatica huiusmodi lege antiquissimis innixa documentis aperte intelligitur, ad solum Romanum Pontificem tamquam universae Ecclesiae caput spectare dispensationem a constitutis in ipsa Ecclesia impedimentis; et revera S. Gregorius M. dispensaverat in aliquibus gradibus Anglorum gentem tunc ad fidem conversam, quod patet ex eius epistola ad Felicem Messanensem in Regest. lib. 14. ep. 17. Et Innocentius III. relaxaverat Ottoni 4. impedimentum in quarto consangvinitatis gradu sub ea lege, ut duo amplissima Monasteria Otto fundaret, omneque per imperium largis eleemosynis et ferventibus orationibus istius Ecclesiae disciplinae vnlnus compensaret. In eo sex seculorum ab uno ad alterum Pontificem elapsorum intervallo nullus reperitur Episcopus, qui ausus fuerit aliquam in gradibus matrimonialibus dispensationem concedere. Ipsum porro Concilium Coloniense habitum a. 1536. decrevit Can. 46: „quod ad gradus cons. ac affin. attinet, qui matrimonium contrahendum ac contractum dirimunt, decretum Concilii Generalis observabitur, excepto casu, ubi Romanus Pontifex dispensationis diplomate matrimonium secus contractum approbandum iusserit.“ Et sane evidentissime istud evincitur ex disputatione habita inter Patres Tridentinos, nimirum utrum conveniens esset, ut potestas dispensandi saltem in quarto Episcopis concederetur. Qua in disputatione vicit sententia Marci Antonii Bobba Episcopi Augustae Praetoriae Legati Ducis Sabaudiae, nimirum similem potestatem non esse Episcopis concedendam, ut relatum in Actis Paleotti testatur Pal-

lavicinus ed. Rom. 1664. T. 3. lib. 23. cap. 9. num. 17. pag. 767. — Post Conc. Tridentinum legimus in pluribus Conciliis Provincialibus, et praecipue in C. Turonensi a. 1583. tit. 9. de Matr. „In quarto cons. et affin. nec non cognationis spiritualis prohibitis gradibus supra expressis Episcopis dispensare non licere declaramus;" et C. Tolosano a. 1590. part. 2. cap. 8. de Matr. n. 3: „quos cognationis gradus impedit, licet iam legibus solutos, et dispensatos, nisi visa prius Summi Pontificis dispensatione, in matrimonii coniunctionem parochi non recipiant;" itemque in C. Diamperitano a. 1599. tit. de Sacr. Matr. decr. 6. n. 189. ubi statuitur: „Quia tamen potest aliquando contingere, ut iustis de causis velint contrahentes coniugium inire intra gradus iure tantum positivo prohibitos matrimonium impedientes, si id contingat, petere debent legis ecclesiasticae relaxationem, vel a Sede Apostolica, vel a Praesule, qui a S. Sede ad id delegatam facultatem habuerit," ut legitur apud Mansium in Suppl. ad coll. Labbe ed. Lucens. 1752. T. 6. col. 131. — Consonant quoque Ritualia Ecclesiarum, et Canonistarum Theologorumque catholice sentientium conclusiones. Ac sane cum Principes et Electores Germaniae ad Pium IV. detulerint varia gravamina, inter quae numerabantur dispensationes S. Sedi reservatae, idem Summus Pontifex respondit: illos iniustissima petere, nam ut AEppi aut Eppi potestatem habeant dispensandi in his, quae in huius S. Sedis auctoritate constituta sunt, hoc est inferiores et subditi in lege superiorum suorum, nisi ubi eis hoc expresse permittitur, omni iuri omnique rationi contrarium esse indubitatum est; ut legitur apud Rainaldum contin. Annal. Baron. ed. Luc. a. 1756. T. 15. ad ann. 1563. N. 44. p. 371. art. 11. Ac profecto si ius esset Episcopis relaxare legem impedimentorum matrimonialium ab Ecclesiae potestate constitutam, et ubique in catholicis ditionibus receptum, tota everteretur Ecclesiae disciplina, caput subiiceretur membris, ac proinde actum esset de Eccles. Hierarchia divinitus instituta, ut generaliter declaravit S. Nicolaus PP. I. in Ep. ad Michaelem Imp. relata in Can. Inferior dist. 21. — Fidei enim dogma est, Episcoporum auctoritatem et iurisdictionem subiectam esse Summi Ponti-

ficis auctoritati, ut subesse debeant Sedis Apost. statutis, ut patet ex iurisdictionis primatu singulari Christi munere Petro eiusque successoribus divinitus collato, quod quisque ex catholicis fateri adstringitur, Nosque accurate probavimus nostris literis in forma Brevis publicis typis evulgatis die 1. elapsi mensis Decembris in damnatione libri Eybel: „Quid est Papa?;" quem reprobavimus tamquam continentem propositiones schismaticas, erroneas, inducentes ad haeresim, et haereticas, et alias ab Ecclesia damnatas. Ex quibus liquet, primum ab Apost. Sede exerceri coepisse dispensationum matrimonialium potestatem, et hunc usum penes illam solam perseverasse, atque ad eandem solam pertinuisse, prout totius Ecclesiae consvetudine et consensu fuit agnitum, cum alios Episcopos eam sibi facultatem assumsisse non constet, nisi cum S. Sedis expresso vel praesumto privilegio tueri se posse confiderent. Si nunc igitur in dioecesi tua Coloniensi, pro qua hactenus AEppi tui praedecessores a S. Sede facultatem impetrabant dispensandi in gradibus expressis in formula, si nunc, inquimus, dispensari inciperet a te, Ven. frater, iure proprio: quid aliud ageretur, nisi ut S. Sedes suo spoliaretur iure, quod ab antiquissimo tempore sola semper exercuit, cuiusque exercendi tenuit non interruptam sed constantem receptamque in Ecclesia possessionem. Qui certe tam inveteratus possessionis titulus, etiamsi alia deessent in suo Primatu constituta fundamenta, valere per se ipse plurimum apud omnes debet.

Neque hic contra obiici ullum Imperatoris edictum potest, cúm eiusdem extet nobiscum satis iam pervulgatum Concordatum. Ex eodem patet, inter utrosque nostrum convenisse, ut eae dispensandi ab impedimentis facultates, quae antea a Sede Apost. concedebantur suarum ditionum Episcopis, extenderentur in posterum etiam ad divitum matrimonia, ita tamen, ut in praefixos arctiorum graduum limites non transcurrerint. Ibidem igitur agnoscitur ad Summos Pontifices duntaxat pertinens seu privativa ipsorum iurisdictio in impedimentorum matrimonialium dispensationibus, quoniam eadem uti conceditur Episcopis ex Pontificia delegatione, ipsique Pontifici adhuc reservatur usus concedendarum in arctio-

ribus gradibus dispensationum. Ex quo perspici potest, Caesaream Maiestatem in eadem nobiscum conventione potius recedere voluisse a praecedente edicto, in quo Episcopis mandaverat, ut suo iure dispensationes facerent, quam subiectos sibi populos ad conscientiae angustias inducere, ac etiam aperire dissolvendorum matrimoniorum viam, cum exorto inter coniuges dissidio, facile eorum alteruter causam dissolvendi matrimonii arriperet, ex eo quod irrita et nulla fuisset Episcoporum dispensatio. Unde quanta rerum perturbatio ac pene clades in Ecclesia Catholica et in Republica oriretur!

His omnibus praemissis, ut ad illam declarationem redeamus, ad Nos unice spectare videbamus, ne ille error inter fideles induceretur; quoniam si per nostrum silentium tantam tamque gravem rem in incerto reliquissemus, nobis ipsis erroris perturbationisque inde extiturae causa imputaretur. Cum igitur huic gravissimo muneri nostro deesse nequiverimus, cavendum tamen iudicavimus, ne in tali exequenda re ipse agendi modus in ullam posset reprehensionem incurrere. Itaque nihil in ea declaratione nisi moderate ac simpliciter, quodque ad rem tantummodo faceret, perscribere voluimus, expresse nominari neminem, ipsam nullibi in publicis affigi locis, sed per manus caute diffundi, illud unice spectantes, ne vestra lateret instructio. Neque enim inficiari potest, apertam aliquam esse debere supremo Pastori docendi suas oves monendique viam, quae si obstruatur, privetur ipse imposito sibi a Christo Domino pascendi munere. Sed nihil apud te nec rationes nostras, nec hanc etiam cautionem profuisse videmus. Statim tuo edicto severe mandasti, ut ad quos pervenisset ea declaratio, illico unde profecta est, remitteretur, ut ita Pastoris vox oppressa atque intercepta remaneret. At insuper tibi displicuisse ostendis ipsum Ven. fratrem AEppum Damiatensem, a quo edita declaratio est, quod se Apostolicum ad Tractum Rheni Nostrumque et S. Sedis Nuncium appellat. Et cur se non talem appellet, quem Nos ipsi nostro iure eo insignivimus munere, atque isthuc misimus, ut eodem in tua ceterisque dioecesibus, quemadmodum alii omnes praedecessores sui, fungeretur? Talem esse eum agnovit honorificeque recepit maxima istorum Episcoporum ac Principum pars

pro sua ad Tractum Rheni ditione. Tu vero neque agnoscere neque recipere voluisti, etsi nostras Pontificias commendationis afferret ad te literas, omniaque tibi se paratum praestare officia declararet. Quin etiam extraneum appellasti, ac si ad eum tuae dioecesis negotia nullo modo pertinere debeant, quasi Nos ipsi extranei in Ecclesia Dioecesique tua simus, qui memorato iure Primatus a Christo per B. Petrum nobis traditi eundem isthic constituimus, qui nostras vices gereret, ac Apostolicam, prout ipsi commisimus, exerceret auctoritatem. Eam certe mittendi suos apocrysiarios, legatos, nuncios ad aliorum Episcoporum dioeceses potestatem semper iam ab antiquissimis temporibus exercuerunt Praedecessores nostri, quam nempe cum suo primatus iure nexam esse sine ulla dubitatione agnoverant. Ex ipso satis intelligi potest Innocentio 3. cum scriberet Decano S. Hilarii et S. Petri, et S. Hilarii subdecanis Pictavensibus Epistolam, quae est 12. inter coll. a Baluzio T. 2. lib. 16. unde oriatur ius Romano Pontifici mittendi Legatos in varias orbis christiani regiones, quibus ipse praesens esse non posset, ad suas ibidem vices obeundas. Ipsum idem ius iam multis ante seculis exercuerat S. Leo M. ut eius comprobat epistola Episcopis Metropolitanis per Illyricum constitutis, quae est 50. Tom. 2. opp. ed. Tyrn. 1767. p. 34: „Et quia per omnes Ecclesias cura nostra distenditur, exigente hoc a nobis Domino, quia Apostolicae dignitatis primo Apostolo Petro Primatum suae fidei remuneratione commisit, universalem Ecclesiam in fundamenti ipsius soliditate constituens, necessitatem sollicitudinis quam habemus, cum his, qui nobis collegii caritate iuncti sunt, sociamus. Vicem itaque nostram fratri et coëpiscopo nostro Anastasio, secuti eorum exemplum, quorum nobis recordatio est veneranda, commisimus, et ut sit in speculis, ne quid illicitum a quoquam praesumatur, iniunximus, cui in his, quae ad ecclesiasticam pertinent disciplinam, ut Dilectio Vestra pareat, admonemus, non enim tam illi obtemperabitur, quam nobis, qui hoc illi pro nostra sollicitudine per illas provincias cognoscimus commisisse.“ Idem S. Leo aliam misit de latere suo legationem ad Faustum, Marcianum, et reliquos archimandritas CPnos propter causam fidei, quam Eutyches per-

turbare tentavit, ut ep. 28. T. 8. cit. edit. pag. 155. — Alia item a S. Gregorio M. missa est ad Anglos legatio; alia a S. Gregorio 2. ad Germanos in persona S. Bonifacii, confirmata deinceps a S. Zacharia, ab eodemque exercita per continuos sex et triginta annos usque ad Pontif. Stephani 3. qui eam Bonifacio renovavit, ut eruitur ex ep. 91. S. Bonif. inter coll. a Nicol. Serrario edit. Mog. 1605. — Aliae pariter legationes a S. Nicolao I. qui misit Episcopum Arsenium in Gallias, et Germaniae partes, et Donatum, Leonem, atque Marinum CPlim, a Leone 7: ad Episcopos per Galliam, Germaniam, Bavariam, Alemanniam commorantes, a Paschali 2. ad provincias Bituricensem, Burdegalensem, Auscitanam, Turonensem, et Britanniam, quas confirmavit Calixtus 2. atque illa praesertim legatio animadverti debet Adriani 4. ad Hillinum Trevirensem AEppum, ut per universum Teutonicum Regnum vices suas gereret, ibique legationis officio Apost. Sedis auctoritate fungeretur; ob quam legationem irritatus Arnoldus Moguntinus, eidem postea acquievit, et nomine Pontificis Moguntiae Hillinus cum magna gratulatione fuit introductus. Ac ita ius Apost. Sedis non interrupta Nunciorum serie ad haec usque tempora illaesum servatum est. Ipsae enim legationes et Nunciaturae Pontificiae existimatae semper sunt adeo necessariae ad retinendam inferiorum sedium cum prima sede coniunctionem, ut quo tempore neglectae fuerunt, eo ipso disciplinae eccles. perturbatio oriretur. Id testatur Honorius 3. ep. ad Rogerium AEppum Pisanum: „Corsicana vero tam prolixitate spatiorum, quam negligentia pastorum, dominorum insolentia, et desuetudine legatorum Sedis Apostolicae a subiectione et obedientia Romanae Ecclesiae deferbuerat, et dissolutioni ac dissipationi dedita Ecclesiastici ordinis pene deseruerat disciplinam.“ Cum tibi tuisque collegis AEppis Electoribus perspecta esse deberent tam clara Apost. Sedis iura, tamque necessaria membrorum cum suo capite unionis conservatio: nihilo tamen minus publicum fecistis edictum uno omnium consensu, quo, ut iam superius diximus, parochis mandastis, ut ad Nuncium Coloniensem eam transmitterent instructionem. Omnes certe imitati esse videmini Episcopum illum Pictaviensem, de quo in supra

memorata epistola 12. Innocentius 3. gravissime conquestus est, quod publice praedicabat, quod in episcopatu suo esse vult Episcopus atque Papa; ideoque suis commisit legatis, ut severiora implerent mandata, postpositis gratia, odio, et timore, quod de negligentia redargui non possitis, sed potius de diligentia commendari. Sanctus etiam Leo M. pari voce invectus fuerat contra eos Episcopos, qui sacros canones infringunt, epist. 3. ad Epp. per Campaniam, Picenum, Tusciam, et universas provincias constitutos: „Hoc itaque admonitio nostra denunciat, quod si quis fratrum contra haec constituta venire tentaverit, et prohibita ausus fuerit admittere, a suo se noverit officio submovendum, nec communionis nostrae futurum esse consortem, qui socius noluit esse disciplinae."

At fortasse obstare dices Caesaris mandatum, quod in eius epistola encyclica continetur die 12. Octobr. 1785. data. Sed primum Caesar, cum ad eum deferrentur querelae, in S. Sedis potestate non esse Nuncios mittere: respondit, non solum unum, sed tres etiam si vellet Nuncios posse constituere. Sed cum deinde ab aliquibus ad eundem expugnandum insisteretur, emisit ille quidem, quae adducitur, encyclicam, sed eam ipsam iis temperavit verbis, ut potestatem, quam S. Sedes hactenus per suos exercuit Nuncios, praeter ius laedi noluisse videretur. Atque ut praetereamus, si ea Circularis vim legis haberet, quantopere adversaretur canonicis sanctionibus, per quas Pontificii Nuncii agnosci et recipi debent, nedum ab AEppis, sed ab omnibus etiam Catholicis: satis quidem constat, non illam esse considerandam ut legem, sed ut simplicem merae insinuationis epistolam a Caesare per nonnullorum importunitatem extortam, neque in ea partes agi legislatoris, sed Advocati, ut illaesa scilicet ab AEppis conserventur primaeva iura, quae per erroneas querelas ablata ipsis esse dicuntur mediis illicitis, et iuri Ecclesiae repugnantibus. Declaravit porro, se non iubere, sed exhortari cum diceret: insimul te provocamus, ut iura tua Metropolitica, Suffraganeorum tuorum ac exemtorum Episcoporum consilio contra quasvis laesiones illibata tuearis. Quis ex his aliisque verbis non videat, salvam esse AEpporum et Eppo-

rum libertatem, quae per exhortationem non tollitur, neque AEppis quidquam amplius auctoritatis in suos Suffraganeos delatum, cum ex eorum consilio sua illi iura tueri moneantur? Quomodo porro de ipso Caesare cogitari potest, eum sancire voluisse pro universo Imperio legem contra Nunciorum iurisdictionem, cum idem optime agnoscat in materiis ecclesiasticis regi Imperium ex Ecclesiae legibus, ac in aliis materiis non aliter sanciri leges, quam a Comitiis seu ab integro Germaniae Corpore, atque Comitia quidquam detrahere non posse a supremo suorum Principum in eorum ditionibus iure, per quod ipsa Corporis constitutio non laedatur. Sed de his aliisque huc pertinentibus prolixius egimus in nostra ad Ven. fratrem Ludovicum Iosephum Episcopum Frisingensem epistola die 12. Oct. a. p. data, ac deinde typis Monachiensibus et latine et germanice edita.

Quod reliquum est, Ven. frater, post superius expositas sanctissimorum doctissimorumque Praedecessorum nostrorum rationes, quibus illi suae Sedis iura servanda ac vindicanda esse indicarunt, nos nunc tecum non alium quam nostrum morem secuti, hortationes precesque ad te nostras convertimus, ut recordari velis, qua te fide sacris legibus Ecclesiae, Apostolicae Sedi nobisque obstrinxeris. Te igitur, quantum possumus, in Domino obsecramus, Ven. frater, ne his miserrimis Ecclesiae temporibus nobis nova infligantur vulnera, a Te scilicet, a quo minime exspectandum erat; quae tanto altius confodient cor nostrum, quanto antea certiora nobis tecum unionis vincula atque Ecclesiae praesidia exstitura sperabamus. Ea certa est de regio animo tuo fiducia, ut rationes has precesque nequaquam sis reiecturus. Quodsi adhuc urgere perges, nostrisque ac S. huius Sedis damnis insistere, maximam quidem afferes nobis doloris accessionem. Sed is quantuscunque fuerit, efficere profecto non poterit, ut animum nostrum ab eo deducat proposito, ne scilicet unquam a transmisso in nos Primatus iure decedamus. Demum hisce literis finem imponemus verbis Praedecessoris nostri S. Nicolai I. qui in sua ad Rudolphum AEppum Bituricensem epistola — haec habet: „Vestra reverentia nos non existimet, quia nostra dicimus, in hoc quidquam praeter veritatem dicere; cum Dei potius, quam nostra

sint, B. Petri meritis Romanae Sedi collata, et arbitremur, quod nos hic asserimus, etiam vos nullatenus ignorare, et quae in praesenti pagina scribimus, vos affatim in Archivis vestris recondita possidere"; tibique, Ven. frater, a Deo O. M. consilii spiritum enixe implorantes, Apostolicam Benedictionem coelestium donorum auspicem in nostrae etiam paternae caritatis pignus amantissime impertimur. Datum Romae apud S. Petrum, die 20. Ianuar. 1787. Pont. nostri anno 12. — *Ex Bullario Pii VI.*

Mon. 91.

Fragmentum ex Responsione Pii VI PP. ad Metropolitanos Germaniae de Nuntiaturis Apostolicis. 1789.

— — *Cap. I.* — Nec satis fuit vobis id omni ope curasse, ut Nuncii ea iurisdictione carerent, quae contentiosa dicitur, quam praedicta Epistola hortatoria (Caesaris) innuebat; sed eo Epistolae sensum trahendum quoque esse praedicastis, ut voluntariam etiam iurisdictionem comprehenderet, eam nempe, quae in concedendis dispensationibus quoad dirimentia matrimonii impedimenta versatur. Quamquam vero certi essetis, nequire vos solvere impedimenta matrimonium dirimentia, quae ab Ecclesia praestituta fuissent in Generalibus Conciliis, nisi in certis duntaxat gradibus, et iuxta eas tantummodo facultates, quas unusquisque vestrum quinquennio quolibet ab hac Apost. Sede petierat, atque impetraverat: a recta tamen via, qua Maiores vestri, et vos ipsi incesseratis, quam longissime recessistis. Etenim qui a. 1782. aperta fronte Caesari restitistis, dum is errore deceptus Episcopis svadere nitebatur, posse illos huiusmodi impedimentia propria auctoritate dissolvere, tuque inter ceteros Ven. Frater Ecclesiae Trevirensis AEppe, qui reluctantiae constantiaeque tuae causas palam facere non dubitasti in iis liter is, quae per Germaniam vulgatae singulari te gloria cumularunt; postquam Caesar ipse a nobis, dum Vindobonae essemus, veritatem edoctus, iuxta Concordatum inter eum et nos constitutum publice et

palam Episcopis Monarchiae suae declaraverat, ipsis nunc liberum relinqui, ut facultates dispensandi circa impedimenta matrimonii in gradibus prohibitis consanquinitatis et affinitatis, in quantum hac in gradu quarto et tertio nullatenus tamen tangente secundum ipsis hucusque pro pauperibus concessae erant, etiam pro nobilibus et ditioribus Romae ad dies vitae impetrare, atque hac ratione ipsi etiam in formula consveta dispensare possint ac valeant: mutato consilio in eam mentem venistis, ut eam vobis auctoritatem arrogaretis, qua paulo ante carere vos sancte religioseque defenderatis, vestris Vicariis praecipientes atque mandantes, ut ab antiqua formula hactenus in dispensationibus servari solita, verbis illis deletis: *auctoritate delegata*, nova haec verba: *auctoritate ordinaria* subrogarent, ut Apost. Nuncius nobis significavit. Non defuit sane inter Vicarios ipsos, ad quos haec iussio pervenerat, qui ingenue professus fuerit, allatisque rationum momentis demonstraverit, se id salva conscientia facere omnino non posse, sed huic responsum scimus fuisse, dispensationes huiusmodi quotquot prodiissent, non in capita Vicariorum praecepta exequentium, sed in caput AEppi mandantis recasuras, ut ad nos retulit idem Apost. Nuncius. Vos, et Vicarii vestri a nostris Nunciis fuistis saepius admoniti, ut abstineretis ab Apostolicorum iurium invasione, ex qua tantum detrimenti et calamitatis in Ecclesiam et in Rempublicam ipsam importabatur; sed tantum abest, ut conatibus Summi Pontificis fuerit obsecundatum, ut AEppus Coloniensis respondere Nuncio Apostolico non dubitaverit, ratas iam fixasque esse plures rerum mutationes, quae ad omne dispensationum genus pertinerent; quemadmodum nobis a Nuncio ad Tractum Rheni relatum est. Ignorabamus sane per id tempus, et ipsa Natio Germanica ignorabat, qualesnam essent huiusmodi rerum mutationes, quas inito inter vos foedere constitueratis: cum obstupescentibus nobis, et ipsa Natione Germanica obstupescente auditum est, coactum fuisse 8. Kal. Sept. a. 1786. per Vestros Ministros clam et occulte in oppido *Emsensi* quoddam quasi conventiculum, vestro nomine et amplitudine prorsus indignum; cuius quidem deliberationes statim ac prodierunt in lucem, satis superque patuit, quo vestra con-

silia, quo curae, quo molimina vestra spectarent, ad deprimendam nempe atque enervandam Sanctae Sedis auctoritatem non quoad Nunciaturas modo, sed quoad Appellationes quoque et cetera omnia iura Primatus; qua in re molienda auctorem secuti estis eum, cuius doctrinae a doctrina Ecclesiae prorsus alienae, fuerunt a S. Sede damnatae, et ab ipsis Germaniae Episcopis atque Archiepiscopis reprobatae. Auctoritate enim S. Sedis depressa aut imminuta, et Nunciis expulsis, facile vobis persvadebatis fore, ut Metropolitanorum auctoritas auctoritati Pontificiae exaequaretur in omni genere dispensationum, et in aliis facultatibus quibuscunque: ex quo facilis vobis aditus pateret ad quemdam quasi Dominatum assequendum in Suffraganeos et in Dioeceses, alicuis etiam ditionibus aliquando subiectas, et lata aperiretur via ad novas seculi doctrinas per Germaniam importandas, ac disseminandas, non sine totius ecclesiasticae disciplinae subversione.

Ubi tam funesta nunciata sunt, in Ecclesiastica Historia fere inaudita, dolentes equidem flevimus, fueruntque lacrymae nostrae panes die ac nocte. Sed flevit nobiscum Natio ipsa Germanica, quae huiusmodi conventiculum incredibili horrore conspexit; fleverunt per eandem Germaniam Episcopi complures, virtute ac religione praeclari; qui certe tantum abest, ut tot tantarumque novitatum participes existimari queant, velut dictitare tu Moguntiae Elector consvevisti, perinde ac si Episcopalis auctoritatis depressio (alter scopus consiliorum vestrorum) essent terriculamenta et vexationes a S. Sede profectae; ut imo aliqui ex Germaniae Episcopis, ac praesertim Episcopus ac Princeps *Spirensis*, cum intellexerint AEppos ad Caesarem confugisse, quo conventiculi deliberationes defendendas susciperet, gravissime apud ipsum conquesti fuerint, quod AEpiscopi ceteris Episcopis inscientibus Conventum huiusmodi clanculum coëgissent, quodque novae illae deliberationes maximum detrimentum afferrent auctoritati Episcopali. — Vos autem tum nostras, tum totius Germanici coetus Episcopalis oppugnationes nihili facientes in sententia perstitistis ea omnia exequendi, quae in memorato Conventu fuerant attentata, ac recipere detrectastis tam AEppum Damiatensem Praesuli Bellisomio

in Nunciatura ad Tractum Rheni successorem a nobis destinatum, quam AEppum Athenarum Nuncium in ditione Palatino-Bavara a nobis electum; licet rogati nos secunda vice a Ministro tuo Ven. Frater Elector Coloniensis, super iurisdictione utriusque Nuncii iterum iterumque certum te esse voluissemus, omnino futurum numquam, ut ii alia uterentur iurisdictione, atque auctoritate, quam ipsorum antecessores usi fuissent, profitentes insuper, nos promtos et paratos futuros ad omnes malos usus radicitus evellendos, si qui uspiam quoquomodo irrepsisse deprehenderentur, et auctoritati Metropolitanorum, aliorumque Episcoporum adversarentur. His tamen iteratis animi nostri significationibus per Vos spretis, penitusque despectis, iniquam conditionem non dubitastis Nunciis proponere, quam tu Ven. Frater Elector Coloniae aequum desiderium appellabas, ut scilicet declararent iimet ipsi Nunciaturas exstinctas, atque deletas, et verbis scriptoque pollicerentur, se nullos unquam iurisdictionis actus exercituros. Volentes autem e contra uti vos illa auctoritate, quam Conventus ille Emsensis arrogandam vobis curaverat, nullam nostrarum monitionum rationem habentes, a dirimentibus matrimoniorum vinculis laxandis minime abstinuistis. Non valentes itaque tunc nos ex una parte tantum malorum dissimulare, nolentesque ex altera a semita mansuetudinis atque benignitatis decedere, iubendum censuimus Apost. Nuncio ad Tractum Rheni, ut maiori, qua posset, uteretur cura ac vigilantia, daretque operam, ne qui forte huiusmodi dispensationes obtinuissent, earumdem inanitatem ignorarent, utque errore detecto ab incundis huius generis matrimoniis quammaxime possent, retraherentur. Sed responsum accepimus, concedi huiusmodi dispensationes secretissime, ita, ut nullo modo possent opportune Contrahentes admoneri. Necesse ergo fuit ad aliud remedium manus admovere, et ipsi Nuncio praecipere, ut Parochos officii sui in re tam gravi moneret. At primus Parochus, ad quem per Nuncium nostra hortatio pervenit, respondit, se bona fide Superiori suo AEppo obtemperavisse. — — Hinc ne Parochi deinceps bonam fidem praetexerent, qua tueri se posse arbitrabantur, coacti fuimus praecipere Nuncio, ut per solitos

tabellarios mitteret ad Parochos, ad Vicarios, et Officiales AEpporum, atque Epporum Epistolam quamdam Encyclicam merae instructionis, qua ne quis factorum ignorantiam in re tam gravi praetexere valeat, narratione praemissa facultatum, quibus AEppi et Eppi utuntur ex Apostolico Indulto, quasque AEppi et Eppi eorumque Antecessores de quinquennio in qninquennium semper postularunt, fieret cuiqne notum, atqne perspectum, dispensationes ab iis datas nltra suarum fines facultatum nullius roboris futuras, matrimonia irrita, et prolem, quae inde susciperetur, fore omnino illegitimam. Epistolam huiusmodi, quam Nuncius nostro iussu misit pridie Cal. Dec. a. 1786. laetanter Coloniae accepisse Suffraganeum Vicarinm Generalem et Parochos, nec solum summo cum gaudio illam accepisse, sed etiam cum eo animi obsequio, quo recipi opus erat epistolam, quae a Pontifice ipso manabat, eandemqne epistolam missam a se fuisse ad alios Vicarios tum Generales tum foraneos, et ad Parochos omnes Archidioecesnm et Dioecesum aliorum Electorum, Nuncius ipse nobis testatus est. Tot inter Episcopos, ad quorum Vicarios haec epistola missa est, ne unus quidem fuit, qui illi non plaudendum putasset. Vos uni, Ven. Fratres, aliorum insidiis decepti, ininrias ininriis cumulantes, quaedam mandata per Vicarios vestros edi curastis in vulgus, in quibus huiusmodi Vicarii ausi sunt nostrum Apost. Nuncium iniuriosis nominibus afficere, eumque compellare Eppum extraneum, qui se dicat Nuncium Apostolicum, et Epistolam Pontificio nomine editam perinde habere, ac si esset ininriosa potestati AEppali; iubentes proinde, ut quotquot epistolam accepissent, eandem per eosdem tabellarios ad eundem Nuncium remitterent, non sine totius Germaniae offensione atque admiratione. Iam vero licet Apostolica Sedes, tot tantisque modis indigne habita, iure meritoque potuisset a vobis exposcere, ut per Vicarios tantum sibi officio satisfieret, quantum sibi illatum esset iniuriae : tu nihilominus V. F. Elector Coloniae, per Oratorem tuum Romae degentem tuas adversus Nuncium ad nos querelas detulisti, perinde ac si tu iniuria affectus, non auctor esses ininriae. Nos autem omni redargutione seposita, ad te literas dedimus paterni plenas

amoris, ut te ad officia revocaremus, et vindicata prius agendi ratione, quam Nuncius inierat, mox te in Domino obsecravimus, ne his miserrimis Ecclesiae temporibus nobis nova infligantur vulnera — ea certe est nostra de regio animo tuo fiducia, ut rationes has, precesque non sis reiecturus. Sed omnia haec in irritum cessere: tu enim misisti ad parochos tuos pastoralem quamdam epistolam, in qua eaedem ac maiores etiam evomuntur iniuriae et contumeliae, quae alias a te et ab reliquis Electoribus fuerant in memoratis mandatis effusae adversus Nuncium; pastoralem, inquimus, epistolam, quam tu ipse publica luce indignam putasti, praecipiens, ut neque affigatur, neque ex cathedris publicetur. —

Cap. IV. De altera querela communi Electorum Eccles. nomine proposit: super literis Encyclicis a Nuncio ad Tractum Rheni missis ad Suffraganeos, Vicarios, et parochos Archidioecesum Moguntinae, Trevirensis, et Coloniensis. Satius profecto fuisset, si vos VV. FF. alto praeteriissetis silentio Encyclicam Nuncii super dispensationibus matrimoniorum. Etenim tantum abest, ut vel minimum vobis sit inde allatum iniuriae, ut imo auctoritas S. Sedis, cuius praecipua cura esse debet de Sacramentorum validitate adlaborare, indigne fuerit violata ac pessumdata; — eo magis, quia AEppus Damiatensis et Encyclicam misit et dispensationem concessit non vi suarum facultatum, quibus muniri solent Nuncii, sed speciali iussu nostro ad ipsum dato, ut ipsa Encyclica praesefert: quod fieri a nobis potuisse et vos non negatis, et vestri Scriptores ipsi confitentur. Dolet insuper vobis, quod Encyclica, de qua res est, fuerit circumlata nulla vobis facta prius huius rei monitione. Sed qui fieri potest, ut iuste conqueramini, si admoniti vos iussu nostro a Nuncio Antecessore non solum captam deliberationem non deserendam putastis, rationi inimicam, sanctioni canonum et decretorum tam particularium quam Generalium Conciliorum adversantem, vestris factis scriptisque contrariam, a veteri Ecclesiae universae disciplina, ab ipsa Archidioecesum vestrarum consvetudine, et a longaeva S. Sedis possessione abhorrentem, et cum ipsa conventione inter Caesarem et

nos nuper inita pugnantem, ut aliis etiam literis nostris in forma Brevis demonstravimus *); sed etiam respondistis, propositum suscepisse vos concedendi omne dispensationum genus; adeoque auxiliis seu mediis adhibitis ipsimet nationi invisis, in id vobis enitendum curastis, ut falsum hoc novumque doctrinae monstrum inveheretur atque invalesceret. Hinc et novi Nuncii vocem audire detrectastis, ne monita veteris Nuncii fortasse vobis repeterentur, et Vicariis licet iuste reluctantibus praecepistis, ut dispensationes huiusmodi occulte darent paucis ante matrimonium horis, ita ut illud a Nuncio intercipi aut impediri non posset. Vestrae ergo culpae vertendum unice est, si nos conatibus omnibus nostris apud vos, apud eos, quorum vincula solvebatis, apud parochos ipsos in irritum cadentibus, necessitate coacti ad tantam Canonum laesionem prohibendam, et ad retrahendos ab errore parochos, qui nobis tacentibus dispensationes suorum Episcoporum impune exequi se posse arbitrabantur, Pontificum exempla et Patrum documenta sequentes, consilium cepimus praecipiendi Nuncio, ut per tabellarios, ea scilicet via, ac ratione, quae cuilibet privato homini permittitur, certam quamdam declarationem in modum encyclicae hac super re ederet atque vulgaret. — — Praeterea etiamsi Electores praeteriti, ut vos affirmatis, fuissent, de nullo alio, quam de se ipsis conqueri debuissent. Ipsi enim nos primitus neglexerunt, nos facto suo exspoliantes privativo iure simul ac possessione huiusmodi dispensationes concedendi, quin aliquid nobis antea innuisseut. Si igitur eis visum est, collatis consiliis alienam adgredi auctoritatem, ut vicarios, parochos, aliosque sibi subiectos inducerent ad illegitimas nuptias celebrandas : nemo sane erit, qui non videat, planeque cognoscat, quanta nostri muneris obligatione et quam gravi necessitate teneremur errore deceptos a falsitatis semita revocandi, illique morbo occurrendi, qui alia ratione averti ac dispelli omnino non poterat. Nemini magis quam nobis curae esse debet, et est, ut qui inferiores gradu sunt, eo quo decet obsequio auctoritatem vereantur Episcoporum et Metro-

*) Breve ad AEppum Trevirensem de 2. Febr. 1782.

politarum, ubi Episcopi AEppique contineant se intra terminos a Patribus constitutos. Verum ubi hos fines praetergrediantur sibique arrogare contendant facultates a canonibus vetitas, tolerare equidem non possumus Christianitatis scandalum, et eorum, qui subsunt, deceptionem, palamque declarare debemus, teneri eos in hac parte obedire magis Deo, et Ecclesiae, quam hominibus. — — Illud denique dolet vobis, quod matrimonia sine venia Apost. Sedis contracta ultra gradus vobis concessos non solum in Encyclica declarentur inania et irrita, sed illegitima quoque declaretur proles, si qua ex huiusmodi incestis nuptiis prodierit, perinde ac si per hanc declarationis partem etiam in iura territorialia Statuum Imperii sine auctoritate invaderetur. Sed omnis conquestio penitus conticescet, semel ac animadvertatis, declarationem huiusmodi non esse neque nostram, neque nostri Nuncii, sed Concilii Generalis Lateranensis IV. Huius enim Synodi Patres coërcentes impedimentum cognationis ad quartum gradum, non modo irritum esse voluerunt matrimonium in gradu prohibito initum, sed illegitimam quoque declarant prolem ex tali matrimonio susceptam, tam si contrahentes impedimentum scirent, quam si illud ignorarent. — Huius Concilii Lateranensis sanctioni conveniens et consona est Concilii etiam Tridentini sanctio: quae duo Generalia Concilia vulgata et recepta sunt non per Germaniam modo, sed per omnes etiam regiones Catholici orbis sine ulla Civilis Potestatis querela, aut detrimento. — — Quemadmodum autem apud Catholicos proles legitima aut non legitima ita pendet a Sacramenti validitate aut nullitate, ut ab eo nequeat separari : ita Ecclesia, ad quam iuxta dogmaticos Tridentini Concilii Canones ius pertinet constituendi impedimenta matrimonium dirimentia, dum de Sacramenti validitate aut invaliditate cognoscit, non potest simul non cognoscere etiam de prolis legitimitate aut illegitimitate. Nec tale Ecclesiae iudicium quidquam detrahit de iure Principum territoriali; quippe quia illud praecipue versatur super validitate aut invaliditate Sacramenti, quae est causa prolis legitimae aut non legitimae, cum nequeat effectus a causa separari ac seiungi. Quod adeo verum est, ut Scriptores

Regiae auctoritati plus nimio faventes, et laica ipsa tribunalia non potuerint non fateri, necesse omnino esse, ut ad Ecclesiasticos Iudices ablegarentur causae praeiudiciales super prolis legitimitate, etiamsi de legitimitate non ageretur, nisi ratione successionum, aut alterius effectus civilis, utpote a Sacramento profluentis, aut cum ipso Sacramento coniuncti. Percurrite, quaeso, duas illas Epistolas, quas duo vestri confratres, AEppus nempe Mechliniensis, et Eppus Antwerpiensis scripserunt ad Nationis Proceres et ad Caesarem quoad impedimenta matrimonii, et quoad effectus etiam civiles ex hisce impedimentis redundantes; percurrite ea, quae ad ipsum Caesarem eodem exemplo significanda duxit Cardinalis de Batthyán AEppus Strigoniensis: et vos ipsi iudicate, num iusto fundamento nitantur vestrae querimoniae adversus declarationem Encyclicae super prolis illegitimitate; adversus declarationem, inquimus, multo antea iam factam a Conciliis tum generalibus tum Provincialibus, in omnibus Catholicorum Principum ditionibus receptam, a Vestris Confratribus vindicatam, ab auctoribus Regiae Auctoritati faventibus et a laicis ipsis tribunalibus comprobatam.

Si nihil ergo vobis causae fuit, cur de Encyclica conquereremini, sive ipsius argumentum inspiciatur, sive modus spectetur, quo oportuit illam mitti ac circumferri: magna e contra nobis causa est, cur circa rem ipsam et circa modum vehementer de Vobis conqueramur. Etenim si de re loquimur, Vos VV. FF. uni estis, qui minime cum vobismetipsis constantes et cohaerentes, Auctoritatem eam adgrediendam suscepistis, quam nemo alius adgredi ausus est ex AEppis et Eppis Germaniae, Galliae, Hispaniae, Lusitaniae, aliarumque Regionum Christiani nominis universi; Auctoritatem, inquimus, nullo vobis modo competentem iuxta leges, communemque Ecclesiae consuetudinem; Auctoritatem, de cuius exercitio non alii tantum Episcopi, sed tu ipse, Trevirensis Elector, fassus es: nullum 18. seculorum spatio ab Eccles. Historia exemplum suppeditari; Auctoritatem denique, in cuius occupatione nec animus vester, nec eorum, qui dispensationibus indigent, vel eas a vobis impetrarunt, potest ullo modo conquiescere. Hi enim ad Nos confugerunt, quo suis

matrimoniis robur adiungeremus ex integro; quin imo factum est, ut ex Archidioeeesi Moguntina, Trevirensi, Coloniensi, potius quam ad vestram incompetentem auctoritatem confugerent, ad Nos venerint bene multi, quo legitimas a nobis dispensationes obtinerent. Vos autem post ipsum Conventum Emsensem, in quo communi consilio statueratis, vos non amplius Roma facultates quinquennales petituros; post hanc ipsam Nuncii Encyclicam; post tot tantasque querelas in illam effusas; Vos has ipsas Facultates de more postulastis atque impetrastis ab Apostolica Sede. — — Si vero de *modo* res sit, alium illo indigniorem et maiori cumulatum iniuria excogitari profecto non posse arbitramur, semelac AEppum Damiatae appellare in publicis Actis non dubitastis Episcopum extraneum, qui se dicat Nuncium Apostolicum; semelac catechesim a Pontifice Summo profectam in re mere spirituali, esse *attentatum* proclamastis; quodque gravius est, Parochis iussistis, ut per quos tabellarios Pontificiam receperant Epistolam, per eosdem illam remitterent, praecipientes eisdem, ne Pastoris universalis (incredibile dictu!) hortamentet voces audirent. Quod quidem adeo multiplex iniuriaruma genus taciti ferendum duximus, et adhuc toleramus ea spe freti, fore, ut Vos insidiis tandem liberati, quae virtuti vestrae instructae et paratae sunt, harum iniuriarum gravitatem, horroremque agnosceretis, et publicis actis eas sponte curaretis evertendas atque delendas, ut debitus ordo satisfactionis exposcit. Similes enim contumelias, raro quidem illatas, nec nostri tulerunt Antecessores, aetati huic pene suppares, nec antiquiora Concilia Provincialia ac Generalia. Convertite oculos ad Constitutiones Clementis XI. et Benedicti XIII. contra eos, qui Nuncios recognoscere detrectarunt, habentes illos tamquam extraneos; — atque intelligetis AEppos et Eppos fuisse suspensionis poena mulctatos. — Concilium Turonense IV. sive, ut alii malunt, Parisiense a. 849. ut Apostolicam auctoritatem vindicaret, datis ad Nomenojum Ducem et Britanniae Administratorem pro Carolo Francorum Rege literis per duos et viginti AEppos, Epposque subscriptis, eundem acriter reprehendere non dubitavit, eo quod alia inter facinora Pontificias quoque literas recipere renuisset.

Nec satis hoc, sed ipsum monendo, ut in posterum Pontificias reciperet literas, ad monitiones etiam anathematis minas adiecit, ubi is in suo proposito perstitisset. — Concilium vero Chalcedonense a. 451. edita sententia deiecit ab Episcopali dignitate Dioscorum Patriarcham Alexandrinum, eundemque omni sacerdotali ministerio axauctoravit, eo quod inter alias causas, impedierat per ambages et per cuniculos — quominus legeretur epistola dogmatica a S. Leone ad Flavianum scripta; — illud praecipue animadvertens, quod tale impedimentum attulerat scandalum, et laesionem S. Dei Ecclesiae per totum orbem terrae. — Nec vobis admirationi sit huius modi poenarum severitas, utpote quae criminum gravitati respondet. Tolerari enim nequit, non dicemus in Ecclesiastico viro et in Episcopo, sed in catholico homine quolibet, ut *extraneum* appellare audeat AEpiscopum Legatum Apost. Sedis, quae communis Mater est, quaeque, ut fidei dogmate edocemur, potestatem habet iurisdictionis in singulas Catholici Orbis Ecclesias; multoque etiam minus ferri potest, ut tamquam *attentatum* reiiciatur, ac proscribatur epistola et catechesis Pontificis in re mere spirituali, digna sane quam totus orbis obsequio ac veneratione prosequatur, tamquam ab eo profectam, cui ius est, a Christo ipso collatum, docendi populos, et confirmandi fratres, absque eo quod pendeat a quacunque Potestate, et a quovis Principum placito, quemadmodum tu ipse, Trevirensis Electo r, dilucide demonstrasti tunc, cum Episcopalia tua iura es ad defendendum adgressus, et quemadmodum docte copioseque demonstrarunt alii Vestrae Nationis Episcopi, ac multi per Germaniam Scriptores, elucubrationesque complures typis editae, ac per Alemanniam vulgatae. — Romae, die 14 Nov. 1789. — *Ex Bullario Pii VI.*

Mon. 92.

Pius VI PP. AEppo Pragensi de matrimonio, quod parte una disparente pars altera favore civilis legis contraxerat cum alia persona, a. 1789.

Gravissimam matrimonii casus quaestionem afferentibus ad nos literis tuis, cum multae rem consultationis esse, neque tam cito expediri ac dissolvi posse videremus, minime cunctandum duximus, quin illud ad te rescriberemus die 24 Sept. proxime praeteriti, suscepturos nos esse diligentissimam eius rei considerationem, ac deinceps omnibus mature perpensis sententiam ad te nostram transmissuros. Quod tum igitur in nos receperamus, nunc hac praestamus epistola, quae si est aliquanto prolixior, erit id rei ipsius gravitati tribuendum. Referendi ad nos dubitationes tuas causam tibi praebuit casus, quem in Comitatu Glacensi ditionis Regis Borussiae ad tuam dioecesim pertinente contigisse in hunc modum exposuisti: ‚Videlicet vir acatholicus deserta uxore catholica plures annos sic abfuit, ut ubi terrarum degeret, sciri nequaquam potuerit. Edicto Regio praestituta ei dies est, qua nisi rediisset, malitiosus esset desertor declarandus. Elapso termino cum non rediisset, Regia lata est sententia, qua ille malitiosus est desertor declaratus, et simul matrimonii vinculum secundum leges regias dissolutum, annexa tamen respectu uxoris catholicae clausula, qua eiusdem propriae conscientiae relictum est, an ad alias nuptias convolare velit. Mulier (sive secundum sive contra conscientiam) concessa venia uti, novasque cum acatholico viro nuptias inire cupiens, proprium catholicum parochum adiit, a quo repulsa est, simulque monita, fas id ei non esse, quousque absentis coniugis mors certis fuisset documentis comprobata. Repulsam passa mulier facultate nihilominus sibi facta Regio nomine uti voluit, et coram acatholico parocho optatas nuptias inivit, in eaque coniunctione manet iam ad alterum annum. Interea expiandae conscientiae causa cum denuo catholicum parochum suum convenisset, nec tamen ab adscito viro recedere vellet, ei parochus ceu publicae adulterae sacramenta-

lem absolutionem denegavit. Itaque illa confugit ad AEppale Consistorium petens, ut novum istud matrimonium Ecclesiae auctoritate ratihabeatur, secus periculum instare, ne ipsa relicto viro prae nimia consecutura egestate ad avitam religionem deserendam tametsi reluctante conscientia redigatur.' Gravis inde instituta consultatio in Consistorio tuo, sententiis in varias partes distractis.

I. Nonnulli, prout accurate refers, censebant, hic locum habere decisionum Summi Pontificis Alexandri III in Cap. *Perlatum* 8. *Qui filii sint legitimi*: ,in quo refertur quemdam Eppum ob diuturnam absentiam mariti ad instantiam uxoris sententiam divortii pronunciasse, data facultate mulieri alii nubendi, quod factum Eppi Summus Pontifex non improbat, quin potius liberos, quos ex altero marito mulior suscepit, legitimos declaravit.' Alii e contra existimarunt capitulum istud correctum esse per Cap. *in praesentia* 19. *de Spons. et Matr.* ,ubi mulieribus ob diuturnam absentiam maritorum non conceditur facultas ad alias nuptias transeundi, donec certum nuncium recipiant de morte virorum.' Sane nullus hic locus videtur esse capiti *Perlatum*: quaerebatur, num legitimi habendi essent filii suscepti ex matrimonio contracto post sententiam ab Eppo, competenti nimirum Iudice, latam. Ad id unum respondens Pontifex decernit iudicandos esse legitimos. Quo ex responso colligere haud licet tacite saltem probatum fuisse factum Eppi, de quo proprie rogata non fuerat sententia Pontificis. Plane vero ad rem facit Cap. *In praesentia*, quo expresse statuitur, mulieribus ob diuturnam absentiam maritorum non concedi facultatem ad alias nuptias transeundi, donec certum nuncium recipiant de morte virorum.

II. Cum nonnulli urgerent decretum Tridentini Sess. 24. can. 5. quo definitur ob absentiam alterius coniugis vinculum matrimonii non dissolvi: alii contra excipiebant, canonem Concilii de affectata, non autem de malitiosa absentia verba facere: unde inferebant, hactenus dogma definitum haud esse, vinculum matrimonii ob malitiosam alterius coniugis absentiam dissolvi non posse. Verum exceptionem ut a communi vocis acceptione sic a sententia Tridentini prorsus aberrare dubitandum non est. Quippe affectatum communiter

intelligitur, quidquid studiosius quam par est, in re quavis peragenda quaesitum est, ac de industria comparatum, quod apte cadit in absentiam dolo malo, seu ex malitia, deserendae uxoris causa quaesitam. Atque adeo constare omnino debet, Tridentini definitionem allato Cap. *In praesentia* plane consentire.

III. Quidam putabant matrimonium quaestionis ex alio capite ratihaberi posse, cum nempe maritus longiori tempore absens auctoritate Regia citatus non comparuerit, moralem fere certitudinem de morte eius praesto esse. Neque id satis argumenti est ad mortem comprobandam. Nam quod vir non comparuerit, non magis mors in causa esse potuit, quam eius contumacia. Edicto sane regio iubentur nonnumquam transfugae milites redire ad signa: nec inde tamen inferri solet mortuos omnes esse, qui non redeunt.

IV. Alii censebant matrimonium eiusmodi inter personam catholicam et acatholicam contractum retro pro irrito declarari posse ex ratione, quia tale matrimonium ex dispositione legis regiae annexam habet conditionem, ut ex capite adulterii aut malitiosae desertionis quoad vinculum dissolvatur. Nonnulla hic animadvertenda: 1. si ob eam rationem nullum fuit prius matrimonium ab ea muliere cum viro acatholico contractum, ob eandem quoque rationem nullum esse oportebit novum matrimonium ab ea cum viro item acatholico initum, semperque adeo a sacramentis repellenda erit, si non adultera, saltem ut concubina. Nec petita ratihabitio praestare potest, ut validum evadat matrimonium, quod suapte natura nullum est, ex conditione, quae sit, ut supponitur, contraria substantiae matrimonii. 2. Ex decisione Gregorii IX, quae in hanc rem affertur Cap. *Conditiones ult. de Condit. appos.* atque ex luculenta doctrina Benedicti XIV lib. 13. de Syn. Dioec. c. 22. qua rem totam mirifice illustrari profiteris ipse, eruitur quidem, si contrahendo matrimonio conditio apponatur, quae repugnet substantiae ipsius, nullum et irritum fore matrimonium. Verum ut ibidem docet Benedictus XIV, si expressa huiusmodi conditio minime apposita fuerit, quamquam contrahentes in eo errore versentur, matrimonii vinculum propter adulterium dissolvi posse, (quod idem va-

let de malitiosa absentia) nihilominus locum esse praesumtioni, ut dum matrimonium contrahere voluerunt, illud iuxta institutum Christi atque adeo insolubile inire voluerint, nimirum generali ea intentione contrahendi iuxta institutionem Christi privatum illum errorem quodammodo absorbente. 3. Si generalis intentio contrahendi iuxta institutum Christi praevalere censetur intentioni contrahendi iuxta principia errantis sectae, praevalere quoque censenda est ob eandem rationem intentioni contrahendi iuxta legem, quae ex talibus causis matrimonii vinculum dissolvi permittat. Quod nisi ita esset, nullum prorsus inter istos acatholicos verum existeret matrimonium, sed eorum matrimonia omnia dicenda essent adulterina coniugia, quod longe abest a doctrina et praxi Ecclesiae. Nusquam enim tot seculis auditum est, acatholicorum matrimonia propter eiusmodi errores aut leges habita esse velut nulla et irrita, ipsosque adeo acatholicos, dum post matrimonium ad fidem convertuntur, debuisse aut facta connubia innovare, aut nova contrahere. Nisi ergo vera ea fuissent matrimonia, dicendum foret, Ecclesiam universam hactenus in maximo errore versatam in re ad doctrinam, moresque pertinente, quod catholicus nemo dixerit. 4. Nec deest intima ratio, cur intentio contrahendi iuxta placita sectae adstruentis aut legis permittentis dissolutionem matrimonii non officiat eius valori, modo non deducatur in pactum. Etenim hoc ipso, quod acatholici vano errore decepti existimant, solutionem matrimonii iis de causis minime repugnare legi Christi, hinc fit, ut in eorum mente propter falsam illam existimationem intentio contrahendi iuxta eiusmodi legis aut sectae placita minime excludat primariam intentionem contrahendi iuxta divinam legem per Christum confirmatam. Permanet proinde haec voluntas in actu contrahendi, ex eaque fluit, ac determinatur ratio consensus, qui actu praestatur. Porro consensus praestitus ex voluntate contrahendi iuxta legem Christi aptus est ac sufficiens ad matrimonii valorem, nisi aliud obstet canonicum impedimentum. Contra ubi deducitur in pactum conditio repugnans substantiae matrimonii, iam actu excluditur voluntas contrahendi iuxta legem Christi propter repugnantiam, quae est inter

legem Christi et conditionem, quae actu expresse intenditur, fitque adeo ineptus consensus ad verum efficiendum coniugium. 5. Verum potissima ratio est, quam superius attigimus, ex eo ducta, quod nisi vera eiusmodi essent acatholicorum coniugia, universa Ecclesia tot seculis errasset, quae redeuntes ad fidem acatholicos coniuges ut veros coniuges recipit, licet pravis erroribus imbuti circa matrimonium id antea in sua secta contraxissent, nisi deducta fuisset in pactum expressum conditio repugnans substantiae matrimonii, aut aliud obstaret impedimentum canonicum.

V. Denique alii opinabantur in casu quaestionis propositae praesidium inveniri in cap. *Dominus 2. de secund. nupt.* ubi dicitur: ‚si mulier non habita certa notitia de morte mariti aliud matrimonium contraxerit, et in matrimonio secundo constituta de morte prioris mariti dubitaverit, ipsa quidem suo marito debitum coniugale reddere, non autem ab eodem petere possit.' Verum eo Capite agitur de uno tantum contrahente dubitante; cum ergo alter bona fide contraxerit, degit iste in legitima possessione sui iuris, nec proinde valere debet alterius dubitatio ad eum ex sua legitima possessione deturbandum. Merito itaque statuit Pontifex dubitantem non posse petere, nec tamen debitum denegandum postulanti, qui degit in bona fide, et possessione sui iuris. Quo patet, Cap. *Dominus* traduci non posse ad praesentem quaestionem, in qua utrique parti aequa subest ratio dubitandi, num primus maritus superstes adhuc nec ne sit.

VI. Multa equidem commiseratione digna est calamitas, quae mulieri eiusque proli imminere dicitur ex eius disiunctione a viro; verum id periculum efficere non potest, ut licitum evadat, quod iure naturali ac divino prorsus est illicitum. Aliunde si sincero pietatis affectu conscientiae suae vult illa consulere, cogitare debet iustas sibi poenas dandas gravissimae culpae, qua se obstrinxit, cum spreta pertinaciter parochi sui catholici admonitione nihilominus viro se acatholico iungere voluit, quocum ignorare non poterat nullum sibi connubiale foedus posse intercedere, dum non satis certum adhuc de morte absentis viri nuncium haberet.

VII. Iam hic enixe postulas a nobis, ven. frater, in genere edoceri, an matrimonia a personis catholicis cum acatholicis sub conditione legali contracta, ut ex certis causis quoad vinculum dissolvantur, si demum emergente casu eiuscemodi matrimonia auctoritate Consistoriorum acatholicorum secundum leges regias dissolvantur, parsque acatholica ad alias nuptias transeat, etiam respectu partis catholicae ex supra praemissis principiis pro irritis retro haberi possint eo cum effectu, ut parti quoque catholicae libertas ad alias nuptias convolandi concedi queat? Quid hic aliud tibi nos respondere possumus, quam quod a nostris semper est praedecessoribus rescriptum, nihil innovari praeter id, quod traditum est: si conditio legalis vinculi coniugalis allatis de causis solvendi per pactum expressum matrimonio apponatur, nullum et irritum ab initio dicendum erit matrimonium, nec inde oriri potuisse coniugale vinculum, sed illicitam potius coniunctionem pactam esse, quam utraque pars, maxime catholica Christi lege deserere omnino tenetur; si vero nulla fuit apposita expressa eiusmodi conditio repugnans substantiae matrimonii, licet contrahentes generatim intendant contrahere iuxta placita sectae, aut legis concedentis dissolutionem vinculi coniugalis, nihilominus matrimonium valide contractum censendum erit, indeque ortum perpetuum coniugale vinculum, quod nulla civili lege, nulla Consistoriorum acatholicorum auctoritate dissolvi queat, adeoque nec partibus, minus vero catholicae facultatem concedi posse convolandi ad alias nuptias.

VIII. Revera, ut iam rite nonnulli observarunt ex tuis Consultoribus, Concilii Trid. Sess. 24. can. 5. definitum est, minime dissolvi posse matrimonii vinculum propter affectatam absentiam, cuius profecto generis est absentia omnis dolo malo, seu ex malitia quaesita, ut deseratur coniux.

IX. Quod porro attinet ad causam supervenientis adulterii, certum est ex Can. 7. Sessionis eiusdem, Ecclesiam docuisse ac docere iuxta Evangelicam et Apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius coniugum matr. vinculum non posse dissolvi. Certum est ac plane definitum, Ecclesiam in hoc docendo non errare, ut patet ex subiecto anathemate.

Porro si certum est id verum esse qnod docet, nempe propter adnlterinm matr. vinculnm non posse dissolvi, et cnm error sit qnidquid vero repugnat, error igitnr est contra veritatem, quam Ecclesia docet inxta evangelicam et apostolicam doctrinam, qnod propter snperveniens adnlterium matr. vinculum solvi queat. Et qnamqnam ad id sine nlla dnbitatione firmandum snfficere catholico cniqne debeat inconcnssa Tridentini anctoritas, non abs re tamen fuerit pauca subiicere, qnibns pateat eam sententiam ex Evangelio et apostolica doctrina revera profectam esse. Perspicua scilicet ac generalis est evangclica sententia Marc. 10: ‚Qnicnnque dimiserit uxorem suam, et aliam duxerit, adnlterinm committit snper eam, et si nxor dimiserit virum sunm, et alii nupserit, moechatnr.' Tnm et Luc. 16: ‚Omnis, qui dimittit uxorem suam, et alteram ducit, moechatur, et qni dimissam a viro dncit, moechatur.' Quam sententiam generalibus adeo verbis ennnciatam rite perpendens s. Augustinus de coningiis adnlterinis l. 1. c. 9. conclndit: ‚qni ergo snmus nos, nt dicamus, est qui moechatur uxore sua dimissa alteram dncens, et est qui hoc faciens non moechatur? cnm Evangelinm dicat omnem moechari, qni hoc facit.' Equidem Matth. 5. legitnr: ‚Omnis, qni dimiserit nxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam moechari, et qni dimissam duxerit, adnlterat.' Verum, nt etiam probe notat Augnstinus eod. lib. n. 12: ‚quoniam fas non est, ut Evangelistas, quamvis diversis verbis de una re loquentes, ab nno sensn eademque sententia dissentire dicamus, restat, nt Matthaenm intelligamus a parte totnm significare voluisse, eandem tamen tenuisse sententiam;' quam s. Doctor subinde pancis intericctis verbis explicat in hunc modnm: ‚ut omnis, qui dimittit uxorem snam et ducit alteram, moechari minime dubitetnr.' Ut proinde ex ipso Evangeliorum consensu colligi omnino debeat, verba illa ‚excepta fornicationis causa' referenda esse ad membrum antecedens: ‚si quis dimiserit,, non ad consequens ‚aliam duxerit,' ut fert communis doctorum interpretatio. Ipsemet Apostolus Paulus certissimus Divini Verbi interpres generaliter quoque divinam sententiam enunciat I Cor. 7: ‚iis, qni matrimonio iuncti sunt,

praecipio non ego sed Dominus, nxorem a viro non discedere, quodsi discesserit, manere innuptam aut viro suo reconciliari.' Non distingvit inter causas discessus, omnes universe complectitur, atque ex Domini praecepto edicit: discedentem manere innuptam, aut viro suo reconciliari; unde et universe subiungit: ,mulier alligata est legi, quanto tempore vir eius vivit;' et Rom. 7.: ,igitur vivente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro, si autem mortuus fuerit vir eius, liberata est a lege viri, ut non sit adultera, si fuerit cum alio viro.' In quae intendens Augustinus, ,haec verba Apostoli, inquit l. 2. de coni. adult. c. 5, toties repetita, toties nculcata, vera sunt, viva sunt, sana sunt, plana sunt. Nullius viri posterioris mulier uxor esse incipit, nisi prioris esse desierit. Esse autem desinet uxor prioris, si moriatur vir eius, non si fornicetur. Licite itaque dimittitur coniux ob causam fornicationis, — nec carebit illo vinculo, etiamsi numquam reconcilietur viro, carebit autem, si mortuus fuerit vir eius.' Et quod rem plane conficere videtur, Innocentius I epist. 6. ad Exuperium Tolosanum cap. *Constant.* 3. n. 12: ,De his etiam requisivit dilectio tua, qui interveniente repudio alii se matrimonio copularunt, quos in utraque parte adulteros esse manifestum est; qui vero vel uxore vivente, quamvis dissociatum videatur esse coniugium, ad aliam copulam festinarunt, neque possunt adulteri non videri in tantum, ut etiam hae personae, quibus tales coniunctae sunt, etiam ipsae adulterium commisisse videantur, secundum illud, quod legimus in Evangelio: Qui dimiserit uxorem suam etc. et ideo omnes a communione fidelium abstinendos.' Minime proinde mirum, hunc ipsum fuisse sensum nascentis Ecclesiae, cuius a prima aetate luculentum testimonium suppetit ex libro *Pastoris*, cui notum est quantum auctoritatis tributum sit a vetustis Patribus non paucis. In eo porro libro 2. mandato 4. legitur: ,Si permanserit in vitio mulier? et dixit: dimittat illam vir, et vir per se maneat; quodsi dimiserit mulierem suam, et aliam duxerit, et ipse moechatur.' Iustinus Apol. 1. n. 15. ostendens, quantum christiana institutio praestet gentilium institutionibus, hoc de castitate velut Christi praeceptum generatim enunciat: ,qui ducit repudiatam ab altero viro,

moechatur.‘ Ex quibus aliorumque Veterum testimoniis velut Athenagorae, Clementis Alexandrini, Origenis, Chrysostomi, passim Doctores nostri concludunt: unam olim fuisse sententiam utriusque Ecclesiae, Orientalis scilicet et Occidentalis, modernosque Graecos recessisse ab antiqua patrum suorum doctrina, licet non constet, quo tempore haec mutatio facta sit, ut apud Lud. Habert de matr. c. 2. §. 6. Quin etiam, ut refert idem Habert, et fusius Tourneli in hac quaestione de firmitate vinculi coniugalis, cum Erasmus in quibusdam Annotationibus iam ab a. 1515. editis scripsisset violatam coniugis fidem dirimere coniugium, et mulierem, quae alteri viro sui corporis fecit copiam, desiisse esse uxorem, Parisiensis Facultas delatas ad se propositiones Erasmi notavit a. 1526. ut haereticas, quatenus per eas praetendi videtur matrimonium per adulterium dissolvi quantum ad vinculum. Est enim, inquiunt Parisienses, vinculum matr. iure divino indissolubile, ut ad Corinthios scribens Apostolus demonstrat etc. Ubi etiam notant supra laudati Theologi, Erasmum ausum non esse doctrinam impugnare Sacrae Facultatis, sed eo nomine purgare se voluisse, quod suas propositiones intelligendas fuisse diceret de separatione quoad thorum, non quoad vinculum. Neque vero est, cur errori de solutione vinculi praesidium quaeratur in humanis legibus, quae illud vinculum allatis de causis dissolvi permittunt: quippe notum est, humanis legibus nonnulla interdum humanae fragilitati concedi, quae non licent iure conscientiae. Notum est, non defuisse leges talem usurae modum permittentes, qui cum iure naturali ac divino conciliari prorsus non valeat, ut proinde facultas hisce legibus data impunitas potius dicenda foret, quam iusta libertas. Ac ne a subiecta materia discedamus, notum pariter est, primis quoque Ecclesiae seculis permissum humanis legibus fuisse, ut certis de causis matrimonia solverentur, facta etiam utrique parti facultate ad alias nuptias transeundi. Quid porro ad haec Ecclesiae Patres? Chrysostomus in c. 7. Ep. ad Rom: (apud *Habert* de Matr. c. 2. §. 3.) ‚Nec mihi recites leges externas, atque profanas, quae libellum repudii dare ac divortium facere praecipiunt, non enim profecto secundum has leges iudicaturus est Deus, sed iuxta

eas, quas ipse posuit.' Hieronymus ep. 30: ,Aliae sunt leges Caesarum, aliae Christi; aliud Papinianus, aliud Paulus noster praecipit.' Quocirca idem S. Doctor (ut est apud *Berti* de theol. disc. Vol. 4. prop. 313.) ,peccasse fatetur Fabiolam, quod repudiato marito adultero quidem, et qui se scorto vilique mancipio miscuerat, non innupta permanserit; tametsi eam excuset, quod adolescentula esset, et civilibus legibus permitteretur repudium, scribens: igitur et Fabiola quia persvaserat sibi et putabat a se virum iuste dimissum, nec Evangelii vigorem noverat, in quo nubendi universa causatio viventibus viris feminis amputatur, dum multa diaboli vitat vulnera, unum incauta vulnus accepit.' Super quam epistolam addit Lud. Habert loc. citato: ,Nec dicat Launoius prohibitum quidem fuisse uxori, nullatenus marito, aliud contrahere matrimonium in causa fornicationis; nam S. Hieronymus scribens in c. 19. Matth. haec habet: sic priorem iubetur dimittere uxorem, ut secundum prima vivente non habeat.' S. Augustinus serm. 392: ,Non vobis licet habere uxores, quarum priores mariti vivunt. Adulterina sunt ista coniugia, non iure fori, sed iure coeli; nec eam feminam, quae per repudium discessit a viro, licet vobis ducere vivo marito. Solius fornicationis causa licet uxorem adulteram dimittere, sed illa vivente non licet alteram ducere.' Denique et probe notandum, nihil adversus Tridentini doctrinam praesidii peti posse ex perplexis quibusdam nonnullorum Patrum locutionibus, quae solutioni matrimonii adulterii causa favere aliquo modo videri possunt. Nam ut animadvertit idem Habert, non ex privatis istorum sententiis Ecclesiae traditio est colligenda, ut patet, ait, vel ex controversia circa baptismum ab haereticis collatum, et beatitudinem non protrahendam ad diem ultimi iudicii; licet enim in hisce capitibus viri eruditione et sanctitate conspicui erraverint, Ecclesia nihilominus eiusmodi controversias ex traditione diremit. Quidni ergo et praesentem similiter dirimere potuerit? Quamobrem ut in praesenti quaesito haereamus de solvendo matrimonii vinculo absentiae causa, haud amplius licet viro catholico quaestionem agitare, et velut dubitationi adhuc obnoxiam

habere, quae Tridentini aperta definitione cap. 5. allato prorsus diremta est.

Haec sunt, Ven. frater, quae tibi non solum pro casu proposito, sed generatim etiam rescribenda duximus, ut inde certissimam normam habeas, quale iudicium a te ferendum sit, quoties eiusmodi quaestiones de matrimonio incidant, quae nonnisi ex Iesu Christi et Apostolorum doctrina, quam exposuimus, Ecclesiaeque traditione sunt resolvendae. Ex quo etiam videas, quantam tuorum postulatorum rationem habeamus, quamque nobis cordi sit, anxietatibus tuis occurrere, omnemque ex animo tuo dubitationem ac sollicitudinem per responsa Apost. Sedis amovere. — Datum Romae die 11 Iulii 1789. — *Ex Bullario Pii VI.*

Mon. 93.

Rescriptum Pii VI. ad Eppum Agriensem de eo : an valeat sententia fori civilis circa vinculi coniugalis ex capite adulterii solutionem vi legis civilis lata, et an matrimonium uti civilis contractus spectari possit. dd. 11. Iulii 1789.

Ven. Frater etc. Literis tuis die 1. Maii ad nos datis dignum plane te praestitisti, Ven. Frater, eximia ea laude, quam ab Innocentio I. retulere celeberrimi Carthaginensis Concilii Patres, qui nimirum maiorum exempla secuti quidquid in longinquis disiunctisve Provinciis ageretur, non prius ducerent esse finiendum, quam ad Apost. Sedis notitiam perveniret, cuius auctoritate iusta quae fuerit pronunciatio firmaretur. Eo animo studioque inductus exposito casu, qui nuper in dioecesi tua contigit, postulasti a nobis, ut quid in ea causa aliisve similibus, si quae aliquando emergant, agendum sit, nostro iudicio decerneremus, ad teque scriberemus. Facti haec species est ac series: Post initum coniugium inter contrahentes Lutheranae sectae addictos mulier catholicam fidem amplexa publiceque professa est: postmodum intentata per virum actione in uxorem velut adulterii ream secularis

Iudex vi notae legis solutum matrimonii vinculum declaravit; tum mulier aliud cum viro catholico matrimonium inire cupiens proprium adiit parochum catholicum, a quo cum reiecta esset iniqua petitio, accersitus est Helv. Confess. Minister, qui concupitas nuptias conciliare non dubitavit: exinde vir et mulier velut coniuges etiamnum in praesentia degunt, duasque iam proles ex attentato illo coniugio susceperunt. Cumprimum patrati facinoris certior factus es, ipse parochum pro tua pastorali sollicitudine monere incitareque non destitisti ad suas partes explendas; nec ipsemet parochus, ut testaris, muneri suo defuit, ut eosdem ab invicem separaret arguendo, increpando, obsecrando in omni patientia et doctrina; nihil tamen ab iis impetrare ultra potuit, quam ut agnita culpa illegitimaque sui copulatione gratiam dispensationis apostolicae pro noviter contrahendo matrimonio implorarent. His narratis pergis causas exponere, quae certi capiendi consilii moram ipsi difficultatemque adferunt, quae causae duplici ex capite petuntur: primum ex indicata lege, quam in ferenda sententia secularis Iudex secutus est, ut metuendum sit, ne si ad Aulam partes recurrant, parochus etiam sub poena suspensionis et sequestrationis proventuum iubeatur matrimonio earumdem adsistere. Verum propitiante Deo iam abest omnis hic metus; quippe cum a nobis primum pro praecipua quam gerimus gregis universi cura, tum et ab aliis Episcopis, qui se se in eo munere obeundo nobis, ut par erat, adiunxerunt, ob gravia inde emergentia incommoda etiam atque etiam reclamatum sit, Caesar ipse non dubitavit id caput legis e medio tollere, prout literis die 28. Aprilis Magnus Aulae Cancellarius Nuncium Apostolicum certiorem fecit; cuius facti notitia posteaquam ad te pervenerit, prout paulo post datas ad nos literas facile est pervenisse, minime dubitandum, quin iam ea ex parte omni cura sis ac molestia levatus. Alterum subinde caput subiicis, quo te pariter in aliquam dubitationem adductum significas; nimirum quod non desint, qui divortium hoc legitime admissum tenent ex rationibus sequentibus: 1. quia censent posse matrimonium in ratione civilis contractus verum et legitimum matrimonium esse, quin coniuges Sacramentum susceperint aut per-

fecerint. 2. Quod acatholici, dum in matrimonium coalescunt, sacramentum suscipere sive perficere nec possint nec velint; 3. addunt aliqui, quod Calviniani sub conditione illa famosa „donec in honestate permanseris" contrahentes alioqnin irritum faciant matrimonium, et tam hi, si non addant, quam Lutherani, cum matrimonium ob adnlterium solvant, illam mente retineant, et nec vellent contrahere matrimonium, quod solvi non posset.

At qnid valent ad huiuscemodi honestanda divortia rationes, quae si rite perpendantur, cum Ecclesiae doctrina de matrimonio consistere nullo modo oomperientur. Doctrina est sacri Tridentini Concilii Sess. 24. c. 1.: matrimonii perpetuum indissolubilemque nexum primum generis humani parentem Divini Spiritus instinctu pronunciavisse, cum dixit: hoc nunc os ex ossibus meis etc. tum Christum Dominnm eiusdem nexus firmitatem ab Adamo tanto ante pronunciatam his verbis confirmavisse: quod Deus coniunxit, homo non separet. Quo manifeste patet, matrimonium vel in ipso statu naturae, ac sane ante mnlto, quam ad proprie dicti sacramenti dignitatem eveheretur, sic divinitus institutum esse, ut secum afferat perpetuum indissolubilemque nexnm, qui proinde nulla civili lege solvi queat. Itaque licet sacramenti ratio a matrimonio seiungi valeat, velut inter infideles, adhuc tamen in tali matrimonio, siquidem verum est matrimonium, perstare debet, omninoque perstat perpetuus ille nexus, qui a prima origine divino iure matrimonio ita cohaeret, ut nulli subsit civili potestati. Atque adeo quodcunque matrimonium contrahi dicatur, vel ita contrahitur, ut reapse sit verum matrimoninm, tumque adiunctum habebit perpetuum illum nexum divino iure omni vero matrimonio cohaerentem; vel contrahi supponitur sine illo perpetuo nexu, tumque verum matrimonium non est, sed illicita coniunctio divinae legi ex obiecto repugnans, quae proinde nec iniri potest, nec retineri. Fallitur proinde, quisquis existimat, prout allata illa prima ratione innititur, matrimonium, dummodo absit ab eo ratio sacramenti, non esse nisi contractum mere civilem, atque adeo civili potestate solubilem. Quod secus est; nam primo matrimonium non est contractus mere civilis, sed et contra-

ctus naturalis, divino iure ante omnem civilem societatem institutus et firmatus, qui etiam hoc insigni discrimine differt ab alio quocunque mere civili contractu, quod in eo genere civili consensus certis de causis interdum per legem suppleatur; in matrimonio vero nulla humana potestate suppleri consensus valeat. Deinde cum ex omni contractu consentaneum aliquod ius oriatur, atque ad matrimonii naturam omnino pertineat, ut ius alterutri coniugi tribuat in corpus alterius, profecto denominatio veri contractus matrimonii sub nulla ratione tribui potest coniunctioni, qua matrimonium ineatur ut solubile per allatas causas, quae coniunctio non solum nullum ius tribuere potest ad obsequia matrimonialia repetenda, sed potius absolutam obligationem inducit illicitae istiusmodi coniunctionis prorsus dirimendae; quo fit, ut talis pactio, quae nullum ius coniugale tribuit, nulla quoque ratione contractus coniugalis seu matrimonialis dici possit. Sane Conc. Trid. Sess. 24. can. 5. anathema tulit in quemcunque, qui dixerit, propter haeresim, aut molestam cohabitationem, aut affectatam absentiam a coniuge dissolvi posse matrimonii vinculum; et can. 7. idem anathema in quemcunque, qui dixerit, Ecclesiam errare, cum docuit et docet iuxta Evangelium et apostolicam doctrinam, propter adulterium alterius coniugum matrimonii vinculum non posse dissolvi. Certum proinde est, Ecclesiam docuisse et docere iuxta Evangelium et apostolicam doctrinam, propter adulterium dissolvi non posse matrimonii vinculum; item certum in eo docendo Ecclesiam non errare. Quis porro Catholicae doctrinae caput non in eo agnoscat, quod Ecclesia docuit et docet iuxta Evangelium et apost. doctrinam, et in quo docendo certum sit, imo expresse definitum, eam non errare? Cuius evangelicae apostolicaeque doctrinae cum plures ex tota antiquitate, si necesse foret, proferri possent probatissimi testes, unum hic satis fuerit locupletissimum auctorem adhibere Augustinum: qui lib. 2. de adult. coni. c. 5. perpensis Apostoli verbis Rom. 7. „igitur vivente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro etc.“ subiungit: Haec verba Apostoli toties repetita, toties inculcata, vera sunt, viva sunt, sana sunt, plana sunt. Nullius viri posterioris mulier uxor

esse incipit, nisi prioris esse desierit: esse antem desinet uxor prioris, si moriatur vir eius, non si fornicetur. Et Serm. 39. ad coniugatos: Non vobis licet habere nxores, qnarum priores mariti vivunt; nec vobis foeminae habere viros licet, quorum priores uxores vivnnt. Adulterina snnt ista coniugia, non iure fori, sed inre coeli. Nullius proinde momenti est secunda superius adducta ratio, quod acatholici, cum in matrimonia coalescunt, sacramentum suscipere sive perficere nec possint nec velint. Nam praeterqnam quod nil vetat, quominus acatholici utpote baptisati dum matrimoninm sub certis conditionibus contrahunt, illud licet illicite, tamen valide etiam ut sacramentum contrahere dicantur; hoc tamen praetermisso, de quo hic non agitur, quantumvis acatholici matrimonium contrahere velint non nt sacramentum, stat semper, valide ab ipsis contrahi non posse, quin adiunctum habeat perpetuum nexum, adeo, ut nec propter adulterium, nec alia nlla de causa per seculare forum dissolvi queat. Nec maioris momenti tertia est adducta ratio, quae nititur famosa illa conditione: „donec in honestate permanseris," sub qna dicuntur acatholici nonnulli matrimouinm contrahere, qnamque qui non addunt, eam mente retinere perhibentur: etenim rem totam praeclare explicat Benedictus 14. de Syn. Dioec. l. 13. c. 22. et qnidem, si contrahendo matrimonio conditiones contra substantiam coniugii inserantur, ex Decretali Gregorii IX. in Cap. si conditiones, de conditionibus appositis, constat matrimonialem contractum carere effectu. Unde sequitur, nnllum et irritum censendum esse matrimonium eorum, qui praeter errorem, quo imbuti sunt, conditionem etiam adiiciunt de matrimonii dissolutione quoad vinculum interveniente adulterio. Quodsi expressa illa conditio de matrimonio ob adulterium dissolvendo apposita minime fuerit, quantumvis contrahentes in eo fuerint errore, ut matr. vinculum per adulterium dissolvi possit, nihilominus locus est praesumtionis, nt dum matrimonium, prout a Christo institutum fuit, inire voluerunt, illud omnino perpetuum ac interveniente etiam adulterio insolubile contrahere voluerint; praevalente nimirum generali, quam diximus, voluntate de matrimonio iuxta Christi institutionem incundo, eaque privatum illum

errorem quodammodo absorbente: quo fit, ut matrimonium ita contractum validum firmumque mancat. Doctrinam hauc secuta est semper atque constanter Congregatio S. Officii. Hoc idem confirmatur ex quadam decisione soleuni, quam eadem Congregaiio nobis praeseutibus edidit die 1. Aug. 1748. Et sane cum acatholici merito censeantur non aliter velle contrahere, quam ex praescripto divinae legis, nisi haec prima praecipuaque intentio contraria expressa conditione apposita perimatur, non obstat privatus error, quem meute gerunt, quin velint consensum, quem actu praestant, ad eius divinae legis praescriptum accomodare, quale revera est; quod satis est, ut cousensus ille aptus sit per se se ad perpetuum constringendum matrimonii vinculum, prout ipsa divina lege, quam sequi volunt, omuino praescribitur ac sancitur.

Demum ad quaestionem dclabimur, qua extrema pars epistolae clauditur; nimirum postulas, Ven. frater, supremo nostro iudicio tibi declarari: Utrum eotum, dum matrimonia diversae religionis ob adulterium aut alias similes ratioues, quac Iure Ecclesiastico impedimentum dirimens non constituunt, quoad vinculum per forum seculare solvuntur, pars catholica ad alia vota transire cupiens ad eadem libere admitti, taliumque matrimoniis parochi licite assistere possint ac debeant? Profecto facile pro tua sapientia intelliges, non aliud a nobis responsum datum iri, quam quod ex patefacta Ecclesiae doctrina prodit ipsum per se se, ac velut emicat. Nempe 1. si dum isti contrahunt, expressa quaedam conditio ab ipsis inseritur, substantiae matrimonii repugnaus, matrimonialem contractum effectu carere, nullumque adeo contrahi matrimonium. 2. Si nulla sit huiuscemodi adiecta conditio, privatum contrahentium errorem non obstare, quin matrimonium valeat. 3. Posito, quod nullo alio interveniente impedimento valide matrimonium contractum fuerit: validi huiuscemodi matrimonii vinculum nec ob adulterium nec alia ulla de causa per forum seculare dissolvi posse. 4. Nulla proinde secularis fori sententia licitum alterutri parti fieri posse, ac multo minus catholicae, ut vivente priore coniuge ad alia vota transeat. 5. Nec posse adeo nec debere parochum adul-

terinis buiuscemodi coniugiis adsistere. 6. Ex iisdem porro principiis locum non esse petitae dispensationi. In id propterea omni ope incumbendum, firmaque spe summis precibus exorandum Deum Opt. Max. ut quandoquidem Eius opitulante gratia ficti isti miseri coniuges culpam iam suam agnovere, quod in eis bonum coepit, Ipse perficiat, eosque ad salutarem poenitentiam adducat. Quod te, Ven. frater, pro tuo pastorali studio maxime curaturum non dubitamus, tuosque conatus apostolica prosequimur benedictione, quam in nostrae etiam benevolentiae existimationisque pignus tibi ex animo ac peramanter impertimur. Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub annulo piscatoris die 11. Iul. 1789. Pont. nostri anno 15.

Mon. 94.

Instructio S. Congregationis Officii ad Eppum Agriensem de sententiis circa valorem matrimonii per fora secularia latis, a. 1794.

Feria V. die 28. Aug. 1794. In Congregatione Generali S. Romanae et universalis Inquisitionis babita in Pallatio Apostolico apud S. Mariam Maiorem coram SSmo Dno Nro Dno Pio divina providentia Papa VI. ac Emmis et RRmis DD. S. R. E. Cardinalibus in tota Republica Chr. contra haereticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus a Sancta Sede Apost. specialiter deputatis, relatis dubiis propositis a R. P. D. Episcopo Agriensi (die 13. Nov. 1793.) circa secundas nuptias, quas celebrare cupiunt personae, quarum priora matrimonia soluta fuerunt per sententias tribunalium laicorum, vel Consistoriorum Acatholicorum — Sanctissimus auditis votis Emmorum, decrevit respondendum D. Episcopo iuxta adnexam Instructionem.

Instructio. Sedulo perpensis in Congregatione supremae univers. Inquis. coram SSmo Dno nostro Pio PP. VI. babita feria 5. die 28. Aug. curr. anni nonnullis quaestionibus ab Amplitudine Tua propositis circa matrimonia, Eadem

Sanctitas Sua per Instructionem respondendum esse mandavit, quae est huiusmodi. Primum, cum perspectum exploratumque Amplitudini Tuae probe sit, sententias latas a foris secularibus et a consistoriis acatholicis, quibus matrimonia vel declarata fuerunt invalida, vel soluta fuerunt, nullius roboris ac momenti esse: hinc Eadem Amplitudo Tua nemini poterit permittere in vim earumdem sententiarum ad alias nuptias, sed priusquam transitum ad alias nuptias permittat, ad examen revocare debebit in casibus particularibus, utrum intervenerit impedimentum dirimens canonicum, ex quo revera nullum declarari matrimonium possit. Nihil tamen impedimento erit, quominus in huiusmodi iudicio instituendo utaris actibus factis a foris secularibus et a consistoriis acatholicis tamquam probationibus extraiudicialibus. Attentis vero peculiaribus circumstantiis ab Amplitudine Tua expositis, Eadem Sanctitas Sua benigne facultatem ad quinquennium tibi impertitur procedendi summarie instituto iudicio in horum impedimentorum examine, quoties aliter fieri nequeat, deputata tamen persona aliqua, et si fieri potest ex ecclesiastico coetu, iuris scientia pariter et vitae probitate praedita, quae Defensoris Matrimoniorum munere fungatur. —

— Quod vero spectat sententias latas a foris secularibus, quibus non ita pridem duo matrimonia contracta ab haereticis inter se soluta fuerunt, unum quidem ob desertionem viri a duodecim annis, alterum ob desertionem mulieris ab annis decem et septem: Amplitudo Tua probe tenet, eas nullius roboris ac momenti esse; et idcirco in vim earumdem sententiarum nec mulieri pro eo, quod spectat matrimonium primo loco commemoratum, nec viro pro eo, quod spectat matrimonium commemoratum secundo loco, poterit permittere transitum ad alias nuptias. Neque vero illud praeteriri silentio debet, (quod profecto est exploratissimum) ob desertionem sive viri sive mulieris matrimonii vinculum dissolvi non posse. Quapropter cavere diligentissime debebis, ne sive mulieri sive viro solutis a matr. vinculo in vim sententiae a foris secularibus latae, sententiae nimirum quae nullius est roboris, atque ob causam expresse improbatam, transitum ad alias nuptias permittas. —

— Tandem si in aliquo casu nequeat Amplitudo Tua quidquam decernere propter negotii difficultatem, deferre illud debebit ad Sedem Apostolicam, priusquam transitus ad alias nuptias aut denegetur, aut permittatur. Quod praesertim observandum erit, si agatur de matrimonio contracto non servata forma praescripta in praecitata Sess. 24. de ref. matr. cap. 1.

Mon. 95.

Instructio eiusdem S. Congregationis ad eundem Eppum eodem in merito, a. 1795.

Duo petit R. P. D. Eppus Agriensis (4. Aug. 1794.) circa Instructionem eidem transmissam a S. Sede Apostolica quoad causas matrimoniales, de quibus quaesierat. Primum, ut ei declaretur causa, ob quam dum omnes locorum Ordinarii facultates habeant nativas iudicandi ad formam ecclesiasticarum legum de validitate seu nullitate matrimoniorum, facultas isthaec ei coangustetur ad quinquennium duntaxat. Alterum, ut aperiatur ipsi genuinus sensus huiusce facultatis.

Porro utrumque hoc dubium facile responsione diluetur, si Rev. Eppus ea sedulo in memoriam revocet, quae sanctae memoriae Benedictus PP. XIV. in sua constitutione, cuius initium *Dei miseratione* praescribit pro iis casibus, in quibus ab Ordinario cognosci debet de validitate aut nullitate alicuius matrimonii ita, ut pars soluta ad alias nuptias postea possit convolare. Praecipit itaque laudatus Pontifex eo loci, ut servato stricto iuris ordine causae huiusmodi inchoentur citato altero coniuge, imo praeterea ad praecavendas collusiones et condicta, quae inter coniuges ipsos reciproco taedio affectos subrepere possent, vult, ut quilibet Episcopus habeat in sua Curia hominem probum Iuris Canonici peritum, quem vocant Fiscalem matrimoniorum, qui una cum altero coniuge citari debeat iudicialiter in quolibet actu, teneaturque deducere quidquid ad protuendam matrimonii validitatem conferre potest; et cum Ordinario constiterit adesse reapse inter coniuges impedimentum aliquod de iure canonico dirimens,

possit is in hoc contradictorio indicio suam ferre pro tribunali formalem sententiam circa matrimonii nnllitatem, qnae quidem sententia exequutioni demandari non possit, nisi postquam devoluta causa ad S. Sedem, et pro ea ad S. Congregationem Emmorum Cardiualinm S. Conc. Trid. Interpretum ibi in alio pariter indiciali contradictorio iudicio, citatisque similiter tum altero coniuge, tum fiscali seu defensore matr. plane Emmis Indicibus constiterit de iustitia sententiae latae ab Ordinario, et in huius confirmationem altera ab iis prodierit iudicialis sententia. En quomodo inxta apostolicas sanctiones quilibet Ordinarius facultatem nativam habet iudicandi in hisce causis matrimonialibus! Ast quando alicubi tristissimae urgent circumstantiae, ob qnas praescripta iudicialis rigida tessera servari nequeat, Ordinariis succurritur epikeia legis, elargiendo nimirum eis extraordinarias facultates recedendi quanto minus fieri possit ab ordine antefato, quibus quidem facultatibns quilibet Ordinarius seorsum a speciali S. Sedis concessione certo certius destituitur. Videat hinc Rmus Agriensis Antistes, sibi in casibus ab eo expositis non coangustatas sed ampliatas fuisse facultates, dum indultum ei fuit, ut ob expressas circumstantias valeat recedere ab enuntiata tessera, modo tamen servet, quod inxta laudati Pontificis sensum ad substantiam pertinet horum iudiciorum, nempe ut quomodolibet posthabito iudiciali ordine et forma, omissa quoque, si prudentia aut necessitas exigat, citatione seu extraiudiciali interpellatione alterius coniugis, non omittatur saltem deputatio probi hominis scientia iuris canonici praediti, qui rem totam callens validitatem matrimonii pro viribus et quantum honeste fieri potest protueatur, omnia, qnae in id conferunt, diligenter persequatur, eidemque Episcopo ingenue aperiat; quodsi haud obstante hoc defensoris opere Episcopus credat matrimonium ei exhibitum esse nullum, possit remota appellatione ad solutionem procedere. Cum igitur haec facultas egrediatur limites ordinariae episcopalis iurisdictionis, mirum non est, si ad quinquennium duntaxat coercita sit, quoties enim res est de facultatibus extra ordinem, nunquam eas consvevit S. Sedes indefinite et absque limite elargiri. — *Ex Tabul. Dioec. Agriensi.*

Mon. 96.

Archiepiscopi Mechliniensis declaratio doctrinalis super doctrina professorum Seminarii Generalis Lovanii per Iosephum 2. Caesarem erecti: in qua AEppus cetera inter potestatem Ecclesiae in re doctrinae et theologiae ab Imperio Civili haud dependentem, porro in re matrimoniali, et universim potestatem legislativam contra novitiam memoratorum Professorum doctrinam praeclare defendit. A. 1789.

Ioannes Henricus Cardinalis de Frankenburg AEppus Mechliniensis etc. Notum est non solum toti nostrae Dioecesi, sed ceteris quoque Belgii Ecclesiis, et verosimiliter magnae parti Europae, quo ex motivo, qualive impulsu principio Martii anni labentis (1789.) Lovanium adpulerimus. Fecimus nimirum satis tum sacri ministerii nostri partibus, tum voluntati et speciali requisitioni Suae Caesareae ac Regiae Maiestatis. Scopus, quem nobis praefiximus, erat: cognoscere de doctrina facultatis Theologicae, quae actu Lovanii existit, an quippe doctrina haec pura sit et orthodoxa, aut forte quidpiam deprehendatur, quod principiis Ecclesiae Catholicae contrarium, eaqueprópter reprehensibile sit? Actus sane momentosissimus nostrae iurisdictionis erat huiusmodi investigatio super doctrina Facultatis Lovaniensis! ob multiplicem nexum et influxum cum bono Ecclesiae non minus quam Civitatis harum Provinciarum. Quare ut in negotio tanti momenti nihil praecipitaremus, primum et ante omnia nomen Domini invocavimus, lumenque Spiritus S. imploravimus, tunc personas consuluimus, quas character, pietas, scientia prae ceteris commendarent; verbo nil neglеximus eorum, quae profutura censebamus, ut necessariam cognitionem omnium circumstantiarum ad examen nostrum debite instituendum procuremus. — — Videbatur nobis haud esse aliud medium perveniendi ad praefixum scopum, quam examen doctrinale instituere a) super sensis Professorum institutioni in Generali Seminario praepositorum quoad certa capita

doctrinae catholicae, quae materiam suspicionibus de heterodoxia praebere potuisse existimabamus; b) super doctrina in libris sic dictis classicis pro usu alumnorum Seminarii destinatis exposita. — — Ratio autem, quam in instituendo doctrinali isthoc examine sectati sumus, duobus his principiis innitebatur: *primo*, quod orthodoxia scholae alicuius id exigat, ut inter veritates, quas docet, nulla sit Ecclesiae Catholicae contraria, ac totum id, quod Ecclesia tradit, absque restrictione proponat; *secundo*, quod Episcopus qua naturalis iudex in rebus fidei ius habeat et potestatem cognoscendi et iudicandi de doctrina; porro cum Ecclesia exclusive de fide iudicet, Episcopus omnem doctrinam ab Ecclesia tamquam heterodoxam per iudicium canonicum proscriptam pro tali habere debeat, seu decisio ista Ecclesiae sanctionem legis civilis pro se habeat sive non; demum institutio catholica non solum id, quod manifeste fidei adversatur, excludat, verum etiam propositiones fidei indirecte repugnantes, ut sunt propositiones haeresim sapientes, de ea suspectae, ei proximae, scandalosae, erroneae etc. — His stabilitis principiis — Professoribus Scholae Lovaniensis proposuimus quaestiones, ad easque responsa ab iis exegimus. —

---

§. 4. Propositiones Professoribus ad resolvendum datae: „1. Canon 4. Sessionis XXIV. Concilii Tridentini est dogmaticus. 2. Per verbum „Ecclesia“ in illo Canone intelliguntur Ecclesiae rectores, idest, Primas Ecclesiae et Episcopi. 3. Potestas, de qua agitur in eodem Canone, accipi debet de potestate propria et a Christo concessa.“ Petitur de singula propositione, utrum aperte repugnet veritatibus revelatis vel aliis in ratione fundatis, aut utrum sit certa? aut utrum saltem sit verosimilis, et verosimilitudo tanta sit, ut in praxi debeat attendi? — Lovanii die 18. April. 1789.

Responsum Professorum Lovaniensium: „*Wouters*: De interpretatione Canonis quarti Sess. 24. C. Trid. disceptant plures sciente et non contradicente Ecclesia; cumque hactenus Ecclesia rem non deciderit, meum certo non est hanc

controversiam meo responso velle dirimere. — *Sentelet* : Canon quartus Sess. 24. C. Trid. est dogmaticus, saltem quatenus damnat doctrinam Lutheri. — Non est ab Ecclesia decisum quod potestas, de qua agitur, accipi debeat de propria potestate et a Christo concessa. — *Dillen* : Controvertitur inter auctores, num sit dogmaticus nec ne? quaestionem hanc decidere meum non est. — Controvertitur, aliis de propria id intelligentibus auctoritate, aliis id negantibus : his vel illis absque Ecclesiae decisione palmam adiudicare non ausim."

Professores Lovanienses ad propositiones huius §. responsa dederunt obliqua, exceptionibusque et conditionibus speciosis cooperta. — Veritas trium propositionum nostrarum vel e simplici Canonis quarti Sess. 24. C. Trid. lectione eruitur; nec potest de Canone isto aliter statui, quin clarissimo textui violentia inferatur. Dirigebatur Canon, ut notum est, contra Lutherum eiusque asseclas, qui magna parte impedimenta dirimentia ab Ecclesia constituta legitima esse negabant; oportebat itaque vindicare auctoritatem Potestatis, quae illa instituit : quod manifeste doctrinae erat obiectum, vereque absurdum est adstruere, quod Canon contra Lutheranos editus duntaxat disciplinam spectet. Nam cum canones disciplinares dirigant mores, canones vero dogmatici fidem, in quarto autem canone nullius actionis moralis ponendae aut omittendae fiat mentio, sed unice doctrina de matrimonii impedimentis tenenda proponatur : manifestum est, canonem hunc inter disciplinares referri haud posse. Ipsum quoque anathema non adversus illos dirigitur, qui matrimonia contra dispositionem decreti irritantem attentant, sed contra eos, qui potestatem Ecclesiae ea irritandi controvertunt. — Veritas secundae propositionis tam est evidens, ut eam solummodo is addubitare ausit, qui notiones rerum confundere, et communem Catholicorum reprehensionem incurrere velit. — Quod tertiam propositionem concernit, Ecclesia semper in huius sensu Canonem quartum accepit. Scriptores ipsi orthodoxi omnium Nationum ita indicarunt, potestatem scilicet impedimenta matrim. dirimentia statuendi Ecclesiae a Iesu Christo concessam fuisse; adeo ut

stupor et indignatio omnes compleverit, dum Launoyus Doctor Sorbonicus eo temeritatis venit, ut potestatem huiusmodi Ecclesiae controverteret. Temeritas Launoii et reclamationes coaevorum Scriptorum excitavit, et reprehensionem Episcoporum Gallicanorum, sed et totius Catholici orbis provocavit. Systema illius exoticum nec in Theologia, nec in Iurisprudentia ullam produxit revolutionem. Opus ipsum Romae in numerum librorum perniciosorum relatum. Ipso Seculi 18. exitu praetensiones Launoii resuscitatae cum fuissent, eandem sortem in scholis Catholicorum expertae sunt, quam vivente Launoio habuerunt, et Ecclesia Romana, mater et magistra omnium Ecclesiarum, conservationi communis doctrinae depositi constanter intenta, contra novitatem hanc numquam non protestata est, perhibentibus pluribus Rescriptis RR. Pontificum. — Sunt et aliae rationes, sensum canonis quarti Sess. 24. C. Trid. nostra propositione expressum magis adhuc determinantes. Etenim si potestas, de qua Canon loquitur, tantum delegata foret, definitio Concilii huc reduceretur: potestatem civilem habere ius statuendi impedimenta dirimentia, et per huius concessionem sive delegationem Ecclesiam quoque eadem gaudere potestate. Quum iam Civilis Potestas sua iura suasque cognitiones e rationibus naturalibus, et e Codice legum civilium, non autem e fontibus revelationis, utpote e Scriptura S. et Traditione hauriat: alienum esset, quod Patres Tridentini sub anathemate definierant, fidelibusque ceu veritatem dogmaticam proposuerant, ut quippe hi sub obtutu pure civili suum captivent intellectum, et velut veritatem credendam amplectantur, quae sola Civilis Potestatis niteretur auctoritate. Neque potuisset Conc. Tridentinum, si potestas Ecclesiae tantummodo delegata et a Civitate concessa esset, sectatores Lutheri efficaciter comprimere, catholicamque veritatem infallibiliter declarare; Lutherani enim merito privatam duntaxat auctoritatem Patribus Tridentinis obiecissent, qua ipsorum fulciretur decisio, imo id quoque allegare valuissent, potestatem a Principibus Ecclesiae concessam ad eorum solum Principum dominium restringi, qui Ecclesiae Catholicae sunt filii, quique eam potestatem nondum revocarunt. Quo posito an non

absurdum erat Concilii decretum, quod per Principes ad eorum arbitrium revocari annullarique poterat? — Ceterum multis argumentis probari potest, potestatem, de qua toties memoratus Canon agit, Ecclesiae vere propriam, et a Christo concessam esse. Iesus sane ipse plures tulit leges vinculum matrimonii concernentes; Apostolus Paulus in favorem professionis religiosae matrimonium nondum consummatum dissolvendi facultatem tribuit; — Ecclesia hanc potestatem constituendi impedimenta dirimentia perpetuis temporibus exercuit, iam nova statuendo, iam alia adoptando, iam et statuta modificando, quin ullibi vestigium reperiatur talem potestatem a Principibus eidem datam fuisse; imo prorsus independenter a nutu Principum potestate sua usa fuit; ad eam ex omnibus orbis Christiani partibus recurrebatur pro obtinendis dispensationibus, quas concessit aut denegavit, prout convenire iudicavit; leges ab Ecclesia quoad impedimenta latae non tantum in regionibus, quarum Moderatores Christo nomen dederunt, minime restrictae erant, sed et ad Nationes illas extensae, quarum Principes adhuc infideles exstiterunt. — Postremo Christus Dominus, dum matrimonium ad originariam suam institutionem revocaret, atque ad Sacramenti dignitatem elevaret, Ecclesiam qua depositariam suae auctoritatis alioquin potestate instruxit, ad conciliandam tanto Sacramento venerationem, et ad repellendas abominationes, queis apud gentes foedabatur, necessaria: cuiusmodi potestatis resultatum erat, conditionum determinatio, quibus stantibus validum, deficientibus nullum foret matrimonium. — Nec perspicimus, quo pacto fieri possit, ut qui Principes Civiles huiusmodi potestate donant, ea Ecclesiam spolient; praesertim quod obiectum coniunctionis matrimonialis non cadat sub arbitrium terrestris Imperii ita, prout materia ceterarum coniunctionum conventionumque civilium. Quodsi autem potestas impedimenta irritantia statuendi e sublimiori scopo Principibus adiudicatur, eo nimirum, quod ipsa ratio Status exposcat, ut Principes matrimonia ordini politico quacunque ratione praeiudiciosa rescindant: tum profecto multo maiori iure potestatem isthanc Ecclesia pro se vindicat: quippe quod salus fidelium in regula a matrimoniis bene

conciliatis dependeat, neque proles, matrimoniorum fructus, magis pro republica quam pro coelo sive Ecclesia nascantur. — Quorum in nexu declaramus, nobis impossibile fore ut doctrinam eam tamquam puram et orthodoxam censeamus, quae ius ac potestatem Ecclesiae hoc in puncto controvertit, ac addubitat. Videamus iam, qualiter Professores Lovanienses exspectationi nostrae in suis ad quaesita nostra responsis satisfecerint. — Professor *Maziere*, cum propositionem de potestate Ecclesiae constituendi impedimenta dirimentia ad dogmata neutiquam pertinere asserat, eius solutionem ab se qua Dogmaticae Professore nequaquam fieri debere respondit. Equidem permulti tam e Theologis quam e Canonistis sine haesitatione docent, dogma esse fidei, quod Ecclesia a Iesu Christo acceperit potestatem constituendi impedimenta dirimentia: nostra tamen propositio Professoribus facta de dogmate fidei non sonabat. Dantur nimirum veritates, quae etsi supremum illum certitudinis gradum nequaquam attingant, qui ad definitionem Ecclesiae dogmaticam requiritur: semper tamen summa in veneratione habitae sunt, et sine scandalo ac temeritate in dubium vocari a nemine possunt; ideoque nos in propositione nostra id solum quaesivimus, an ea sit satis fundata in praxi: an sit certa? ad cuiusmodi quaestionem Professor memoratus responsum eo minus declinare poterat, quod propositio nostra etiamsi forte haud stricte dogmatica, necessaria tamen sit appendix doctrinae de Sacramento Matrimonii, et inter decreta dogmatica C. Tridentini relata habeatur, eoque ipso a Professore Dogmatices silentio premi haud possit, sed potius contra adversariorum exceptiones vindicari debeat. Reprehensionem itaque nostram idem Professor hoc minus effugere potest, quod, dum praesentis temporis adiuncta silentium in re tam gravi abrumpendum exigunt, Professoris Dogmatices omnino interfuisset, auditores suos contra erroneam opinionem praemunire: Error enim, cui non resistitur, approbatur, et veritas, cum minime defenditur, opprimitur. Dist. 83. c. 3. — Professor *Marant* instar responsi ad nostra quaesita, affirmavit adprobare se sensa Pothierii, qui in Tractatu suo de Contractu Matrimonii P. I. cap. 3. art. 2. ait: „Matrimonium in tan-

tum esse potestati ecclesiasticae subiectum, in quantum est Sacramentum;" quae propositio in suo systemate quantopere sit illusoria, ex iis apparet, quae idem Auctor P. IV. cap. 1. sect. 3. art. 1. §. 4. de decreto C. Tridentini loquens in medium adfert: „Concilium nempe Tridentinum excessisse suam potestatem, cum propria auctoritate declaravit nulla fore matrimonia, in quibus forma ab ipso praescripta non esset observata; matrimonia enim, in quantum sunt contractus, more ceterorum contractuum ad ordinem politicum pertinere, et consequenter ad sphaeram Potestatis Civilis referri; a Concilio autem decidi non potuisse validitatem vel invaliditatem matrimoniorum." Auctor igitur iste potestatem Ecclesiae in re matrimoniali redigit ad statutionem legum privatarum quoad celebrationem Sacramenti; ipsum autem ius annihilandi sive irritandi contractum matrimonialem Ecclesiae abiudicat, contra disertam Concilii Trid. sententiam: iuxta cuius sensum nulli potestati humanae datum est, constituere impedimenta dirimentia ipsum Matrimonii Sacramentum adficientia, quod alioquin absque contractu subsistere nequit, et impedimenta quaevis dirimentia canonica in ipsum cadunt contractum. Quicunque proinde Ecclesiae hanc potestatem abiudicat, ipsum Concilium errasse profitetur, dum memoratam potestatem Ecclesiae sub comminatione anathematis adversus aliter sentientes stabilivit. — E quibus iam videre est, quam paradoxa sint Auctoris, ad quem nos Professor Marant relegavit, asserta. — Reprobamus quoque responsa Professorum Wouters et Dillen: cum non audeant asseverare, sententiam de potestate Ecclesiae certam esse et sic stabilitam, ut in praxi attentionem mereatur, sed illam duntaxat instar dubiae opinionis habeant, quam controvertere integrum sit. Insuper falsum est, quod Wouters addit: Ecclesiam ipsam contra eos, qui potestatem hanc ei abnegant, semet haud declarasse. reclamarunt profecto Episcopi Galliae adversus assertum Launoii; reclamarunt Episcopi Belgii; reclamavit Ecclesiae Caput, systema Launoianum energice comprimens. — Declaramus itaque, nec haec responsa Professorum Lovaniensium nobis satisfecisse, esse

que talia, quae reprehendi mereantur. — Mechliniae, die 26. Iun. 1789.

Mon. 97—99.

Facultas Theologica restituta Lovaniensis datis ad AEppum Mechliniensem literis, editoque decreto, tum tota quoque Universitas declarationi doctrinali AEpiscopi subscribunt. A. 1790.

97. *Eminentissime* etc. Redditae nobis fuerunt literae, ab Eminentia Tua die 14. Ianuarii ad nos directae, quibus pro tuo erga Religionem Catholicam et Ordinem nostrum affectu a nobis requiris, ut pro manutenenda, quantum in nobis est, sana doctrina ac avertendis erroribus noxiisque novitatibus, tecum collaboremus. Recepimus etiam iunctum his tuis literis exemplar Declarationis, seu iudicii doctrinalis, quod super opinionibus et doctrina Professorum Seminarii Generalis seu novellae scholae Lovaniensis Eminentia tua die 26. Iunii 1789. pari fidei ac fortitudinis spiritu Mechliniae edidit, Belgis, qui nondum avitae religionis sensum exuerant, ubique plandentibus. Sane cum Episcopatus tuus tum ob res praeclare gestas, tum ob fortiter toleratas Religionis causa persecutiones, et pro Christi nomine contumelias seris nepotibus erit memorabilis: fateri tamen cogimur, Amplissime Cardinalis, nullum sollicitudinis tuae pastoralis extare monumentum ea Declaratione celebrius, nullum quoque ad veteris orthodoxaeque doctrinae tutelam ac aedificationem populi Christiani opportunius. Tametsi vero immortale hoc tuum opus, Antistes Vigilantissime, iam ante singuli avide legeramus, quum ad nos solemniter mitteretur: tamen ubi recepimus, ut a singulis collegii nostri magistris attente iterum ac diligenter evolveretur, ad curam nostram et officium pertinere credidimus. Effectum vero inde fuit, Praesul Eminentissime, ut Facultate nostra dein sub iuramento et specialiter convocata, re omni mature perpensa atque divino lumine invocato, Declarationi supradictae seu iu-

dicio doctrinali Emiueutiae Tuae plene et siue cunctatioue ulla subscriberemus, prout nos pure et simpliciter eidem subscribere atque adhaerere uuauimiter per has praesentes literas profitemur. Iusuper ordiuationem seu Programma edendum censuimus hisce iuuctum, ut orbi christiauo manifestum foret, quid pro pace et veritate adversus peregrinas uovitates, quae per hos annos in Ecclesias Belgicas, ipsamque hanc Academiam irrepserant, egerit Schola Theologica Lovanicusis. Aptius certe nobis uullum visum est remedium, quo erroneae novitiaeque doctrinae suspicio — quamquam haec nou tam Facultatem Theologicam Lovaniensem, quam ei subrogatos perverso cousilio Seminarii generalis Professores insecuta esset — feliciter et penitus submoveretur. Securi ergo deinceps, uti quidem Deo protegente coufidimus, esse poterunt Revereudissimi Belgii Episcopi, Tuque inprimis, illustrissime Primas, in cuius Dioecesi cousistimus, Theologiae alumuos, quos ex Universitate scholaque Lovanicnsi ad ordiuum susceptionem aut animarum curam vestro cxamini praesentari coutigerit, tuto hac in parte admitti acceptarique posse; maxime cum iam alio diverteriut subintroducti falsi fratres, qui subiutroieraut explorare libertatem nostram, quam habemus iu Christo Iesu, ut nos in scrvitutem redigerent — Gal. 2, 4. Prodierant quidem ex nobis, atque inter nos enutriti fueraut; verum quod Ioauncs Apostolus olim dixit, uon eraut ex nobis, nam si fuissent ex nobis, permansissent utique uobiscum I. Ioau. 2, 19. in iis, quae a maioribus didiceramus; sed, quae Dei est singularis iu Belgium provideutia, ultra uon proficient, insipieutia enim eorum, tua inprimis pastorali sollicitudine, manifesta erit omnibus. II. Tim. 3, 9. — Lovanii 10. Maii 1790.

---

98. *Decanus et Facultas Theologica studii generalis oppidi Lovaniensis.* Iam anni aliquot elapsi sunt, ex quo scholae nostrac doctrina, tametsi maiorum nostrorum placitis et Ecclesiae sauctionibus plaue cousentiret — ueque enim per hos auuos in aliqua doctrinae parte nos Lovanii inno-

vasse a quopiam obiectnm fuit — illis, qni Austriacae Domus nomine Belginm moderabantur, non modo displicere, verum etiam paulatim subrni coepit, obiectis identidem impedimentis, qno minus libere, qnae sentiremus ipsi, quaeque a Maioribus acceperamns, Belgicae iuventuti traderemns. Qnamvis autem vulgo notum esset, Facultatem nostram graviter sane ferre eam, in qnam redigebatnr servitutem: nostris tamen qnerelis insnperhabitis non modo iugnm aggravatum fuit, sed et aliae ex aliis novitates irrepsere, quae a Germaniae oris huc invectae erroris iam non dissimulandi, quin et schismatis periculum haud dubie inbebant praesagire. Catholica demnm res in apertnm discrimen addncta et apud Belgas poene desperata visa fuit, cum cathedra et loco maximam partem deturbatis collegii nostri magistris, novisque adscitis sen verius intrnsis Seminarii generalis professoribus totius tandem christianae instructionis snmma ad laicorum manus, civilemque potestatem, contra Christi Domini institutionem, infeliciter dilapsa esset. Verum enimvero in hoc ancipiti rerum statn misericors Deus, qui facit mirabilia magna solns, impendentem Belgio tempestatem avertit, lucemqne fecit in tenebris splendescere. Ecce enim Emmus Cardinalis a Franckenberg AEppus Mechliniensis iussu Caesareo Lovaninm accersitur, nt Seminarii generalis professorum doctrinam, quae plnrimis merito suspecta visa fuerat, ipse tamquam fidei iudex discutiat, ac de eiusdem perversitate aut sinceritate publica pronunciet. Ergo vigilantissimus Praesul, ministerium sunm implens, propositis eius argumenti qnaestionibns, in qno per haec tempora maxime innovari solere perspectum habebat, qnae sit circa singulas professorum sententia, diligenter ex iismet explorat, ea nimirum cautione adhibita, ut de eorum doctrina sensisque non per alios, sed per ipsos professores, idque scripto, nt cavillandi praeriperetur occasio, palam constaret. Quale porro visis seduloque discussis professornm responsis indicium tulerit Archipraesul, urbi et orbi notum est, postquam eiusdem de doctrina scholae novitiae Lovaniensis solemnis Declaratio typis iam plnries expressa atque avide excepta in omnium manibus versari coepit. Cum vero proh dolor! in hac ipsa

Academia, fidei catholicae aeque ac scientiarum altrice, peregrina novitas nonnullos pervicacius occupasset, existimavit Emmus Cardinalis recuperata libertate Declarationem suam praeprimis Lovanium mittendam esse, ut illic ad manum esset remedium, ubi contagium non ita pridem licentius grassabatur, et Lovaniensis schola fidei integritate ac puritate ante haec tempora toto orbe celebris pristino iterum decori ac dignitati restitueretur. Nos igitur Declarationem istam grato inprimis animo, et velut luculentam Emmi Praesulis erga Ordinem nostrum benevolentiae testificationem accepimus, atque ut a singulis collegii seu Facultatis nostrae magistris ea qua par erat attentione evolveretur sedulo providimus. Ceterum re diligenter — perfecta, omnes pariter deprehendimus, doctrinam in iam dicta solemni Declaratione comprehensam Ecclesiae Catholicae, et, quod ab ipso Archipraesule scite observatum fuit, maiorum nostrorum placitis penitus consentire. Nec sine ingenti laetitiae sensu observare nobis licuit, Emmi Antistitis sollicitudine ac sapientia id cumulatissime fuisse praestitum, quod alioquin ad amoliendam a Lovaniensi schola perversae doctrinae suspicionem pro officio, quod in Ecclesia Dei gerimus, a nobis ipsis prorsus fuisset praestandum. Quapropter nihil reliquum esse videtur, nisi ut, quod provide sapienterque in hac causa gestum fuit, nostro etiam assensu firmemus. Palam itaque et perlubenter profitemur, omnia et singula, tum in examine doctrinae professorum, tum in ipsa declaratione seu doctrinali iudicio rite ac legitime peracta fuisse, nosque eidem Declarationi in omnibus sine exceptione ulla aut cunctatione pure et simpliciter adhaerere, publice agnoscentes, Archiepiscopali illo iudicio seu declaratione maiorum nostrorum, id est, avitam Lovaniensis scholae doctrinam, a qua perperam novelli professores recesserant, perspicue contineri. Quaecunque etiam Emmus Cardinalis tum in professorum responsis, tum in libris classicis Seminarii generalis adnotavit reprehensione ac animadversione digna esse, nos quoque recte reprobata reprehensaque fuisse censemus. Ergo, quod unum Facultatis nostrae est, maiorum vestigiis inhaerentes, mandamus Theologiae studiosis omnibus, et quibusvis

aliis quacunque ratione nobis subiectis et in posterum subiiciendis: primum, ne quid usquam teneant, doceant aut profiteantur, quod dogmatibus, positionibus, et doctrinae in solemni Cardinalis AEppi Mechliniensis iudicio seu Declaratione de 26. Iunii 1789. comprehensis adversetur; deinde, ut eadem fideliter, cum locus et occasio postulabit, tueantur et explicent; demum, ut ab erroneis, suspectis et reprobatis opinionibus, quae tum in Professorum responsis, tum in libris classicis Seminarii generalis notatae fuerunt, non modo sollicite sibi caveant, sed easdem e contrario impugnare et convellere satagant: hanc tamen nostram ordinationem Ecclesiae et Sedis Apostolicae iudicio ea qua par est obedientia in omnibus submittentes. — Datum Lovanii 10. Maii 1790.

---

99. *Nos Rector et Universitas studii generalis oppidi Lovaniensis.* Quod optimis quibusque Reipublicae moderatoribus ac piissimis Magistratibus maxime semper curae fuit, non quidem ut de rebus fidei aut religionis negotio iudicium sibi sumerent, sed ut, quae in hac parte ab Ecclesiastica auctoritate legitime et salubriter sancita aut definita fuissent, promto inprimis obedientiae exemplo, tum etiam quum res aut occasio postularet, publica potestate aut iurisdictione promoverent ac tuerentur: id ipsum alma studiorum Universitas hoc praesertim tempore ad officium suum pertinere credidit; idque eo potissimum consilio, ut omnibus palam ostenderet, a novitiis quorumdam, quos olim in sinu suo foverat, professorum opinionibus ac erroribus neminem filiorum suorum, quos quidem agnosceret, non alienum esse, fuisseque semper, nihilque iis peraeque cordi esse, quam in antiqua Ecclesiae et maiorum nostrorum doctrina atque in Sedem Apostolicam observantia habitare perpetuo ac consenescere. Quare notum sit universis, Eminentissimum D. Cardinalem AEppum Mechliniensem, quum ab aliquo tempore celebrem suam, quam de doctrina professorum Seminarii, uti dicebatur, Generalis die 26. Iunii 1789. Mechliniae ediderat, sententiam ad S. Facultatem The-

ologicam Lovanium misisset, eandemque ad promendum assensionis suae firmum ac stabile iudicium simul invitasset, pro pastorali sua sollicitudine literas etiam ad nos dedisse, quibus inter alia nullam sibi adesse dubitationem asserebat, quin ipsa quoque Universitas coniunctis studiis animisque hanc fidei et doctrinae causam pro viribus tueri, ac pro auctoritate sua sustentare modis omnibus festinaret. Nos igitur tam pio tamque salutari Eminentissimi Antistitis desiderio morem gerere cupientes, atque id praestare, quod modo praestitit Facultas nostra theologica, edito in hanc rem programmate, quo omnibus sibi subiectis ac in posterum subiiciendis severe mandat, ut avitam Ecclesiae Romanae ac Scholae Lovaniensis doctrinam, quam in laudato Archiepiscopali iudicio perspicue contineri publice profitetur, magna deinceps constantia teneant ac tueantur, neque usquam contraria docere aut tenere in animum inducant: idem nos omnibus ac singulis Universitatis nostrae alumnis, ceterisque quavis ratione eidem subiectis, clericis tam regularibus quam secularibus, laicisque, docentibus aeque ac discentibus, salva tamen ubivis Ecclesiae et Sedis Apostolicae auctoritate, iniungendum duximus, prout praesentium tenore iniungimus, mandantes promotori nostro, ut sedulo advigilet, ne quisquam hanc ordinationem nostram ausu temerario, ullo unquam tempore aut loco infringere praesumat. Datum Lovanii 24. Maii 1790. — Synod. Belgicum. II. 75. ss.

Mon. 100.

Clerus Hungariae in suis Gravaminibus contra ordinationes Iosephi II a. 1790 propositis ius de rebus matrimonialibus sententiam dicendi Ecclesiae vindicat.

Gravamina generalia. 5. Secundum leges patrias Canonibus conformes habebat *Status Ecclesiasticus* in quavis dioecesi *forum sibi proprium*, in quo praeter causas natura sua spirituales constanter iuxta Canones et leges regni diiudicabantur *causae matrimoniales cum suis accessoriis*, periuriales,

testamentariae etc. Nunc et foro sibi auctoritate utriusque iuris competente, et omni quoad enumeratas causas ius dicendi potestate exutus est Status Ecclesiasticus, materiis hucdum fori spiritualis ad iudicia saecularia translatis. —

Mon. 101.

Repraesentatio nomine Cleri et populi catholici Hungarici ad Regiam Maiestatem contra favores Acatholicis per Resolutionem Regiam concessos, a. 1790.

Benigna SS. Maj. Vestrae propositio sub dato 7. curr. mensis Novembris ad JJ. SS. et OO. Regni Hungariae et Partium adnexarum Posonii diaetaliter congregatos in negotio Religionis interventa communem animarum nostrarum dolorem provocaverat; qui dolor tanto vehementior est, quo propius sperabamus fore, ut negotium hoc ad plenam et iustam utriusque partis satisfactionem determinetur, taliterque clementissima Maj. Vestrae intermediatione constabilimentum civilis illius unionis et concordiae, quae publicae felicitatis foecunda mater est, plurimum adiuvetur; moestissimis interim oculis intuemur, talia per Maj. Vestram pro animorum conciliatione proponi media, queis nos salva Regiae eminentiae dignitate, salvis patriae legibus, salvis iuribus ac constitutionibus Romano-Catholicae Religionis, salvo denique conscientiarum nostrarum dictamine consensu nostro accedere nullatenus possumus, licet nihil magis in votis nostris esset, quam benignissimis his Maj. Vestrae consiliis homagiali cum promtitudine obsequi. Sunt illa insuper praeter et ultra claros tenores ac mentem ipsarum inarticulatarum Viennensis et Lincensis Pacificationum, quas Maj. Vestra pro basi et fundamento perpetuo definiendi Religionis exercitii clementer assumere dignata est. Nam

11. Tenore § huius universae causae matrimoniales Aug. et Helv. Cf. addictorum propriis ipsorum Consistoriis iuxta religionis suae principia diiudicandae relinquuntur. Tentarunt quidem hoc concives nostri occasione etiam tra-

ctatus Pacis Viennensis impetrare, impetrarunt tamen minime, quia ad 7 eiusdem Pacificationis articulum disertis verbis ponitur: ut ‚Sedes Spirituales' maneant. Spirituales has Sedes Romano-Catholicas fuisse tum ex usitata per leges nominatione, tum exinde etiam clarum fit, quod concipi nequeat, iam tunc Evangelicos sua praebabuisse publica Consistoria, quibus nec publicum antea religionis exercitium in regno hocce admissum fuit. Provocatus Viennensis Pacif. articulus rursum art. 7: 1608. ante coron. confirmatus extitit, taliterque matrimonia illorum etiam secundum antiquam legum provisionem tractabantur; sed quia sub Pacificatione Lincensi de statu Sedis Spiritualis utrinque tractatum et agitatum rursus fuisset, § 11 eiusdem Lincensis Pacif. conclusum tandem est, ut primis statim Comitiis aliquid certi de illis statuatur, in cuius sequelam declaratum etiam est art. 15: 1647, ut Evangelici in matrimonialibus in usu consveto permaneant. Ex his certum et evidens est, Spirituales Sedes semper in statu quo permansisse, neque unquam ius diiudicandarum causarum matr. funestissimis licet bellorum temporibus dimisisse; patet item ex praeallegato Lincensis Pacif. § 11, circa statum Spiritualium Sedium nihil determinatum fuisse, sed quaestionem hanc ad Diaetam Regni seu legislativam potestatem remissam extitisse, ibidem autem usum vigentem et consvetum confirmatum fuisse. Quomodo igitur cum summo Rom. Cath. Religionis praeiudicio pro revisione causarum harum distinctum plane forum, et illud nova et inusitata iurisdictione donari posset, quando divortiales iuxta Evangelicorum principia latas sententias a Catholicis pro validis haberi vetat dogma catholicum, quo credimus et credere debemus, vinculum matrimonii neque ex adulterio, neque ex sterilitate, neque ex implacabili odio et aversione aliisque pluribus, quas ad divortium pro sufficientibus causis habent Evangelici, dissolvi posse? quomodo item sive Comitatus, sive aliae publicae Iurisdictiones latam novi huius Consistorii sententiam ad effectum dirigent, principiis Rom. Catholicis saepe adversam? hinc ad tollenda et praecavenda diversa illa incommoda, quae ex ratione inaequalis systematisationis duorum fororum consistorialium tam quoad suc-

cessionem quam et complura alia obiecta futuris temporibus indubie oritura sunt, pro iurium et conscieutiarum tranqnillitate non aliud superest efficacius medium, quam si matrimoniales causae omnium Christianornm posthac etiam ad Spirituales Sedes R. Catholicorum fine discussionis et decisionis relegatae fuerint, ubi ceteroquin praecipna cnrarum pars eo dirigitur, ut iustitia promte ac fideliter omnibns administretnr, nec tale quidpiam statuatur, quod sive iura concivium, sive libernm religionis exercitinm laedat ac interturbet. — *Ex Tabulario Vaticano.*

Mon. 102—104.

Ex Repraesentationibus Card. AEppi Viennensis ad Leopoldum II Imp. de matrimonio. 1790.

102. *Repraes. I.* — 14. Das Ehepatent hat, wiewohl wider die Absicht weiland Sr. k. k. Majestät, sehr widrige Folgen nach sich gezogen. Man fing an die Ehehindernisse der Kirche, wenn sie nicht zugleich in diesem Patente enthalten sind, für unwirksam anzusehen, oder nach landesfürstlicher Dispense für anfgehoben zu halten : ja man sprach der Kirche sogar alle Macht ab, Ehehindernisse zu setzen, und beschuldigte den tridentinischen Kanon ‚si qnis dixerit, Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta matrimonium dirimentia, vel in iis constituendis errasse, anathema sit' eines offenbaren Irrthums, oder legte ihn auf die ungereimteste Art nach eigenem Sinne aus. Verschiedene andere widrige Folgen sind bereits entstanden. Hierher gehören die unzähligen Trennungen von Tisch nnd Bett, da sie auch lebenslänglich bleiben können, znm grossen Verderbnisse der Sitten nnd des Staates besonders, da es nach obigen Grundsätzen nicht ungewöhnlich ist, dass schon geschlossene Ehen für nngiltig erkennet werden, und §. 26. sogar nach Vollbringung der Ehen, deren Bedingniss erst erfüllt werden soll, die Giltigkeit derselben noch ungewiss bleibt. —

103. *Repraes. II.* a) *Gebrechen.* 9. Die Verwirrung und Unordnung, welche durch das neue Ehepatent vom 16 Jänner 1783 entstanden, ist nicht minder gross als die Gefahr, welcher die Giltigkeit der kathol. Ehen hiedurch ausgesetzt ist. Es ist auch leider so weit gekommen, dass sowohl Regierung, als die Kreisämter den Pfarrern und Seelsorgern bei wirklichem Pönfall auftrugen, einige Parteien zu trauen, wenn gleich die Bischöfe billige Bedenken trugen, derlei Ehen zuzulassen. 10. Se. Majestät der Kaiser sel. Andenkens haben mit Seiner damals in Wien anwesenden Päpstlichen Heiligkeit in Betreff der Dispensen in Ehehindernissen einen förmlichen Vertrag gemacht, welcher allen Bischöfen in den österr. Landen und dem Königr. Ungarn zur Beobachtung durch ein ordentliches Dekret kundgemacht wurde. Allein man ging von diesem Vertrage willkürlich ab, Befehle kreuzten sich über Befehle, und die Bischöfe wurden öfters in die grösste Verlegenheit gesetzt, wenn sie den willkürlichen und nicht selten sich untereinander entgegenlaufenden Befehlen der weltlichen Stellen Folge leisten sollten. — b) *Abhilfsmittel. Ad.* 9. Die Bischöfe wären in die ihnen diessfalls unstreitig gebührenden, von der ganzen kath. Kirche anerkannten, und von dem allg. Kirchenrathe zu Trient entschiedenen Rechte, die sie auch von jeher bis zur Regierung Sr. Maj. des Kaisers Joseph ausgeübt haben, wieder einzusetzen. Das Ehepatent vom 16 Jänner 1783 wäre daher also zu berichtigen, dass die Aufhebung kanonischer Hindernisse, oder deren Umstaltung, dann Entscheidung über die Giltigkeit oder Nichtigkeit der eingegangenen Ehen, Trennungen der Ehen vom Tisch und Bette, und die Erkenntniss in Ehesachen überhaupt von den weltlichen Obrigkeiten den Bischöfen wieder zurückgestellt werde. *Ad 10.* Diesen Irrungen würde durch eine zu erlassende allerh. Verordnung abgeholfen, vermög welcher sowohl von geistlich- als weltlicher Seite nach dem erwähnten Vertrage sich genau zu achten anbefohlen würde. Es ist so weit gekommen, dass von den Stellen an die Bischöfe Personen zu dispensiren, oder auch sogar von Kreisämtern an die Pfarrer Leute zu trauen unter harten Bedrohungen Aufträge erlassen worden, gegen welche

Dispensen und Trauungen die Bischöfe und Pfarrer billige und gegründete Anstände hatten. —

104. *Ex Protocollo Commissionis C. R. Aul. super repraes. Praesulum.* — 8. Über das Ehepatent ist, nach Ausnahme der Bischöfe von Königgrätz und Linz, die Klage der übrigen allgemein. Die dadurch den weltlichen Stellen ganz eingeräumte Entscheidung in Ehesachen, dass man canonische Hindernisse aufgehoben oder umgestaltet, und andere dagegen eingeführt, diess sehen sie als einen Eingriff in ihr Hirtenamt an, da alles dieses seit vielen Jahrhunderten immer den Bischöfen vorbehalten gewesen und dieser Gebrauch durch die Aussprüche vieler Concilien, besonders des Tridentinischen, bestätiget worden, in welche Rechte sie daher wieder eingesetzt zu werden bitten. — Was hier über die im Ehevertragspatent enthaltenen Puncte angebracht wird, muss von der k. k. Compilations-Hofcommission beantwortet werden, weil dort Alles bearbeitet, vorgeschlagen und eingeführt worden ist. Die Beschwerde wegen der *aufgehobenen Recurse nach Rom* wird dadurch abgefertigt, weil es keinem Staate in der Welt gleichgiltig sein kann, dass ohne sein Vorwissen und Genehmigung beträchtliche, oft Familien ruinirende Taxbeträge für römische Dispensen aus den Ländern versendet werden. Auch ist es nur dem Wiener Cardinal und 2 Bischöfen in Leitmeritz und Brixen beigegangen, davon, sehr wahrscheinlich aus Einrathen ihrer Haustheologen, Meldung zu machen. Übrigens ist man niemals abgeneigt, in Fällen, wo wegen Aufrechthaltung der Familien eine nähere Versippung durch römische Dispens gesucht wird, den Recurs nach Rom, jedoch mit der Behutsamkeit zu erlauben, dass der dort angestellte k. k. Geschäftsträger eine mässige Taxe bei der Datarie zu bewirken sich bemühe. *Resolutio Caesaris.* Nr. 8. Das Ehepatent, über welches so viele Klagen eingelaufen sind, wird mit allen dazu gehörigen Artikeln von der geistlichen und Compilations-Commission untersucht, und eine Modification desselben mir vorgeschlagen werden. Besonders ist bei dieser Gelegenheit der Artikel, so von der Giltigkeit und Aufhebung der Sponsalien handelt, zu untersuchen, auch

jener insbesondere in Erwägung zu nehmen, so die Dispensen betrifft, um festzusetzen, wann und wie solche Statt haben sollen? mit der Absicht, dass in gewissen engen Graden gar keine Dispensation könne angesucht, vielweniger ertheilt werden, in andern weiteren Graden aber selbe von den Bischöfen allein zu ertheilen wäre, und dann erst sich nach Rom gewendet werden könnte, wenn Landeskinder mit fremden Nichtunterthanen einer solchen Dispensation benöthigt sind, und zu mehrerer Beruhigung und Sicherheit selbe von dort aus wünschen. — *Actenstücke zur Geschichte des österr. r. kath. Kirchenwesens unter Leopold II. 1790.* — Wien. 1850.

Mon. 105—121.

Acta ad controversiam Eppi Rosnaviensis cum Dicasteriis Politicis in negotio matrimoniali vertentem pertinentia. 1794. ss.

105.

Sententia Consistorii Rosnaviensis. 1794.

Anno Domini 1794. die 17-ma Februarii in Consistorio Auditoriali Venerabilis Capituli Rosnaviensis deliberatum est: Ob violatos pluribus in punctis sacros Canones, signanter autem Benedicti XIV Constitutionem, quae incipit: „Dei miseratione,“ sed et Legis Patriae Art. 26. N. 11. Diaetae Anni 1790. datamque per attentatum partis succumbentis idmodi matrimonium Christi fidelibus publicam offensionem, praetensas RCtas, priusquam duplici Fori Ecclesiastici sententia matrimonium antecedens nullum fuisse pateat, ab invicem iudicialiter separari, in poenamque scandali succumbentem in 25. Aureis Ecclesiae Csoltoiensi deponendis aggravari; Appellatam demum Advocati orctenus interpositam, in similibus locum non habentem, non admitti.

106.

Repraesentatio Eppi ad Consilium Reg. de matrimonio sponsi cath. cum persona acath. per forum civile a prioris coniugii vinculo soluta, dd. 15. Mart. 1794.

Carolus Kiss mense, quod sciam, Octobri anni elapsi se mihi stiterat rogans, ut ei in negotio, quod praecipuam ei felicitatem allaturum sit, adesse velim. Respondi : notum illi utique esse, quam promto studio cuilibet omnino hominum servire paratus sim, modo res vires potestatemque meam non excedat. Aperuit demum mihi connubii huius, quod modo praetendit, propositum, una cum declaratione futurae mox ad sacra catholica conversionis, quam pars altera sibi omnino propositam habet. Ad haec respondi : peti rem, quae salva conscientia a me fieri non potest. Certum enim est de fide, matrimonii vinculum nullatenus solvi posse iudicio et sententia humanae auctoritatis. Certum praeterea fide eadem esse, causas matrimoniales ad Ecclesiasticum Iudicium pertinere ; nisi ergo iuxta notissimam Ecclesiae disciplinam in Regno nostro usu optimo vigentem duplici fori ecclesiastici sententia conformi matrimonii cuiuspiam nullitas declarata sit, non posse apud catholicam personam salva fide conscientiaeque integritate matrimonio tali locum esse. Ceterum si de interveniente impedimento quopiam dirimente, quo prioris matrimonii nullitas pateat, sufficientia putat habere fundamenta, causam primum in Consistorio meo pro officii ratione et administranda iustitia rei assumi faciam, qua appellationis via ad Metrop. Forum promota, si de nullitate prioris matrimonii duplici harum sedium sententia constiterit, nihil iam obstiturum, quominus saltem certo validum ineundum matrimonium censeri possit. Interea memoratus Carolus Kiss clancularie rem adgreditur, et Parochum meum Csoltoiensem ad se accitum, ut contractum sponsalitium eumque vincularem de futuro matrimonio conscriptum sui subscriptione nominis firmaret, rogat: quod Parochus ita rem existimans fecit etiam; cum autem contractus hic per utramque partem coram Parocho legeretur, patuit in eo rem agi matrimonii praesentis, non

fnturi. Frande observata Parochns videns neminem praeter pedissequam adesse, ob duorum tantum testinm defectum formam per Tridentinnm praescriptam defuisse insinuans, domum repetiit. Post tempus igitur repetitur dolus, et ex occasione vocatns Parochus perinde circumvenitur, quo notato cum duos amanuenses in cubicnlo conspicaretur, testes praevie ita, nt, quid agendum esset, sciant, requisitos esse debere innuens, se iterum ludi qnerebatnr. Ab eo tempore Carolus Kiss cum Barbara Beretky matrimonialiter cohabitare perrexit, eamque suam consortem iactabat nbique ad publicam fidelium omnium offensionem, quae ipsa fecit, ut res me denique latere non possit. Idmodi scandalo conscientia mea vehementer afflicta poscebat ntique, nt, quod officii mei est, facerem. Quamprimum igitur per VADiaconnm et Parochum loci moneri iussi, a se ut recederent, cohabitationemque amplius ne repeterent, cum salva fidei catholicae et conscientiae integritate alteri nuptam, nisi de nullitate prioris matrimonii duplici sacrarum sedium sententia constet, catholicus uxorem habere non possit. His Car. Kiss asseruit: se mandato meo pariturum, et post 13. Ianuarii offensioni finem daturum. Nihilominus post biduum aut triduum suismet literis ad me datis declarat: se per parochnm loci legitime coniunctum non posse impediri a cohabitatione Barbarae Beretky; qua declaratione accepta mox et per VADiaconnm inhaesi pristinae dispositioni de illico suscipienda separatione tollendaque hac offensione, et rem Consistoriali iudicio ac sententia, ne in scandalo publico ipse plus dissimulasse, quam egisse videar, censearque, definiri iussi. Estque iam eatenus lata et publicata sententia, quam una cum actis Serenitati Vestr. Regiae et Excelso Consilio praesentibus adiectam exhibeo, declarans una: e fidei catholicae principiis usque locum cohabitationi harum personarum esse non posse, etiamsi evidenter constaret, eos servata adaequate forma Tridentini seu simplicitate seu culpa Parochi coniunctos fuisse, nisi prius duplici conformi sententia sacrarum sedium nullitas prioris matrimonii definiatur. Cui declarationi ita ex fidei conscientiaeque meae obligatione porro etiam inhaerere debeo, ut nulla aucto

ritate factus inde recessus excusationi apud Deum locum dare possit. —

107.

Rescriptum Regium ad Eppum dd. 10. Iul. 1794. quo sententia Consistorii cassatur, matrimoniumque quaestionatum revalidari iubetur.

Franciscus II. etc. Reverende etc. Ex repraesentatione Vestra in merito processus contra Egregium Carolum Kiss intuitu matrimonii per eundem cum Barbara Beretky initi coram Consistorio Vestro Dioecesano suscitati ad Consilium nostrum Reg. Loc. sub 15. Mart. a. c. praestita, abindeque Maiestati Nostrae submissa intelleximus, praeattactum processum contra factum Reum Conventum fundamento ex eo, quod idem cum dicta Barbara Beretky Helv. Conf. addicta a priori marito suo eiusdem confessionis Nicolao Vattay per sententiam Sedriae Com. Neogradiensis divortiata, priusquam prioris ipsius matrimonii vinculum nullum fuisse duplicis fori ecclesiastici sententia evictum foret, clandestino quodam modo semet copulatum esse praetendens eidem cohabitare perrexerit, ab hacque cohabitatione post duplicem etiam inhibitionem haud abstinens, sacros canones in pluribus punctis violasse arguatur, erectum et cum convictione Rei Conventi terminatum haberi. Cum autem causae matrimoniales Evangelicorum ex praescripto normalium Resolutionum iuxta principia Augustanae et Helveticae Confessionis omni tempore diiudicari debuerint; articulus autem 26: 1791. in favorem Evangelicorum conditus in odium eorum interpretari nequaquam valeat, quod utique fieret, si dictae causae matrimoniales iuxta principia Religionis Catholicae diiudicari deberent: hinc innovatione aliqua hoc in passu locum non habente, cassataque Consistorii Vestri Dioecesani sententia, Vobis benigne committimus: ut occurrens circa depositionem iuramenti tempore copulationis per sponsum et sponsam deponi consveti dubium consistorialiter discuti facere, et si illegalitas praetensa reapse edocta fuerit, circa

eiusdem matrimonii revalidationem, quae per novam copulationem fieri consvevit, necessaria disponere, illegalitate vero, de qua sermo est, non eveniente, Barbarae Beretky et Carolo Kiss velut legitime copulatis nullum amplius quoad cohabitationem impedimentum ponere noveritis. Vobis in reliquo etc.

108.

Repraesentatio Eppi ad Regem erga praevium Rescriptum dd. 6. Aug. 1794.

Augustissime etc. Dignata est Maj. Vestra clementissimo rescripto suo — mihi committere etc. ut supra. Augustissime Imperator! Articulus certe 26 : 1791. §. 11. ubi de hoc potissimum merito agitur, euergicis prorsus verbis ista subiicit : eo tamen per expressum subnexo, quod divortii sententiae nonnisi quoad effectus civiles ubique pro validis habeantur, Episcopos autem ad agnoscendam talismodi vinculi nullitatem illamque ad Catholicos extendendam obligare nequeant. Cum ergo virtute et praescripto huius articuli Episcopi ad agnoscendam talismodi vinculi nullitatem illamque ad catholicos extendendam obligari nequeant : si Episcopi e praescripto fidei catholicae legisque divinae talismodi vinculi nullitatem non agnoscunt, atque istud pro iniuncto sibi praedicandae legis divinae officio docent, ac decernunt : videndum est unice, an virtute huiusce articuli 26: 1791. haec Epporum aut Consistoriorum Cath. sententia et iudicium quoad effectus civiles stare debeat, vel an spirituales duntaxat inducat sequelas. Iam si posterius hoc statuatur, eaque verborum istorum interpretatio fiat, Eppos scilicet ad agnoscendam talismodi vinculi nullitatem obligari quidem nequire, si tamen ipsi talismodi vinculi nullitatem (quam secundum fidei cath. dogmata nullus catholicorum agnoscere potest) non agnoscant, eorum sententiae nonnisi ad spirituales, nentiquam autem ad civiles effectus pertineant : incongruenter prorsus dicitur, divortii sententias nonnisi quoad civiles effe-

ctus ubique pro validis habendas, quin Eppi quoad spirituales effectus ad talismodi vinculi nullitatem agnoscendam obligari queant. Cum enim priori membro alioquin iam universe statutum sit, ubique nonnisi quoad effectus civiles divortii sententias pro validis esse habendas; satis superque iam inde clarum est, Eppos quoad spirituales effectus obligari nequire ad agnoscendam talismodi vinculi nullitatem, quae tali sententia est asserta, quam alioquin ubique nonnisi ad effectus civiles valere notatum est. Absona enim evadit prorsus haec oratio: divortii sententiae nonnisi quoad effectus civiles ubique pro validis habeantur, Eppos autem ad agnoscendam talismodi vinculi nullitatem illamque ad catholicos extendendam obligare nequeant in ordine ad spirituales effectus. — Quodsi vero virtute articuli huius asserta potestas Epporum non agnoscendi talismodi vinculi nullitatem statuitur ad civiles etiam effectus iuxta patriarum legum vim pertinere: plano omnino et liquido sensu fluit oratio, dum dicitur: divortii sententias nonnisi quoad effectus civiles ubique pro validis esse habendas, Eppos autem ad agnoscendam talismodi vinculi nullitatem illamque ad catholicos extendendam obligari nequire. Ita enim patet illa, quae virtute huius articuli agnoscenda est legalium fororum et divortialium sententiarum differentia, dum primo membro in omnibus foris nonnisi ad civiles effectus divortii sententiae pro validis habendae notantur, in altero autem exceptio fit sententiarum ad vinculi nullitatem spectantium, quae apud Eppos eorumque Consistoria nec quoad civiles effectus pro validis agnosci debere indicantur. Numquid enim hic ipse articulus 26: 1791. §. 16. unicum legale in mixtis matrimoniis forum Eppos et ipsorum Consistoria agnoscit? quos ergo ad agnoscendam vinculi nullitatem obligari nequire asserit, hos in omnibus mixtorum matr. causis legales iudices constituit, quorum sententias ad effectus utique civiles pertinere oportet, et secundum patriarum legum tenores executioni mandari. Minime igitur odiosa interpretatione restringitur favor hoc articulo Aug. et Helv. Conf. individuis concessus, dum ita divortiatae personae matrimonium cum catholica persona locum habere non posse decernitur; sed articuli huius scopo

et intentioni respondet sententia eiusmodi, cum non alia de causa' Eppos eorumque Consistoria in mixtis matr. indices esse voluerit, quam ne favor hoc articulo Aug. et Helv. Conf. individuis praestitus in perniciosissimum catholicis personis laqueum, summum Cath. Religionis praeiudicium qualibet demum interpretatione verti possit. Quemadmodum enim in eiusdem articuli eodem ipso §. 11. plena libertas citra petendam porro dispensationem in tertio aut quarto gradu contrahendi iisdem facta non extenditur ad matrimonium cum persona catholica contrahendum, ita etiam prorsus illa libertas, qua ex divortii sententia virtute huius articuli uti permittuntur in ordine ad contrahendum cum persona catholica matrimonium, locum habere nequit, cum utroque casu libertate personae alterutrum de dictis confessionum individuis manente, eadem libertas catholicae personae secundum Ecclesiae suae sanctae principia et secundum patriarum legum normam, a qua isthic Aug. et Helv. Conf. personae solummodo eximuntur, restricta maneat. Omnis ergo favor Aug. et Helv. Conf. individuis hac parte praestitus in eo praecise huius articuli virtute consistere potest, quod dum de matrimonio personae alterutrius harum Confessionum cum persona vicissim alterutri harum Conf. addicta contrahendo vel contracto agitur, secundum suarum Confessionum licentiam agere, causaeque eorum definiri permittantur: consentientibus plane eatenus omnibus Regiis Resolutionibus, ne iis quidem, quae causas matrimoniales Aug. et Helv. Conf. addictorum secundum earumdem Confessionum principia diiudicandas componendasque insinuant, exceptis; cum nulla istarum resolutionum matrimonia cathol. personarum cum confessionis alterutrius personis contrahenda vel contracta aliter quam secundum Catholicae Religionis praescripta seu contrahi seu diiudicari definirique unquam voluerit. Atque ex his, Aug. Imperator, Consistorii mei in causa Egr. Caroli Kiss latam sententiam patriarum legum articulique 26: 1791. praesidio tenoribusque esse communitam. Quam si nihilominus Maiestas Vestra cassam porro volet, suo utique in ordine ad civiles sequelas caritura est effectu, relinqueturque arbitrio suo vir eo statu, quo sacramentorum particeps fieri nequeat, utpote

vel sacramentalis absolutionis incapax, quin ulli perstante hoc habitu remedio sit locus; vinculi enim prioris nullitatem, ad quam agnoscendam art. 26: 1791. Eppos obligari nequire disertis verbis statuit, divinae et cath. fidei professio multo etiam gravius agnoscere prohibet. Ut adeo in nullam seu praeteriti seu futuri temporis copulationem eiusmodi vel consentiendo duntaxat, minus disponendo influere possim.

109.

Circulares Eppi ad Clerum de Carolo Kiss ab usu Sacramentorum arcendo. 1794.

Admodum Reverende Domine Frater in Christo! Cum Egregius Carolus Kiss in Csoltó habitans, Inclyti Comitatus Gömöriensis Notarius, quem triuis iam vicibus pro pastoralis mei Officii obligatione admonendo iuxta, ac obsecrando conveneram, ut a Nobilis Barbarae Beretky, Egregio Nicolao Vattay coniunctae, et secundum Helveticae Confessionis principia per civile iudicium divortiatae, cohabitatione recederet, gressumque a praecipiti revocaret, nullis meis seu precibus seu monitis locum usque adhuc dederit, atque in isto lugendo statu, quo Sacramentorum particeps reddi nullatenus potest, (utpote vel ipsius sacramentalis absolutionis inpacax) etiamnum perseveret, ad omnium Dioecesis meae Sacerdotum notitiam pervenire volo: ipsum ne quis durante hoc viri istius statu, habituque cuiuslibet Sacramenti participem eum reddere praesumat. Quod DVra singulis in suo Districtu, cuiuscunque Professionis, et status Presbyteris notum reddet. Per occasionem hanc omnibus animarum Curatoribus et verbi Dei Praeconibus stricte committo: ut per tres minimum continuos dies dominicos, aut festos populum de fidei capitibus in SS. Trid. Concilio propositis minutim edoceant; quo plene intelligant fideles per neminem Catholicorum agnosci posse vinculi matrimonialis nullitatem, quae secundum Augustanae, et Helveticae Confessionis principia per Civile Iudicium asserta sit; ut adeo praetensae etiam cuiuslibet copulationis titulo ita divortiatae personae (etiamsi ad Catholicam Fidem conversa

esset), cohabitare catholica persona nequeat, nisi citra Sacramentorum, quorum particeps reddi nulla ratione potest, utpote vel sacramentalis absolutionis durante hoc statu habituque incapax, usum, vivere infelix velit. Datum Rosnaviae, die 8-a Augusti 1794. Antonius, Eppus.

110.

Intimatum Consilii RLH. dd. 16. Sept. 1794. circa Pastorales literas per Eppum contra matrimonium quaestionatum ad Dioecesim dimissas.

Illustris etc. Com. Neogradiensis in hic adiacente repraesentatione sua depromit reflexiones suas circa absolutionis et sacramentorum incapacitatem Caroli Kiss cum divortiata Aug. Conf. addicta persona Barb. Beretky matrimonium ineuntis, per Praetit. DVram Circularibus suis de 8. Aug. a. c. ad VADiaconos Dioecesis suae dimissis declaratam, eo subnexo, quod idem publicae et privatorum paci de munere suo consulturus gremiales Parochos ad candem Dioecesim spectantes sub comminatione fiscalis actionis ab ulteriori huiusmodi Circularium explanatione per processuales Indlium inhibendos disposuerit; una vero tam hic Comitatus, quam et dictus Carolus Kiss in hic adnexa instantia petunt de hoc Praetit. DVrae facto condignam in conformitate etiam decr. Ludovici I. impendendam satisfactionem altissimo loco exoperari, medelamque malo per illud causato procurari. Praeattactas proinde repraesentationes et respective querelas has Praet. DVrae ea cum inviatione communicat Consilium istud L. R. ut super eo 1-o an Circulares sub 8. Aug. a. c. repraesentationibus in copia acclusae reipsa ad omnes aut ad aliquos, et quos nominetenus VADiaconos expeditae sint? si expeditae, illas sine mora revocet, ac de facta earum revocatione, non secus etiam 2-o an hae Circulares in parochiis, et quibus ac quoties publicatae sint? demum 3-o an b. Resolutiones R. circa Censuras Ecclesiasticas, signanter de 3. Maii 1784. Nro 10124. item Intim. 4. Ianuar. 1793. Nro. 256.

confirmatae in hac Dioecesi publicatae habeantur? adaequatam informationem horum intra 8. dies inomisse praestet. Datum Budae etc.

111.

Responsum Eppi dd. 7. Octobr. 1794.

In obsequium Intimati die 16. Sept. a. c. ad me directi cum actorum mecum communicatorum remissione demisse significo: me in his, quae a parte Comitatus Neogradiensis ad movendam mihi invidiam Celsitudini V. Regiae et Exc. Consilio R. substrata sunt, nihil egisse, quod non e divini iuris praescripto agere plane debui, nihil quod legibus patriis non conforme esset, nihil denique, quo regiis resolutionibus contravenerim. Ex divini enim iuris praescripto et catholicae veritates praedicandae, et recte sancteque dispensandorum sacramentorum onus humeris meis incumbit, nec arbitrarium mihi aut indifferens esse potest, in periculo praesertim obscurandae catholicae veritatis hanc vel reticere, vel non facere praedicari, aut indignam sacram. dispensationem in simili periculo non praecavere. Legibus patriis adeo conformiter acta sunt omnia, ut querelae per Cottum Neogr. promotae magis leges nostras quam me feriant. Ego enim causam Egr. Caroli Kiss in foro, quod virtute etiam art. 26 : 1791. legale est, assumi feci, quod omnes leges nostrae statuunt. Lata sententia in omnimoda legum conformitate executionis obtinendae causa ad Cottum Gömör. transmissa sua executione praeter et contra legum nostrarum clarissimos tenores destituta mansit. Infelix vir in patente malo, quod iuxta fidei cath. dogmata divina iura prohibent, obfirmato animo perseverans, habitualique suo statu isto ex divini iuris praescripto sacramentorum digne percipiendorum incapax me utique vel invitum coegit ad monendos eatenus sacerdotes meae dioecesis, ne sacramentorum valor et sanctitas temeraretur, et ne infelicis huius viri exemplum apud pusillos catholicae veritatis de matrimonio dogmata obscuraret, atque ne ipse ego tacendo apud gregem meum, pro quo et animam meam ponere

paratus esse debeo, de integrae fidei sensu suspicionem incurram; quod et alias semper facere poteram debebamque, in tali periculo cogebar, stringebarque etiam catholicam de matrimonio doctrinam, nunc cum maxime necessarium est, fideli populo per iteratas verbi Dei praeconum conciones sincere et genuine atque explicate proponi curare. Atque ista omnia conformiter ad patrias etiam leges per me acta sunt, quae, licet de dispensandis praecise sacramentis aut verbi divini praedicatione iura divina et ecclesiastica pro potestate praescribant, tamen clare exprimunt, quid eatenus desiderent, expetant, urgerique velint ab Episcopis. Videantur eatenus clariss. Decr. S. Steph. L. 2. c. 2. Colom. L. 1. c. 65. item l. 2. c. 11. — art. 6 : 1548. art. 13 : 1550. et art. 60 : 1715. tenores. Ut adeo nullo prorsus fundamento ex lege Ludovici 1. invidiam mihi consciscere tentaverit Cottus Neogradiensis. Quam enim ego cum Egr. Carolo Kiss litem unquam habui aut habeo? coram quo Regni Iudice? qua causa? an ut incattus? an ut actor? si meritum spectetur, omnes meae, quas Cottus Neograd. cum legum patriarum manifesta iniuria carpit, actiones ad tria haec reducuntur: ad matr. mixt. causam, ad dispensanda e divini iuris praescripto sacramenta, ad fidei cath. dogmata fideliter praedicanda. Quis hoc in merito per leges patrias est regni index? coram quo super his aut ipse Egr. Carolum Kiss lite convenerim? aut per illum processu iudiciali conventus sim? Anne autem pacis turbatae invidia ibi invenitur, ubi omnia e praescripto iuris divini, et conformiter ad tenores legum patriarum aguntur? an non certius ibi deprehenditur pacis turbatae invidia, ubi talia desiderantur, et aguntur, quae ipsi articulo 26 : 1791. sunt difformia et adversa? Numquid enim non articulus 26 : 1791. in mixtis matr. legales regni indices statuit et agnoscit Eppos cum suis consistoriis? numquid non clarissimae et notissimae legalium regni indicum et fororum spiritualium sententias executioni mandandas praescribunt? numquid non ipse art. 26 : 1791. clare adstruit, Eppos legales in mixtis matr. indices obligari nequire ad agnoscendam vinculi talismodi, qualis ibi §. 11. notatur, nullitatem, eamque ad catholicos extendendam? et qua istud ex alia causa? quam

quod fidei cath. dogmatibus repugnet, talismodi vinculi nullitatem agnoscere? ut adeo Ecclesiae Cath. ministri stringi nequeant ad agendum contra religionis suae principia per articulum pro fundamento habentem religionum differentium tolerantiam; manifeste adeo huic ipsi articulo contrarium agunt et expectant, qui sen impedire volunt, ne doceatur nullitatem vinculi tali sententia assertam repugnare cath. fidei; seu id expectant, ut Eppus talismodi vinculi nullitatem agnoscat, eamque ad catholicos extendi patiatur. — Quod ad Regiam de censuris ecclesiasticis resolutionem attinet: mea agendi ratio huic nullatenus adversatur; neque enim ulla hic eccles. censura illata est, sed ne alienam iuxta fidei cath. dogma uxorem patenter et obfirmato animo retinens vir, suoque hoc habitu sacramentorum digne recipiendorum incapax sanctissima Religionis sacramenta temeraret, ex divini iuris praescripto praecautum est; censurarum quippe eccles. usus arbitrii et iuris est humani, ac propterea etiam cum iure possunt inferri, rarissime tamen sunt inferendae; ast manifeste incapax et indispositus non humani arbitrii lege sed divini iuris praescripto a sacramentorum receptione arceri debet, iis praesertim rerum temporumque adiunctis, quibus fidei cath. dogma aut obscurari aut maculari possit. Nemo est, qui cognoscere non possit, id esse cath. fidei dogma: nullius omnino matrimonii vinculum ex divini iuris praescripto dissolvi posse, exceptis duobus duntaxat casibus: suscepti scilicet baptismi, dum pars altera in infidelitate manet et ipsa discedit; et solennis in religione ex parte unius coniugum professionis post matrimonium quidem ratum sed nondum consummatum. Quisquis ergo catholicus exceptis his duobus casibus alteri nuptam et legitimo aliquando matrimonio copulatam retinet, alienam uxorem secundum cath. fidei dogma retinere agnoscitur; potest quidem Eppus eum ab omnium fidelium communione e causis probabilibus non removere; sed non potest non agere, ne homo suo hoc habitu manifeste incapax et indispositus, sacramentorum particeps per se vel per suos reddatur. Et si art. 26: 1791. ad talismodi, qualis ibi praemittitur, vinculi nullitatem agnoscendam, eamque ad catholicos extendendam Eppos obli-

gari nequire asserens; §. autem 16. Eppos eosdem cum suis Consistoriis in mixtis matrimoniis solos et unicos legales regni iudices adstruens, hoc ipso praecautum voluit, ne quoad civiles effectus etiam catholicorum talia matrimonia obtineant: quis potest iure conqueri, si Eppus ad sacramentorum praecise participationem haec matrimonia non posse consistere secundum notissimam ubique Ecclesiae Cath. fidem doceat gregem suum, et subiectos sibi sacramentorum ministros ad praecavendam sacramentorum iniuriam debite instruat? Quis est, qui non videat, quanta haec esset Cath. Religionis et Ecclesiae iniuria? Atque ex his dignabitur Cels. V. R. et Exc. Cons. R. plene perspicere, me, quod et tenores die 8. Aug. ad omnes utique Dioecesis meae Districtus directi sufficienter et clare indicant, id egisse, quod spectatis legibus divinis debui, et quod patriis legibus prorsus conforme est, quodque regiis resolutionibus nullatenus adversatur. Ceterum et sacerdotibus quod constitui insinuatum iam esse non dubito, prout et de eo, quin suis in concionibus catholicam de matrimonio doctrinam sincere et fideliter parochi mei et ceteri sacri praecones explicuerint, ac porro pro officio suo explicaturi sint; me tamen in id curiose non indagasse, eo quod nil me eatenus sollicitum reddere potuerit, ingenue confiteor; unde nec hoc indagare possum, quoties de his, quae ad catholicam de matrimonio doctrinam spectant, capitibus populum suum quisque docuerit. Resolutiones denique Regiae a. 1784. et 1793. de censuris ecclesiasticis editae non sunt publicatae, quia nec ipsae id praecipiebant, et quia nisi expresse id praeciperetur, Intimata, quae pro instructione et directione Episcopalium praecise officiorum et consistoriorum diriguntur, numquam in more fuit per dioecesim publicare. Neque annis illis, quibus tenores publicationum subscriptis Parochorum nominibus ad Exc. Consilium R. submittendi erant, super talibus intimatis, quemadmodum nec de hoc, quod a. 1784. de censuris eccles. emanaverat, publicando seu universe, seu particulariter praescriptum fuit, indubie ceteroquin, si praescriberetur, publicandum. Id denique etiam ex his, quae latius supra allata sunt, Cels. V. R. et Exc. Cons. R. agnoscere dignabitur, me

ea, quae in causa hac egi, et scripsi, legibus patriis omnino consentanea, e diviui iuris praescripto ita agere debuisse et porro agere debere, ut non modo revocari nequeant, sed eadem opitulante Dei misericordia sangvine ipso confirmari vel maxime expediat etiam.

112.

Intimato Consilii dd. 4. Aug. 1795. ad retractandas Circulares literas denuo monetur Eppus.

Quaestionibus et difficultatibus relate ad matrimonium per Carolum Kiss cum Barbara Beretky initum — Suae Matti SSmae substratis, siquidem dicta Barbara Beretky ex defectu consensus ad ineundum matrimonium requisiti a priore marito suo Nicolao Vattay divortiata fuerit, visum est altefatae Suae Maj. SSmae catenus editae priori benignae resolutioni suae firmiter et irrevocabiliter insistere. Quoad Circulares autem literas Praetit. DVtrae super declarata praeadducti Caroli Kiss absolutionis et sacramentorum incapacitate ad VADiaconos Dioecesis suae dimissas clementer praecipere: ut illas velut nulla earum necessitate apparente ad omnium dioecesis suae sacerdotum notitiam expeditas intra spatium unius mensis inomisse revocet, et de effectu relationem isthic praestet; in quantum porro aliqui uefors parochi ultra tenores praeattactarum huiusmodi Circularium declaratam ad notitiam omnium sacerdotum Caroli Kiss absolutionis et sacramentorum incapacitatem e cathedra publicassent, ad hanc aeque e cathedra revocandam iidem parochi per Praetit. DVtram adstringantur. —

113.

Responsum Eppi ad praevium Intim. dd. 22. Aug. 1795.

In obsequium Intimati — sequentia referenda habeo. Ex quocunque demum capite divortiata sit Barbara Beretky

a priore marito, certum est tam ex fidei cath. regulis, quam ex clarissimis art. 26 : 1791. tenoribus, divortii sententiam illam in ordine ad contrahendum cum persona catholica matrimonium nihil omnino valere posse. Expressi enim sunt inter reliquos tres isti fidei articuli : 1. Matrimonium est ex divina Christi institutione indissolubile. 2. Matr. est vere unum e septem Novae Legis Sacramentis. 3. Causas matrimoniales spectare ad Iudices Ecclesiasticos. Ob primum catholici agnoscere non possunt pro legitimo iudicium illud, quod contra fidei cath. principia facilius dissolvere potest ob inquietam cohabitationem matrimonium, quam implexam de defectu consensus quaestionem discutere, eo ceteroquin minus necessariam, quod semper certius clareque pateat ea, quae ex molesta cohabitatione petitur, causa, quam ex defectu consensus. Cum porro iuxta secundum ex memoratis fidei articulis matrimonium sit vere et proprie e septem N. L. Sacramentis, nullius etiam pure catholici atque e principiis fidei cath. haud repugnantibus procedentis civilis iudicii sententiam in contrahendo matrimonio pro fundamento aut regula simpliciter et omnimode agnoscere habereque potest Catholicus ullus, cum civilis iudicii sententia ultra civiles effectus se extendere nequeat, catholici autem omnes in contrahendo matrimonio praecipuam Sacramenti, quod extra sphaeram civilis iudicii est, rationem habere debeant et obligentur. Denique cum iuxta tertium ex adductis fidei cath. articulis matrimoniales causae ob sacramenti rationem ad Iudices spectent Ecclesiasticos, nullus omnino catholicus cum persona alteri aliquando copulata vivente priori viro matrimonium contrahere potest, nisi congruis iudiciorum ecclesiasticorum sententiis definitum sit, prius matrimonium ob interveniens impedimentum dirimens nullum fuisse. Atque ad haec ipsa respicere articulum 26 : 1791. manifestum est. Nam §. 11. divortii sententias illas omnes nonnisi quoad effectus civiles valere statuit, tum Episcopos ad agnoscendam talismodi vinculi nullitatem atque ad catholicos extendendam obligari nequire asserit, denique §. 16. omnes mixtorum matr. causas sedibus catholicorum spiritualibus deferendas decernit ea expressa causa, quod in his de veri nominis sacramento aga-

tur. Cum enim illas divortii sententias nonnisi quoad effectus civiles ubique pro validis habendas declaret, nusquam utique in ordine ad effectus eiusmodi, qui Sacramenti rationem involvunt, valere posse significat; effectus autem, quo matrimonium cum catholica persona contrahi valeat, Sacramenti utique rationem continet, adeoque cum in tali matrimonio, uti ipse hic articulus notat, de veri nominis sacramento agatur, causa spiritualibus catholicorum sedibus est deferenda, nec possunt uspiam sententiae illae divortii in ordine ad contrahendum cum catholica persona matrimonium valere. Nec alia utique adferri potest ratio, cur Eppi ad agnoscendam talismodi vinculi nullitatem illamque ad catholicos extendendam obligari nequeant, quam quod Eppi spectata sacramentorum ratione divino iure proprii et quidem excluso omni alio iudicio, matrimoniorum seu contrahendorum seu contractorum iudices, atque adeo ipsi per se consistoriave sua directe solenni iudiciaria forma cognoscere teneantur, utrum matrimonium etiam mixtum, cum de veri nominis sacramento agatur, valide contractum sit, aut contrahendum. Denique cum art. 26: 1791. §. iam supra citato 16. mixta etiam omnia matrimonia a Sedibus Catholicorum spiritualibus pendere debere constituit, propterea, quod de veri nominis Sacramento agatur: ecclesiastico iudicio quoad effectus etiam civiles subiici vult personas alienae Confessionis ratione contrahendi vel contracti cum personis catholicis matrimonii, ut proinde citra expressas et legales spiritualium sedium sententias nequidem quoad effectus etiam civiles valere possit quomodocunque aliter divortiatae personae cum catholica persona matrimonium. Ex his iam Exc. Consilium clare perspicere dignabitur, ex patrii iuxta ac divini iuris praescripto necessarium omnimode esse, ut causa divortii Barbarae Beretky in ordine ad matrimonium cum Egr. Carolo Kiss viro catholico contrahendum legalibus catholicorum sedibus spiritualibus deferatur; nec posse in hac et similibus causis quidquam per me porro aliud agi, quam quod adhuc actum est, nisi memoratarum spiritualium sedium sententiis prius matrimonium irritum nullumque fuisse declaretur, manereque proinde virum catholicum in illegitima eiusmodi coniunctione haerentem

sacramentorum recipiendorum ipsiusque absolutionis sacramentalis prorsus incapacem.

114.

Intimato dd. 7. Sept. 1795. rursum ad retractationem Circularium provocatur Eppus.

In Intimato ad Practit. DVtram de 4. Aug. a. c. dimisso Eidem de positivo benigno iussu commissum extitit, ut ad Parochos dioeceseos suae emanatum circulare interdictum contra Carolum Kiss, et declaratam eiusdem absolutionis et sacramentorum recipiendorum incapacitatem continens intra mensis unius spatium revocet, ac ea, quae nefors e cathedra per eosdem parochos contra fatum Kiss publicata fuissent, revocari faciat. Cum vero meriti huius nulla in relatione Practit. DVtrae de 22. eiusd. mens. Aug. distincta ac expressa mentio fiat, hinc Eidem Praet. DVtrae reintimandum duxit Consilium hoc LR. ut sepositis iis argumentis, quae iam per altissimam Resol. Regiam pro superatis considerari debent, suam eo intra octiduum declarationem Suae Maj. SSmae abhinc substernendam submittat: num benigno rescripto Regio et in conformitate eius emanato Intimato de 4. Aug. debitum morem gerere, ac attactas Circulares revocare velit? una tamen in quantum easdem nefors iam revocasset, aut revocatura esset, Praetit. DVtra authenticam factae huius revocationis copiam horsum submittat.

115.

Responsum Eppi dd. 23. Sept. 1795.

In obsequium Intimati demisse refero: me utique fundamento legum divinarum ac patriarum, quas in mea ad Intimatum 4. Aug. repraesentatione die 22. Aug. expedita adduxeram nec potuisse nec posse revocare declaratam sacerdotibus in dioecesi mea ministrantibus Egregii Caroli Kiss ad recipienda Sacramenta incapacitatem. Durante enim hac,

quae secundum catholicae fidei regulas, ipsiusque art. 26: 1791. tenores prorsus illegitima est, coniunctione, uti eadem incapacitas perseverat, ita imposita mihi sacramentorum temerationem praecavendi necessitas et obligatio omnem contraagendi modum facultatemque praecludit.

116.

Propositio Cancellariae Reg. Hung. ad Regiam Maiestatem in causa Eppi Rosnaviensis Antonii L. B. Andrássy, dd. 14. April. 1796.

Sacratissima etc. Postquam in humillimum obsequium ben. Resol. in merito matrimonii Caroli Kiss cum Barbara Beretky initi, et certarum per Eppum Rosnaviensem ad Dioecesis suae VADiaconos dimissarum Circularium erga isthic adiacentes quadruplicis ordinis Propositiones per Maj. V. Sacr. editae, hic pariter advolutum Rescriptum ad Consilium L. R. dimissum fuisset, idem Consilium tenore suae alterius adnexae Repraesentationis eique adiacentis Protocolli Commissionis Ecclesiasticae horsum retulit : antelatum Eppum sibi remonstrasse, quod cum tam ex fidei cath. regulis, quam et ex art. 26 : 1791. tenoribus divortii sententia ex quocunque demum capite in causa Nicolai Vattay et Barbarae Beretky Helv. Conf. addictorum per forum civile lata in ordine ad contrahendum cum catholica persona matrimonium nihil omnino valere possit, sed necessarium sit, causam divortii Barbarae Beretky ex reflexione matrimonii cum Carolo Kiss incundi legalibus Catholicorum sedibus spiritualibus deferri : fundamento huiusmodi legum divinarum et patriarum declaratam sacerdotibus in Dioecesi sua ministrantibus Caroli Kiss ad recipienda sacramenta incapacitatem revocare nec potuerit, nec possit. Hanc memorati Eppi declarationem siquidem Commissio Eccl. et Consilium R. pro altissimo notitiae statu ponendaque congrua medela isthuc repraesentasset, eidem Consilio abhinc rescriptum est, ut priora quoque meritum hoc tangentia acta abhinc sibi iam antea remissa denuo submittendo una positivam etiam depromat opinionem : qualiternam

renitentia dicti Eppi vindicanda, ac effectus ben. Resolutionis R. procurandus esset. Erga hos ordines negotio hoc in Commissione Eccl. denno assumto, confectum eiusdem superinde Protocollum idem Consilium R. ope suae isthic adiacentis Repraesentationis submisit. In hoc Protocollo dicta Commissio Eccl. quoad opinionem de eo, qualiter nempe renitentia Eppi Rosnaviensis praeattactas Circulares revocare nolentis vindicanda et effectus ben. Resol. R. procurandus esset, in specie defigendam eam occurrere difficultatem §. 8. insinuat, quod sibi haud integrum sit pro suo vel cuiuscunque privati arbitrio aliquam proponere modalitatem normalium resolutionum aut apertae legis praesidio et facti ad eam applicatione destitutam; cum enim nulla normalis in simili merito edita sit Resolutio R. praesens casus nec ad normalem aliquam Resolutionem, nec ad leges patrias, quae de inobedientibus sonant, uti sunt art. 7. 8 : 1507.; 23: 1556.; 78—80: 1563.; 4: 1625.; et 12 : 1635., applicari posse videatur. Atque hac de causa nee eadem Commissio Eccl. nec Consilium R. aliud se opinari posse crediderit, quam factum hoc ductu cap. 15. S. Ladisl. l. 3. ac art. 14. 15: 1548. ad quos solos renitentia applicari posse videtur, pro ponenda medela Maj. V. Sacr. substernere; cum in priore harum legum Eppus decreta Regia frangens secundum voluntatem Regis diiudicandus, in posterioribus autem articulis contra inobedientes per Maj. Regiam ordinaria sua auctoritate in eos animadvertendum et Regiae Maiestatis ntendum auctoritate statuatur. Cum proinde determinatus modus vindicandae huius renitentiae in legibus Regni expressus non sit, praelibata Commissio Eccl. non aliud medium seu quoad vindicandum hoc factum, seu etiam procurandum ben. Resol. R. de revocandis praedictis Circularibus effectum superesse censet, quam illud unum, quod in similibus per Iurisdictiones publicas commissarum seu legis seu auctoritatis Regiae transgressionum casibus adhibitum usuque receptum est: ut nempe Maj. Vestra pro Regia sua auctoritate Commissarium R. denominet, atque ad Sedem Eppalem Rosnaviensem exmittat, qui coram Capitulo vel Eppali Consistorio, et convocandis universis ipsius Dioecesis VADiaconis praemissa seria altissimo nomine facti huius erga Eppum

improbatione Eppales Circulares a VADiaconis in originali sibi exhiberi iubeat, easdemque coram iis pro cassatis decla ret, ac in quantum illae Protocollis nefors Parochialibus insertae essent, easdem annihilari procuret. In reliquo sicut modalitatem hanc vindicandae Eppi Rosn. in hoc particulari casu renitentiae et effectus mandatorum regiorum procurandi opportunam et unice vigore §. 11. art. 26 : 1791. quoad civiles effectus directam existimat eadem Commissio Eccl. ita pro eo, ut et animae catholicorum salvari, et conscientiarum anxietates tam relate ad Eppum quam partem catholicam matrimonium contrahere volentem evitari valeant, pro praesenti ac futuris casibus id unum, quod superest, medium proponit: ut nempe legalium fororum eccles. decisioni committatur occurrentium dubiorum et difficultatum discussio, quae sola quoad effectus legitime contracti matrimonii conscientiis catholicorum suam et quietem et securitatem praestare potest, quae quies et securitas singulis etiam aliis in Regno lege receptis Confessionibus religiosis per leges et resolutiones regias salva manet.

Ipsum autem Consilium R. cum vota Consiliorum in duas partes divisa essent, antequam opinionem maioritate votorum depromtam adduceret, *) sequentem praecise ad quaestionem, quae hic vertitur, restrictam facti speciem praemittendam censuit. A. 1794. die 10. Iul. dimissum est directe ad Eppum Rosnaviensem Rescriptum R. tenore cuius sententia fori Consistorialis in processu contra Carolum Kiss promoto lata cassatur, matrimoniumque illius cum Barbara Beretky initum pro valido declaratur, ac una praecipitur, ut si consistorialiter adinveniretur, iuramentum occasione copulationis per partes has interessatas depositum illegale fuisse, tum matrimonium hoc per novam copulationem revalidetur, mandato hoc Consilio R. quoque fine edocendi Caroli Kiss communicato. Anno eodem die 8. Aug. Eppus Rosnaviensis

---

*) Maioritatem votorum effecere: Consiliarii Szerdahely, Latinovich, Darvas (II. C.), C. Koháry, C. Barkóczy, B. Pichler, B. Podmaniczky (Aug. C.), B. Mednyánszky, et Regius Locumtenens Praeses.

Carolum Kiss interdicto eccl. afficit, id ipsumque per dioecesim suam publicat, unaque committit, ut per tres dies minimum continuos Dominicos aut Festos populus ex cathedris eo instruatur, quod nemo Catholicorum agnoscere possit vinculi matrim. nullitatem, quae secundum principia Aug. et Helv. Conf. per civile Iudicium asserta est. Anno eodem Commissio Eccl. et Consilium R. agnoscunt: interdictum hocce effectum excommunicationis maioris redolere. Anno 1795. sub 17. Iul. demandatur Consilio R. ut Eppum Rosn. ad Circulares praedeductas intra unius mensis spatium inomisse revocandas invict. Anno eodem Consilium R. et Commissio Eccl. remonstrant Eppum declarasse, quod Circulares tales revocare nequeat. Anno eodem Consilio R. committitur, ut positivam opinionem depromat, qualiteruam renitentia haec Eppi vindicanda, et effectus Resol. R. procurandus sit? Iam ex hac specie facti et actis hocce in merito intervenientibus Consilium R. diversae qualitatis inobedientias isthic subversari deducit. Unam nempe, quam Eppus Rosn. erga Mandatum R. via huiusce Cancellariae R. ad eundem Eppum sub altissima subscriptione Regia in merito processus huius editum manifestavit; alteram, quam idem Eppus erga Mandatum R. ad se via Consilii R. perlatum, revocationemque Circularium et interdicti praecipiens commonstravit. Priorem inobedientiae huius speciem sub dispositionem et censuram art. 78:1563. revocari posse imo debere existimat Consilium R. siquidem Eppus Rosn. obedientiam denegaverit mandato tali, quod sibi qua administrandae iustitiae et exequendo iuridico negotio praefecto in obiecto processuali dabatur. Nec potest eiusdem opinione Consilii dictus Eppus excusatione salvari, quod praecitato articulo Iudices Ecclesiastici expresse non nomineutur, sed sufficit id, quod lex haec in genere de iudicibus loquatur, nec distingvat, an ii ecclesiastici vel seculares sint? ubi antem lex ipsa non distingvit, et non eximit, ibi a dispositione universali legis nemo exceptus est, praesertim quod nec putari possit futurum quempiam, qui contra apertam dispositionem legum praetendat ad Iudices Eccles. mandata per Regem expediri nequire: unde hanc antelati Eppi inobedientiam via et modo in praecitato art.

78: 1563. etiam per art. 19: 1715. confirmato expressis vindicari posse concludit idem Consilium. Quod alteram inobedientiam attinet, haec sensu eiusdem Consilii iuvolvit illum etiam ausum Eppi, quod is, quamvis art. 26: 1791. expresse id duntaxat statuatur, quod sententiae divortii per fora secularia pronunciatae Eppos ad agnoscendam vinculi nullitatem obligare nequeant, contra expressam et apertam articuli huius dispositionem sententiam illam, quod nullitatem matrimonii per Iudicem secularem ex principiis Aug. et Helv. Conf. pronunciatam nemo Catholicorum agnoscere possit, ex cathedris doceri iusserit. Involvit praeterea inobedientia haec eum quoque ausum, quod Eppus Carolum Kiss propria sua auctoritate et citra approbationem Regiam interdicto affecerit. Et iuxta haec, prout Consilium R. ultro notat, triplicem alteram Eppi inobedientia recipit considerationem et animadversionem: quod nimirum legi adversam sententiam ex cathedris inculcari iusserit, et civilem potestatem cum ecclesiastica commiscuerit, populum ad inobedientiam illi praestandam provocaverit, adeoque palam et aperte contra decretum statutumque Regni agendo censuram art. 8. Ulad. decr. VI. incurrerit; quod Carolum Kiss in obversum Resolutionum R. et contra spiritum legum, sig. art. 1: 1351. interdicto absque scitu et notitia Regiae Maiestatis afficiendo in obversum Regiorum Mandatorum et contra spiritum legum et constitutionis egerit, adeoque censuram cap. 15. S. Lad. L. 3. et art. 21: 1546, 14. 15: 1548. incurrerit; quod demum interdictum tale et praeviam suam sententiam Currentalesque catenus dimissas revocare intermittat, talique renitentia sua semet in despectum Regiae Maiestatis contumaciter erigat, et hoc facto Carolum Kiss absolute et temerarie turbet, semet proinde censurae tit. 13. P. I. item cap. 15. S. Lad. L. 3. et art. 14. 15: 1548. obnoxium reddat. Ex his suapte iam intelligi infert saepefatum Consilium R. ausus et inobedientiam Eppi Rosn. non tantum sub census et censuram cap. 15. S. Lad. L. 3. ac art. 14. 15: 1548. sed etiam art. 8. Ulad. Decr. VI., 21: 1546. et Tit. 13. P. I. tanto maiori iure revocandas esse, quod art. 14. 15: 1548. relate ad modalitatem inobedientes puniendi ad constitutiones in proximis conven-

tibus factas se referant, ideoque eam amplius determinari debere non censuerint SS. et OO. in proximo autem conventu, nempe 1546. art. 21. expresse id statutum fuerit, ut quemadmodum ii, qui manifeste inobedientibus et publicarum constitutionum violatoribus serviunt, in amissione bonorum et etiam in personis suis puniri debent, ita in ipsos inobedientes animadvertatur. Ex hoc porro illud infert idem Consilium R. quod votum Commissionis Eccles. parte in ea, qua modum vindicandae inobedientiae Eppi Andrássy proponit, submittere nequeat; advertitque praeterea, personam, quae tantorum ausuum et inobedientiae ream se fecit, ecclesiasticam esse, quae ipso exemplo suo populum reliquum ad praestandam obedientiam legibus et Regi animare debuisset, hancque personam non esse nunc prima vice talis facti ream sed iam sub regimine quoque Iosephi 2. inobedientiam tentasse; denique argumento art. 46: Ulad. Decr. I., 15: 1647. et 19: 1715. Iudices spirituales beneficio suo tunc quoque privari posse, dum mandato Iudicum ordinariorum non obtemperant. In horum autem obversum absque omni fundamento id obverti posse, quod praecitatarum legum dispositio in effectum non iverit; praeterquam enim quod ad evincendum exinde legum praecitatarum amplius haud subsistentem valorem remonstrare oporteret, plures consimiles casus a tempore conditarum harum legum intervenisse, in eos tamen aut plane non, aut alia ratione, quam per leges has praescribitur, animadvertendum fuisse; ita sub Augusto olim Imper. et Rege Carolo VI. Eppum Vaciensem ab Althann propter inobedientiam auctoritate Regia beneficio suo privatum fuisse; sub Iosepho 2. autem moderno Eppo Rosnaviensi ob inobedientiam beneficii privationem imminuisse, prout id ex actis constat. Frustra demum et illud obverti posse, quod ex dispositione praeattactarum legum, sign. art. 8: Ulad. Decr. VI. factum Eppi Rosn. notorium dicendum esset, per art. 12: 1723. vero pro omnibus aliis casibus in art 9. 10. 11: 1723. non specificatis et adhuc notoriis dici nequeuntibus arbitraria poena pro ratione delicti statuatur, ac taliter dispositio praecedaneacarum legum alterata esse videatur. Nam ex art. 8. Ulad. D. VI. clare patet, ex praescripto eius in

casu ibidem expresso Praelatos tantum in amissione Praelaturae et beneficii, Barones e contra et Nobiles in amissione bonorum suorum convincendos esse, ac eo ipso pro infidelibus et exulibus habendos. Unde patet et id, quod casus in hocce artic. designati alia ratione relate ad Praelatos, alia relate ad Barones et Nobiles sumi debeant, quoad hos nempe infidelitatem importasse, non item relate ad Praelatos; quare etiam argumentum ex art. 12: 1723. desumendum ausibus huius Eppi applicari haud posse, illosque notos dici nequire rem ipsam et clarum tenorem art. 8: Ulad. D. VI. loqui. His itaque perpensis eo suam Consilium R. dirigit opinionem, ut Maj. V. Sacr. saepefatum Eppum Rosn. ad audiendum verbum Regium Viennam evocet, hicque eidem altissimo nomine imponatur, ut Circulares suas legibus et Resol. R. contrarias unaque interdictum revocet, ea cum comminatione, quod Maj. V. Sacr. casum in illum, si idem Eppus hace non revocaverit, iure suo usura sit, et proventus eius sensu Decreti S. Lad. l. 3. c. 15. ac art. 14. 15 : 1548. pro Regia sua auctoritate sequestro affici curabit. Si autem Eppus hic non obstante talismodi comminatione Circulares suas revocare non voluerit, tunc demum statim ad effectivam sequestrationem proventuum procedendum, ab ulteriori autem explanatione art. 26: 1791. penitus praescindendum esse censet.

Ceterum innuit Consilium R. membra Commissionis Eccles. hoc in merito celebratae, Consiliarios videlicet Klobusiczky, C. Mailáth, Eppos Mitterpacher et Mandich, ac Cardinalem Primatem opinioni eiusdem Commissionis Eccl. ultro inhaesisse, et voto Commissionis huius Consiliarios quoque Mihálkovits et Skerlecz per totum, Consiliarium vero Boros in substantia, ac Comitem Tavernicum accessisse, peculiares Consiliariorum Latinovich et Boros, Comitis item Tavernici, et Cardinalis Primatis reflexiones repraesentationi huic adnectendo. Tenore harum reflexionum Consiliarius Latinovich declarat: se quidem in substantia ad maioritatis votum accedere, sed citatis pro eo solidando in repraes. Consilii legibus adhaerere non posse, verum fundamento solum legis S. Lad. c. 15. l. 3. et eminentis iuris Patronatus, quo Rex Hungariae ut Rex Apostolicus utitur, renitentiam Eppi Rosn.

si nempe ad andiendum verbum regium citatus ultro quoque se reniteutem exhibuerit, vindicari posse. Consiliarius autem Boros voto Commissionis Ecc. cui in substantia adstipulatur, id tantum addendum censet : ut interdictum episcopale qua illegale totius huius procedurae consectarium et accessorium alioquin ad agenda potius ecclesiastica pertinens, via Metropolitana retractandum committatur, quo fiet, ut populus et parochi intellecto hoc metropolitani fori qua legitimae eccles. supremae iurisdictionis edicto tam ad quietem animi ponantur, quam et effectus legis maior procuretur. Quantum ad poenam renitentiae legibus accomodandam, cum dubium sit, an casus praesens positivae legi stricte applicari possit nec ne? declarat idem Consiliarius, se non posse praesumere tale poenalitatis genus via politica proponere, quod in stricta iuris via, ubi Eppo se defendendi materia praeberi deberet, sustineri non posset, praesertim cum praecipua illa circumstantia, quae maximae attentionis est, interdicti uempe Carolo-Kissiani e cathedra per parochos facta publicatio et eius a participatione sacramentorum formalis prohibitio ob procuratam Circularium interceptionem ex actis hactenus substratis clare erui non valeret; interim tamen occasione executionis per Commissarium Regium Eppo declarandum censet, ut in futurum a similibus interdictis, quae publicam pacem et tranquillitatem facile turbare possunt, publicandis sub poena suspensionis a temporalibus abstinere noverit. Demum pro futura provisione quoad similes casus statuenda illud medium opportunissime arripiendum svadet, ut in similibus casibus matrimonii per fora secularia quoad vinculum inter Protestantes soluti pars catholica, quae taliter solutam personam evang. Conf. ducere vult, coram Episcopo se ea ratione, qua pro impedimentis aliis removendis aut dandis dispensationibus iuxta praescriptum Ecclesiae Cath. recurrisset, sistere, substratum ei negotium plane declarare, et consensum scriptum expetere teneatur, quo ita vel accepto vel denegato in hoc posteriori casu recursum suum ad Forum Metropolitanum, vel nec hic obtento favorabili iudicio ad Principem, quo legis effectus procurari possit, recursum facere valeat. Porro Consiliarius Tavernicus Eppum Rosnav. contra art. 26: 1791.

egisse agnoscit, quando in Circulari ad Clerum suae dioecesis dimisso docendum statuit, per neminem Catholicorum agnosci posse vinculi matrimonialis nullitatem, quae secundum Aug. et Helv. Conf. principia per civile Iudicium asserta sit; cum eiusmodi divortii sententiae, etsi Eppos ad agnoscendam talismodi vinculi nullitatem eamque ad Catholicos extendendam obligare nequeant, quoad effectus tamen civiles vigore praecitati articuli ubique pro validis habendae sint; praeterea dictum Eppum contra altissime praescripta normalia egisse censet in eo, quod in Carolum Kiss interdictum excommunicationi superaddendo eius vulgandi occasionem per Circulare suum ad Clerum dioec. dimissum praebuerit, quin huiusce censurae causam ad tenorem ben. ordinationis a. 1793. editae pro impertiendo Placeto Regio cum tota processus serie substravisset; sed sicut errores et illegalitates iudicum cassatione factorum per Regiam Maj. qua supremum Iustitiarium tolli et annullari consveverunt, ita opinioni Commissionis Eccl. ad eum scopum directae accedendum putat, censendo: poenam renitentiae haud levem subiturum esse Eppum, si haec cassatio et annullatio interventu Commissarii Regii et cum improbatione peracta fuerit. Quod alteram partem opinionis Commiss. Eccl. concernit, cum in matrimonio per divortiatam personam evangelicam cum persona catholica contrahendo de veri nominis sacramento agi certum sit, hinc quemadmodum susceptio et administratio sacramentorum res spiritualis est, ita in eo quoque, ut suborientibus dubiis haec pro quietatione conscientiarum et suscipientium et administrantium seu assistentium in foris spiritualibus cognoscantur, depromtae Commiss. Eccl. opinioni adstipulatur idem C. Tavernicus. Demum Cardinalis Primas ex incidenti huiusmodi diversitatis opinionum ulteriores circumstantias et motiva, quae Commissionem Eccl. ad depromtum suum votum et illud porro sustinendum permoverunt, in suis reflexionibus adducere censuit, nempe hoc voto absolvi totum, quod Resolutio R. de 7. Dec. 1795. fieri exigit: cum 1. Acta reaccludi commissa remittantur; 2. renitentiam Eppi Rosn. vindicandi modus proponatur efficacissimus, et una referantur leges, quae tribuunt Maiestati

ius, sibi et mandatis suis obsequium procurandi, aliarum legum de obsequio mandatis regiis procurando et puniendis refractariis adductarum ad praesentem casum applicabilitate propterea in dubium vocata, quod illae magis ad casum notae infidelitatis et periculosorum motuum referri censeantur, quodve secus casus notae infidelitatis nimis multiplicarentur, et ad plures eventus extenderentur, quod tamen in iis casibus, in quibus Commissarius Regius ad Politicas Iurisdictiones exmissus fuit pro cassandis determinationibus in Congregatione Comitatuum factis, praecautum fuit. His subnectit idem Cardin. Primas, quod si Eppus Rosn. censendus est omnium illorum delictorum reus, quorum per Comitatum Gömöriensem incusatur, profecto non videtur, qua ratione hac ipsae delictorum imputationes renitentiae quoque in repraesentationibus eiusdem Comitatus de preli libertate, de mixtis matrimoniis, de libertate transitus a Religione Cath. ad Evangelicorum Confessionem iterato manifestatae non aeque applicari deberent; 3. Per Commissionem Eccl. renitentiam huius Eppi vindicandi modus longe severior proponatur, ac esset illa occupatio temporalium; longe enim magis candidum Eppi animum et reale conscientiae suae et suorum salvandae studium afficere debet, coram Clero suo reprobari et cassari factum, quam subtractio proventuum: quod vix unquam deberet esse medium revocandarum per Eppum Currentalium; voto tamen Commissionis Eccles. efficacissimus Resolutionis R. procuratur effectus, quia cassantur illae Currentales effective coram iis, ad quos directae et quibus publicatae fuerunt. In quo facto Eppum normalibus Resol. Regiis passim iam antea ad effectum deductis contravenisse adinveniebatur. Ceterum ex omnibus hoc in merito interventis actis id patere notat Card. Primas, quod Eppus Rosn. dimiserit ad Clerum suum Currentales duo haec membra complectentes: unum, quo Carolus Kiss sacramentorum et absolutionis incapax declaratur, quodve restrictim ad notitiam duntaxat Cleri, neutiquam vero ad publicandum populo seu ex cathedra seu alia ratione currentandum committitur, eius tamen censurae eccles. supposita publicatio praecipue revocanda et vindicanda praecipitur; cum autem currentationem

hanc ex cathedra publicatam fuisse nullibi appareat, neque revocationi huius publicationis, quae videlicet relate ad populum nec commissa nec facta fuisse probatur, locum dari posse. Alterum, quo iubentur Parochi fidelem populum de fidei capitibus in S. Conc. Trid. de matrimonii sacramento propositis minutim docere, quo proinde doctrina ex praescripto C. Trid. committitur; ea, quae in hoc altero membro a verbis „quo plene intelligant fideles“ sequuntur, tantum ut consectaria commissae huius doctrinae et effectus inde secuturi consideranda esse, eaque populo publicari haud commissa, sed tantum parochis pro motivo et fructu doctrinae allata haberi; et quousque evidenter non constat, an primum vel alterum vel utrumque Circularium membrum per extensum populo per universam dioecesim ex cathedris publicatum fuerit, eousque minus tutum esse eorum velut nonpublicatorum revocationem coram populo institui, quia tum primum fieret, quod vellemus factum non fuisse; imo Eppum quoad doctrinam de sacr. Matr. quomodo tradendam via politica mandata recipere nec debere, ac eundem eadem via erroris hoc in passu nec subsumendum esse. Quod porro verbalis Currentalium Eppalium ad literam publicatio intermissa fuerit, id eo magis fundate credi posse, quod non defuissent partes de commissa hac publicatione querulantes factum et circumstantias illius referre, quodve Comitatus Gömöriensis parochos ab earum publicatione statim absterruerit directa actione fiscali, quam illi eo facilius intermittere potuerant, quo minus id iisdem commissum fuit. Utinam (prosequitur Primas in suis reflexionibus) non vidisset probam, quam Sedria Comitatus de defectu consensus Barbarae Beretky assumsit, facilius evincere potuisset ad declarandum, illud matrimonium e defectu consensus in origine nullum fuisse. Sed quam debilia sint pro titulo hoc assumta documenta in Sedriali sententia provocata, quam aperte collusionem partium exhibeant, cuique eadem inspicienti patebit: dum nihil curant partes sibi testimonium dare non tantum de defectu consensus, sed et de adulterio, ut quo facilius obtineant dissolutionem vinculi, in quam iam praevie consensere ad invicem. Rex, qui suam conscientiam in illam iudicum exonerat,

nec sententias iuris ordine latas extra viam iuris reformare reservavit, decrevit sententia Sedriae ex principio Catholicae Religioni proprio adinventam dissolutionem vinculi in foro fori sustinendam esse, ut vel inde contra eius in linea civilis effectus valorem prout votum Commissionis Eccl. distingvit, via facti ab Eppo nihil suscipiendum sit, sed patienter ferre deberet impeditum sententiae suae effectum, et pro indole Ecclesiae eidem nihil ac preces, repraesentationes, monitiones paternae restant. Quam bene vero conciliari possit excommunicationis vigor cum effectibus civilibus, quin una vel altera pars de religionis principiis diverse sentiens in suis turbetur, et inde omnis aemulatio, collisio et offensio utriusque avertatur, exemplum dedit Rex Borussiae in Resolutione sua ad Gubernium Principatus Halberstadiensis a. 1749. data. Etsi autem modus per Eppos cognoscendi legalitatem dissoluti quoad vinculum matrimonii, num ex principiis Cath. Religioni propriis lata sit sententia, art. 26: 1791. in specie expressus non sit, caque in parte perfectius statutum in Diaeta procurandum restet, eodem tamen art. §. 6. manifeste statuitur Eppus iudex in causis mixti matrimonii, et art. 12: 1791. foris iuridicis sua legalis activitas asseritur. Sed praescindendo ab evictione hac in parte sententiae suae idem Card. Primas tamen votum Commissionis Eccl. invincibiliter in ea parte stare debere statuit, qua hoc petitur tamquam medium tranquillandae conscientiae Epporum et partium catholicarum. Ubi enim involvitur ratio sacramenti, quod ex parte catholica semper occurrit, incursus peccati et necessitas absolutionis, profecto quidquid statuant fora eatenus seu politica seu iuridica secularia, partem catholicam de periculo amittendae salutis non eripiunt, et vel ideo anxietatem conscientiae catholici quietare non possunt. Porro ubi legis novae sensus dubius est, ne vel pro una vel altera parte eius extra Diaetam suscipiatur interpretatio (semper, cuicunque faveat, illegalis futura), nihil legibus magis conforme adinveniri potest, quam meritum hoc in statu ante novam legem, regulationem nempe Patentalium Matrimonii et normalium Resol. Reg. relinquere. Quae autem crimina Eppo Rosn. Comitatus Gömöriensis imputat, quas ille consequentias in

detrimentum pacis publicae adstruit, eas nec Catholicis, qui Evangelicis in suis principiis nullam vim externam inferunt, nec ab iis per imperium exigunt dogmata et disciplinae eccles. principia sequi, tribuenda esse, sed ea secutura fore, si Catholicis vis inferretur externa ad principia Religioni suae adversa sequenda; relinquatur cuilibet Religioni sibi proprium, tunc suapte tranquillitatem publicam substituram esse; omnem per dictum Comitatum lapidem moveri, ut indignationem Regis in caput zelantis Eppi eo in gradu excitet, ut plane a vigilantia et pastorali sollicitudine legum patriarum in praesidium Cath. Religionis latarum obsequio ben. Resolutionum R. citius liberaretur, quo fieret, ut Cath. Religionis incrementum illis in partibus impediatur, apostasiae et perversioni prolium e mixtis matr. liberior modus fiat, ut ex tenoribus repraes. patet. Si vacantibus Eppatibus MVaradinensi, Vaciensi, Neosoliensi etiam Rosnaviensis accederet, Catholicis maximum interitus religionis periculum sequeretur, praecipue in succrescente nobili iuventute ad Magistratus publicos applicanda. Neosoliensem et Rosnaviensem Eppatus voto etiam Cardinalis Primatis a Strigoniensi AEppatu apostolica MTheresiae providentia sequestratos esse, quia in iis partibus praesentiam, vigilantiam, doctrinam praeferenter necessariam esse ex tristi anteactorum experientia recognitum fuit, et vel ideo si temporum modernorum circumstantiae, quibus Maj. Vestra Sacr. totis viribus incumbit ad feliciter terminandum bellum in eversionem omnis positivae Religionis cum sangvinis et facultatum profusione continuatum non admitterent zelum Maj. Vestrae impleri in celeriori de digno his partibus Pastore provisione, idem Cardin. Primas ad partes officii sui cum benigno Maj. V. Sacr. annutu pertinere existimaret, orphanis suffraganeis Ecclesiis quo efficaciori modo et opera succurrendi ex Sede Metropolitana, ubi adhuc procul sunt eiusmodi pericula ad medium harum Dioecesium procurrendi, imo ad publicos Comitatuum consessus in omni spiritu lenitatis, indulgentiae inermis properandi] docendo, hortando, explanando, sed vel maxime (quod eidem alias freqnentissime successit), concinnando differentias, sustinere periclitantem in illis partibus Religi-

onem Cath. dum unius alteriusve anni vacantia indubie secutura Religioni Cath. damnum nec decennalis et ultra impendenda dignissimi etiam Praesulis opera remederi potest. Ceterum hoc in merito horsum exhibitae, abhinc vero Consilio R. transmissae Comitatuum Gömör, Neogradiensis, et Honthensis repraesentationes, quas per praemissa Commissio Eccl. et Consilium R. pro superatis declaravit, Maj. Vestrae altissimo obtutui aeque substernuntur.

Votum Cancellariae. Cum in hac repraesentatione Consilii R. plures leges citentur, ex iisque argumenta deducantur, in quibus deinde maioritas votorum Consilii fundatur, obsequentissima haec Cancellaria inprimis argumenta illa assumenda et expendenda esse existimavit: circa quae sequentes occurrunt gravioris momenti reflexiones: 1. Si art. 78: 1563. ad renitentiam Eppi Rosnaviensis applicabilis esset, tum idem Eppus in amissione officii, in poena 200 fl. convinci, ac insuper infamia notari deberet, quia hic articulus contra nonobtemperantes mandatis iudicialibus has poenas statuit; quas tamen eidem Eppo irrogandas esse neque maioritas votorum Consilii L. ad calcem eiusdem Repraesentationis proposuit, ubi videlicet post praemissa ex legibus deducta argumenta opinionem suam concludit. Eundem articulum, quamvis in eodem inter iudices seculares et ecclesiasticos aperta distinctio non fiat, ad iudices tantum seculares referri, tum ex combinatione et contextu posterioris art. 53: 1655. qui ad praecitatum Art. 78: 1563. se refert, tum vel maxime inde patet, quia per Consilium L. etiam provocatur, ac articulo 15 : 1647. disticta poena statuta est contra iudices ecclesiasticos mandata iudiciaria non observantes. Istae quidem leges dictant poenam amissionis beneficii ecclesiastici, sed in posteriori art. 70 : 1618. expresse excipiuntur causae matrimoniales. Verba enim art. 15 : 1647. haec sunt: ‚ut mandatis declinatoriis, seu dum causa coram foro spirituali suscitata abinde ad forum seculare per Mandatum avocatur, extra solas causas matrimoniales sub amissione beneficiorum locus detur.‘ Ac etiam in art. 70 : 1618. adiecta est clausula ‚demtis matrimonialibus.‘ Hic autem in quaestione vertitur causa matrimonialis. Ceterum in toto hoc negotio neque ema-

navit aliud mandatum proprie iudiciale, nisi primaevum illud Rescriptum Regium erga primam Cancellariae huius Aul. propositionem expeditum, vigore cuius sententia in processu contra Carolum Kiss coram S. Sede Rosnaviensi ad infligendam poenam scandali suscitato lata cassata est. Huic autem morem gessit Eppus Rosnaviensis, quia processui illi et in eodem latae sententiae, et per hanc dictatae poenae desumtionis non institit, sed in statu cassationis reliquit. Imo licet clara sit dispositio art 26 : 1791. ut causae matr. mixtorum, ad quorum classem matr. Carolo-Kissianum refertur, in Sede spirituali diiudicentur; licet Commissio Eccles. svaserit dictum Eppum coinviandum esse, ut si matr. Caroli Kiss pro legali non agnoscit, eum ad Sedem suam spiritualem medio Fisci sui Dioecesani evocari curet, idem tamen nulla lite Carolum Kiss impetit. Reliquum, quod circa revocationem Circularium Eppo Rosnaviensi demandatum est, siquidem prout Circulares illae extra viam iuris emanarunt, ita etiam earum revocatio duntaxat via politica eidem Eppo imposita ad classem mandatorum iudiciariorum referri non potest, adeoque quod idem Eppus Mandato Regio hac in parte non obtemperaverit, hanc eius renitentiam vindicandi ratio non in legibus, quae de nonobservatoribus mandatorum iudiciariorum sonant, quaeve iudices ecclesiasticos in causis matrimonialibus a poena potius eximunt, quaeri debet. 2. Articulus 8 : Ulad. decret. VI. prout ex eius contextu et ex nexu praec. art. 7. evidens est, sonat de illis, qui publice et manifeste legibus et constitutionibus Regni se opponunt, licentiose vivunt, in alios grassantur, et libertates Regni violant : Eppus autem Rosnaviensis vult potius articulo 26 : 1791. semet conformare, huiusque ipsius legis dispositione factum suum defendit, dum ad verba eiusdem articuli provocat, et eius argumentum nectit, quod prout divortium inter Nicolaum Vattay et Barbaram Beretky in foro seculari pronunciatum, ita ex hoc divortio enatum per Car. Kiss Catholicum initum mixtum matrim. pro legitimo agnoscere non obligetur; et quia Carolus Kiss ab hoc matrimonio ad iteratas monitiones et cohortationes recedere noluit, integrum sibi esse putat, vi iurisdictionis spiritualis sibi qua

Eppo competentis eundem Car. Kiss tamquam Barbarae Beretky illegitime cohabitantem, donec eam dimiserit, sacramentorum incapacem declarare; consequenter totum, quod eidem Eppo imputatur, tantum ex interpretatione legis promanat. Igitur neque art. 8: Ulad. Decr. VI. ad renitentiam Eppi Rosn. applicabilis est, secus omnes etiam seculares, qui in particulari quopiam casu ex legum interpretatione iuxta proprium suum sensum facta aliquid legi adversum agunt, et nec erga mandatum Regium a propria sua interpretatione et huic innixo facto suo recedunt, sed ei insistunt, seque renitentes exhibent, poenam praecitati art. 8. incurrere deberent. Advertit hanc sequelam etiam Consilium L. R. maioritate votorum, et ideo distinctionem facit inter Ecclesiasticos et seculares, demonstrareque nititur, poenam praecitato art. statutam nonnisi quoad Ecclesiasticos hucdum subsistere, relate vero ad seculares iam cessasse: siquidem in eodem art. poenam notae infidelitatis dictatam fuisse patet secularibus, haec vero per art. 9. et 12: 1723. iam reducta sit ad poenam arbitrariam, cum casus art. 8. D. VI. in subsequo art. 9: 1723. inter casus notae infidelitatis non recenseatur. Sed patet ex cit. art. 8. quod ibi nec contra seculares statuta sit poena notae infidelitatis, ac verba: ‚perpetuus Regiae Maiestatis et Regni infidelis et exul habeatur' nec proprie notam infidelitatis denotent, sed in lato sensu sumenda sint, quia nec secularibus poena capitis, sed tantum amissionis bonorum dictabatur, et bona etiam non Fisco Regio, prout fit in crimine infidelitatis, addicta sint, sed ut in publicam praedam convertantur, statutum fuit; adeoque si factum Eppi Rosn. ad praecit. artic. referri posset, etiam seculares in simili casu poena eiusdem articuli plectendi forent, hoc autem perturbationem potius in Regno excitaret, quam ut hac ratione auctoritas Regia vindicaretur, quia in eodem articulo ipsis Comitatibus delata est potestas, bona mediocrium personarum spiritualium et secularium pro lubitu Comitatuum in publicam praedam convertendi. Plures etiam reflexiones possent contra eundem Artic. adferri, sed sufficiat unum id adhuc attingere, quod hic sit ille articulus, et hunc praecedens 7. Decr. VI. ad quos etiam sub initio Comitiorum a 1791. provocatum fuit. 3. Si inobedientia Eppi

Rosn. ad Tit. 13. P. I. revocari potest, prout Consilium L. maioritate votorum statuit, tunc idem Eppus tamquam notae infidelitatis, de qua praecit. Titulus loquitur, reus non solum bona sed et caput amittere deberet. Sed prout de hac poena eidem infligenda nec cogitari potest, ita etiam ipsum Consilium L. ad calcem repraesentationis suae, ubi maioritate votorum opinionem suam concludit, talem poenam dicto Eppo irrogandam non proponit. 4. Articulum 21 : 1545. ideo citat Consilium L. et renitentiam Eppi Rosn. ad hunc art. applicat, quod in art. 15: 1548 provocetur ad constitutiones in proximis Conventibus super punitione inobedientium factas, sed propter art. 21 : 1546. ad praesentem casum prorsus non est applicabilis, quia conditus est contra nobiles talibus Praelatis et Baronibus servire praesumentes, qui manifeste inobedientes et publicarum constitutionum violatores sunt, praedasque, spolia et idgenus mala exercere solent. Secus si hic articulus pure eo, quod etiam inobedientes commemoret, ad casum praesentem applicabilis esset, tunc in simili casu etiam seculares poena eiusdem art. affici et bona eorum fisco regio cedere deberent. Itaque ex legibus in repraesentatione Consilii L. citatis nonnisi cap. 15. lib. 3. S. Lad. R. et art. 14. et 15 : 1548. ad renitentiam Eppi Rosn. applicabiles sunt. Interim circa illas etiam, quae ad casum hunc applicari possunt, Regni leges observandum venit, quod in generalitate duntaxat subsistant, et poenam inobedientiae non determinent, adeoque poenae arbitrariae locum relinquant. Et hinc profluit varietas opinionum ac differentia inter propositionem Commissionis Eccl. et Consilii L.

Iam quod modum et media vindicandae renitentiae Eppi Rosn. procurandi effectus Resolutionis R. quoad revocationem quaestionatarum Circularium elargitae tam per Consilium L. maioritate votorum, quam et per Commissionem Eccl. et huic adhaerentem minoritatem votorum Consilii L. proposita attinet: quaestio tantum superest, quodnam ex propositis mediis magis expediens, efficaciusque sit, anne alterutrum ex iis amplectendum, vel aliud deligendum veniat. Sed priusquam haec obs. Cancellaria Aulica quaestionem hanc ingrediatur, humillime insinuandum habet: novam se evol-

visse circumstantiam, ad quam in prioribus Cancellariae huius propositionibus reflecti haud potuit; quippe hactenus hoc in merito editae Resolutiones Regiae supposito in eo radicabantur, quod causa divortialis inter Nicol. Vattay et Barbaram Beretky iam iuxta ordinem iuris et vigentia quoad causas matrim. Evangelicorum principia ex integro decisa, lataque in foro seculari divortii sententia inalterabilis sit, plenumque vigorem habeat. Interim medio tempore reperta est in Archivo huius Cancellariae normalis Resolutio ex particulari casu, processu nempe divortiali Helenae Szeder per Tabulam Septemviralem conformiter normali Resolutioni iam tunc in Germanicis haereditariis provinciis vigenti relate etiam ad Hungariam et Transylvaniam edita, vigore cuius ad avertendum id, ne matrimonia ex collusione partium coniugatarum mutuoque earum consensu dissolvantur, et fluxa reddantur, praescriptum est: ut in causis matrim. non solum Catholicorum sed et Evang. Confessioni addictorum Pauperum Advocatus et respective Syndicus seu Fiscus Magistratualis Defensorem matrimonii agat, idemque neglectum partis, contra quam ad divortium proceditur, in defensione matrimonii supplere, sique per forum primae instantiae sententia vinculum matr. dissolvens feratur, appellatam interponere, et prosequi teneatur. Quae normalis Resolutio via Tabulae Regiae per Regnum Hungariae publicata hucdum vigorem retinet, quia art. 26: 1791. statutum est: ut causae matrim. Evangelicorum, donec eorum Consistoria organisata fuerint, iuxta principia posterioribus annis eundem Articulum praecedentibus vigentia iudicentur. Eidem tamen normali Resolutioni in processu divortiali per Barbaram Beretky contra Nic. Vattay suscitato satisfactum non est, quia processus hic non subivit revisionem fori appellationis, sed neutra partium coniugatarum appellante substitit pure penes sententiam Sedriae C. Neogradiensis, unde concludendum videtur, quod Magistratualis Fiscus seu ex puro neglectu sibi qua matrimonii defensori incumbentis obligationis, seu e conniventia aut plane collusione appellatam a sententia Sedriae C. Neogr. eundem Fiscalem ad obligationem suam reflexerit. Ex hoc vero neglectu seu plane collusione Fisci Magistratualis non hoc sequi-

tur, quod res penes solam sententiam Sedriae C. Neograd. relinqui debeat aut possit, sed quod per Mandatum Regium supplendum sit illud, quod defensor matr. intermisit. Nec obstat, quod Barbara Beretky praevio modo divortiata novum matrimonium cum Car. Kiss iam effective inverit; istud enim, antequam causa divortialis contra Nic. Vattay erecta iuxta ordinem iuris in foro etiam appellatorio plene terminaretur, illegitime contractum est, matrimonium vero illegitime initum per id, quod iam initum sit, legitimum non redditur, alioquin culpa illius (Caroli Kiss) praemature contractum est; ille enim qua subalterni iudicii C. Gömöriensis antehac assessor debuit praecitatam normalem Resolutionem a. 1788. scire; praeterea iam in prima propositione hoc in merito Maj. Sacr. submissa sub Nro 6217. a. 1794. remonstratum est, qualiter idem Car. Kiss Parochum recitatione iuramenti matrimonialis per sponsos deponi soliti circumvenerit, et post eius recitationem coram Parocho factam, Barbaram Beretky iam consortem suam esse declaraverit. Profecto si Car. Kiss rem ita non praevenisset, sed ad impedimenta circa copulationem per Eppum Rosn. sibi proposita pro remedio ad Maj. V. Sacr. recurrisset, ac praecitata normalis Resolutio a. 1788. neglectaque per defensorem matrimonii appellata Maj. Vrae substrata fuisset, prorsus non dubitat obs. haec Cancellaria, quod Maj. Vra priusquam Carolo Kiss cum Barbara Beretky ineundum matrimonium admittatur, processum divortialem contra Nic. Vattay suscitatum in foro appellationis revideri iussisset. Idipsum ergo nunc etiam ordinandum restat, quia facto matrimonii per Car. Kiss contracti non suppletur nec reparatur id, quod in praeattacto processu divortiali neglectum est. Porro attentam reddiderunt obs. hanc Cancellariam verba Cardinalis Primatis in eiusdem Reflexionibus contenta, quibus indicat, documenta in sententia Sedriae C. Neograd. provocata collusionem inter Nicolaum Vattay et Barbaram Beretky aperte exhibere; eo minus igitur svadere potest obs. haec Cancellaria, ut divortium inter Nic. Vattay et Barb. Beretky pronunciatum penes sententiam solius Sedriae C. Neograd. ex collusione partium promanantem relinquatur, sed tam pro securitate

prolium Caroli Kiss e Barbara Beretky recipiendarum, quam ad antevertendas sequelas, ne res in aliis casibus in exemplum trahatur, necessarium esse putat, ut memoratus processus in foro quoque appellatorio revideatur, tanto magis quidem, quod ex circumstantiis colligatur, fiscum magistratualem non tantum appellatam neglexisse, sed nec secus in eundem processum in qualitate defensoris matr. influxisse. Proinde postquam Maj. V. Sacr. voto illi Commissionis Eccl. ut Eppus Rosn. eo invietur, ut medio fisci dioecesani Carolum Kiss ad recipiendum de inito per eum mixto matrimonio iudicium ad Sedem spiritualem evocari curet, deferre dignata non est, inprimis audiendus esset Comitatus Neogradiensis: cur praecitata normalis Resolutio a. 1788. in processu divortiali Barbarae Beretky observata non sit? seu cur fiscus magistratualis partes defensoris matr. non expleverit et appellatam interponere neglexerit, vel si interposuit, cur processus ad Tabulam Reg. transmissus non sit? unaque ordinandum esset, ut dictus Comitatus eundem processum in originali horsum pro altissima inspectione submittat, qui dein abhinc Tabulae Regiae eo cum mandato transmittendus foret, ut quo celerius eius revisionem assumat, sique divortio inter Nic. Vattay, et Barb. Beretky locum esse iudicaverit, in sententia diserte exprimat: an consensus defectus probetur, vel tantum ex odio implacabili divortio locus sit? Secus si neque de validitate matrimonii Kissiani in foro spirituali iudicium ferri, neque causam divortialem Barbarae Beretky contra Nicol. Vattay in foro seculari plene terminari adeoque in foro appellationis revideri admitteretur, legalitas matrimonii solius Sedriae C. Neograd. sententiae superaedificati semper fluctuaret, dubioque et quaestioni obnoxia maneret, ac posset aliquando prolium etiam Kissianarum legitimatio in crisim vocari; per Resolutionem enim R. sententiae illi maior vis non tribuitur, quam ea in se habeat. Nam nec est obiectum Resolutionum R. sententias in via iuris latas quoad ipsum earum meritum approbare, vel reformare, sed ubi praescriptus ordo iuris non observatur, sicut in causa divortiali Barbarae Beretky contra Nic. Vattay

observatus non est, aut causa vel sententiae executio praecipitatur, in his et similibus casibus pertinet ad auctoritatem Regiam ea, quae ad modum et formam administrationis iustitiae referuntur, suprema iustitiaria et executiva potestate praeciperet. Ac si etiam praeattactam sententiam Sedriae C. Neogr. in ipso merito decidere et approbare vellet Maj. V. Sacr., ipse processus divortialis Barbarae Beretky, qui isthic nondum visus est, altissimae revisioni substerni deberet.

Verum quidem est, quod ultra quaestionem de divortio Barbarae Beretky a Nicolao Vattay nondum in foro seculari plene superatam subversentur etiam Circulares per Eppum Rosn. ad Clerum suae Dioecesis dimissae, quarum intuitu etiam Cancellaria haec in propositione sua sub Nro 645. a. 1795. agnovit, eundem Eppum in modo agendi aberrasse. Sed tamen etiam quoad revocationem harum Circularium praestat ab eo praestolari, quidnam Curia Regia in processu divortiali deliberatura sit. Alioquin in unico termino poterit idem processus in tota Curia revideri. Nam factum neglectae in eodem processu appellatae mutat rei faciem relate etiam ad revocationem praeattactarum Circularium; cum enim sententia Sedriae Neogradiensis, uti praemissum est, non habeat adhuc eum vigorem, ut penes eam solam matrimonium per Car. Kiss cum Barbara Beretky valide contrahi potuisset, sed approbatio vel reformatio sententiae illius a revisione Curiae R. pendeat, adeoque adhuc sub iudice lis sit, suapte sequitur, quod interea Carolus Kiss a moderna consorte sua de recto ordine divelli deberet; ut autem parte ex una ille a coniuge sua divellatur, parte ex altera Circulares in illegitima iuxta opinionem Eppi Rosn. cohabitatione illius fundatae revocentur, non videtur secus conciliabile esse, quam si revocatio Circularium ad eam causam restringatur, quod Eppus Rosn. absque praevia Resolutione R. Carolum Kiss censura eccles. affecerit. Sed et si a separatione Caroli Kiss a sua coniuge usque revisionem Curiae R. praescindatur, tamen relate etiam ad revocationem Circularium multum pendet a sententia Curiae Regiae. Nam quoad principalem de validitate matrimonii Kissiani quaestionem, ex qua reliqua profluunt, fundamentum hactenus editae Resolutionis R. illud est, quod Bar-

bara Beretky ex defectu etiam consensus à priori marito suo divortiata fuerit; si proinde Curia R. iudicaverit defectum consensus non probari, sed tantum ex odio implacabili, apud solos Evang. Confessioni addictos obtinente principio, divortio locum esse, vel plane matrimonium Vattayano-Beretkyanum stabiliverit, tunc ex eodem principio, ex quo Catharina Ziman et Barbara Vörös ab ineundo cum catholicis sponsis matrimonio vigore Resolutionis Nro 6862. a. 1795. amotae sunt, etiam Carolus Kiss a coniuge sua Barbara Beretky recedere debebit, ac hac ratione praeattactae Currentales quoad personam Caroli Kiss suapte cessabunt, nec erit aliud obiectum revocationis earum, quam si ideo fiat, quod, ut praemissum est, Eppus Rosn. absque praevia Resolutione R. ad infligendam Carolo Kiss censuram eccles. processerit. E converso si Curia R. quoque iudicaverit defectum consensus Barbarae Beretky relate ad matrimonium cum Nicolao Vattay contractum sufficienter probari, iam tunc expedientius poterit effectus Resolutionis R. quoad revocationem Circularium relate ad causam, ex qua Eppus Carolum Kiss sacramentorum incapacem declaravit, procurari, et renitentia eiusdem Eppi vindicari.

Si tamen Maj. V. Sacr. videretur, non expectato eo, ut praeattactus divortialis processus in Curia R. revideretur, Resolutionem R. ad revocationem Circularium editam in effectum deducere, ordinare: obs. haec Cancellaria Aulica demisso voto suo ab illa quidem propositione Consilii L. ut Eppus Rosn. ad audiendum verbum Regium huc evocetur, revocatioque Circularium eidem porro quoque iniungatur, aliena non est, sed ut haec revocatio eidem sub comminatione sequestrationis proventuum Eppalium imponatur, consequenter si Circulares illas revocare noluerit, proventus quidem Eppales reipsa sequestrentur etiam, ex pluribus gravioribus sane ac momentosis reflexionibus svadere non potest; verum potius illud medium, quod Commissio Ecclesiastica et minoritas votorum Consilii L. proponit, deligendum et amplectendum esse censet. Nam a) usquedum aliud expediens ac efficax medium adest, tam effectum Resolutionis R. procurandi, quam et renitentiam eorum, qui mandato Regio

non obtemperant, vindicandi, numquam est ad extremitates praesertim in modernis circumstantiis progrediendum, quia his plerumque vel auctoritas Regia adhuc magis compromittitur, vel ingratis et periculosis sequelis occasio datur. Tale extremum medium esset comminatio sequestrationis proventuum eppalium, aut effectiva eorum sequestratio; nec praeverti possent periculosae aut ingratae sequelae, seu Eppus Rosn. erga hanc comminationem revocaret quaestionatas Circulares seu non; nam si revocaverit, quod ipsum evenire posse Cancellaria haec praevidere nequit, satisfiet quidem Regio Mandato, sed sequitur aliud, quod tamen omnimode praeverti oportet, nempe scandalum coram omnis religionis hominibus; subsumetur enim Clerus Catholicus, quod eousque sciat obsistere, et conscientiam suam obtendere, donec de amittendis proventibus non agitur, dum vero periculum amissionis eorum videt, ea exequatur, quae de salva conscientia facere posse negabat, adeoque conscientiam nullam habeat. Si autem non revocaverit, consequenter proventus eiusdem eppales effective sequestrentur, hoc toto in Regno apud omnes variis religionibus addictos magnam excitaret attentionem; et ii quidem, qui religionibus a catholica alienis addicti sunt, possent Clero Catholico insultare, Catholici vero attenti redderentur, dum pauci penetrarent fundamentum editae Resolutionis Regiae. In artic. enim 26: 1791. clare expressum legerent, quod causae mixtorum matr. Sedibus Catholicorum spiritualibus delatae sint, et Eppi ad agnoscendam vinculi inter Evangelicos per forum seculare dissoluti nullitatem illamque ad catholicos extendendam obligari nequeant. Communis porro plebs, quae legum ignara est, varia sibi imaginaretur, dum Eppum religionis causa proventu bonorum eppalium privatum esse cerneret; unde Clerus Catholicus, qui alioquin per moderna disseminata principia impetitur, ac contemtui exponi intenditur, magis adhuc vilesceret, atque per haec Religio ipsa in discrimen veniret, quod praesertim apud communem plebem posset evadere periculosum. Imo ipsa quoque auctoritas Regia magis compromitteretur, si Eppus Rosn. mallet proventus eppales amittere, quam Circulares illas revocare; quia effectus Reso-

lutionis R. quoad revocationem earum editae tamen non procuraretur, sed eo fine aliud medium adhiberi deberet; praeterea si Eppus Rosn. spiritualem iurisdictionem Eppalem resignare noluerit, sed fors proprio patrimonio et substantia provisus eam retinere et exercere voluerit, novae eatenus emergent difficultates, ex quibus id enasci potest, ut rursum auctoritas Regia compromittatur. E converso per proiectum Commissionis Eccles. omnes eiusdem sequelae praeverterentur, aut adminus non haberet proiectum illud tantae attentionis sequelas. Procuraretur effectus Resol. Regiae, dum per Commissarium R. absque eo, ut attentio plebis excitetur, vindicaretur renitentia Eppi Rosn. quin sensibili poena afficeretur, si factum eiusdem coram convocandis VADiaconis et Parochis auctoritate Regia reprobaretur, et revocaretur, adeoque medium, quod Commissio Eccl. proponit, est securius, expedientius et efficacius. b) Certum est, et nec in dubium vocari potest, quod Eppus Rosn. non ex studio renitentiae nolit quaestionatas Circulares revocare, sed quod in nexu plurium hoc in negotio subversantium complicatarum quaestionum, vel maxime quod hic agatur de matr. mixto veri nominis sacramento, intime persvasus sit de iis, quae in Circularibus scripsit, sentimentumque et factum suum non solum in intellectu art. 26:1791. sed etiam in lege divina, ad quam identidem provocat, ac dogmate fidei fundat; ac licet iuxta iam editam Resol. R. in errore versetur, tamen non plane absque fundamento cum errare vel ex pluribus variantibus ipsorum Dicasteriorum opinionibus clementer perspicere dignabitur Maj. Vra SSma, prout etiam in moderna Repraesentatione Consilii R. L. ita divisa sunt vota, ut in una parte 9, ac totidem in altera parte numerentur, ac nonnisi conclusivum votum Praesidis maioritatem votorum effecerit. Quemadmodum igitur evang. Confessioni addictis iam lege subventum est, ne ad actus conscientiae suae adversantes stringantur, neque Eppi Rosn. conscientiae vis inferenda est, praesertim cum non sit absoluta necessitas ad procurandum effectum Resol. R. ut ipsemet Eppus Circulares revocet, sed alia ratione possit eadem Resolutio in effectum deduci. Exemplum sumi potest hanc in rem etiam ab educa-

tione prolium mixti matrimonii. Frequentes occurrunt casus, quod proles catholice educandae taliter non educantur, numquam tamen adstringitur parens evang. Conf. addictus, ut prolem suam in Religione Cath. de qua in conscientia sua convictus non est, ipsemet in religione hac imbuat, sed tantum ut catholicam instructionem non impediat. c) Quod exempla per maioritatem votorum Consilii L. R. quoad renitentiam Eppi Rosnav. iam sub regimine Aug. Imp. et Regis olim Iosephi 2. dum dispensationem matrimonialem elargiri recusasset, exhibitam attinet: videre est ex actis isthic existentibus, quod Eppus hic nec erga Resolutionem super eo elargitam, ut Eppatum resignet, ac temporalia eidem adimantur, seu iurisdictionem eppalem resignaverit seu dispensationem sibi iniunctam elargitus sit, sed declaraverit, quod resignationem Eppatus conscientia sua nullatenus admittat; postquam vero a Nuntio Apostolico intellexisset, quod Pontifex elargiendam per eundem Eppum dispensationem non difficultet, tunc primum declaraverit, se paratum esse dispensationem elargiri, uti patet e sequentibus verbis literarum eius dd. 19. Ian. 1787: ‚Cum vero hesterno die ab Emin. D. Nuntio Ap. receptum Sanctitatis Suae super elargiendae dispensationis causa iudicium mihi innotuerit, altissimo eatenus Maj. Sacr. iussui satisfacere me posse intelligo.‘ Dein erga hanc declarationem relicto eidem Eppatu, poena 500. aureorum ipsi imposita est, quos etiam persolvit. Ex quibus proinde hoc potius coniicere licet, quod nunc etiam erga comminationem sequestrationis proventuum eppalium aut effectivam eorum sequestrationem vix revocaturus sit quaestionatas Circulares, aut Eppatum resignaturus. Circa alterum C. Althan Eppi Vaciensis adductum observandum venit: quod perhibentibus actis Eppo Vaciensi C. ab Althan praecise tantum ideo fuerint temporalia ademta et sequestrata, quia binis vicibus huc evocatus non venit, mox autem ac advenisset, bona eppalia eidem restituta fuerint, uti videre est ex ben. Manualibus dd. 9. Dec. 1731. in verbis: ‚Cum Cardinalis Eppus Vaciensis tandem obediendo Decreto ex mandato per Cancellariam eidem nomine meo intimato se ab aliquot abhinc diebus huc Viennam ad aulam stiterit,

hine videtur cessare causa, propter quam ordinaveram sequestrum reg. supra temporalia illius ponere, hinc Cancellaria Resolutionem meam Camerae Aul. insinuabit, ut illa Camerae Hungaricae et Fisco R. ordinet, ut hic sequester iterum levetur, et auferatur, ac temporalia tum sequestrata tum currentia iterum ei Cardinali libere frui sinantur.' Adeoque hoc exemplum non est applicabile ad opinionem maioritatis Consilii L. sed potius secundat opinionem Commissionis Eccl. ea in parte, quod nec praedictus Eppus Vaciensis fuerit eo adstrictus, ut protestationem in obversum Resol. R. in negotio Religionis elargitae coram Com. Pestinensi interpositam ipsemet casset et recipiat, sed hoc ordinatum extiterit, ut protestatio illa in Gen. Congregatione Comitatus laceretur et annihiletur. Ceterum cum non constet, an et quid erga saepefatas Circulares populo ex cathedra per parochos publicatum fuerit, probabileque sit, nihil populo signanter in Com. Gömöriensi publicatum ex cathedra fuisse, siquidem C. Gömöriensis actione fiscali parochis minatus sit, hinc ne tale aliquid ex cathedra revocetur, quod populo numquam publicatum est, obs. haec Cancellaria humillime censet Commissarium R. pro revocatione Circularium exmittendum ita instruendum esse, ut coram convocandis VADiaconis et Parochis Circulares illas cum modalitate per Commissionem Eccl. proposita altissimo nomine Regio revocet quidem, antequam tamen ex cathedra aliquid per Parochos revocandum disponat, praevie quemlibet Parochum audiat, an et quid in quo loco ex cathedra populo publicaverit, ac de eo relationem praestet. Viennae 14. April. 1796. — *Resolutio Regia.* Placent maiora Consilii Loc. quod ipsum eidem Consilio mox intimabitur. Viennae, 14 Iunii 1796. Franciscus.

117.

Eppi Rosnaviensis ad audiendum Verbum Regium Viennam evocati repraesentatio ad Regem. 1796.

Posteaqnam altissimo Maiestatis Vestrae iussu isthnc adveni, intellexi ex ore Excellentissimi Comitis Proto-Cancellarii, me, quod omni temporali iactura mihi ntique gravius est, displicentiam Maiestatis Vestrae incnrrisse, quod altissimis mandatis in Causa Egregii Caroli Kiss, et nobilis foeminae Barbarae Beretky morem non gesserim. Testis mihi est Deus, cui servio, et ante cuius Tribunal aliqnando stabimus, nihil mihi in votis post Deum esse magis, quam ut Maiestatis Vestrae non iussis sed vel nntibus respondeam; facturus itaque certissime eram, quidquid in hac causa etiam a me exigebatur, si per Denm licuisset; sed quod secundum Deum et salva conscientia illius, quo in Maiestatem Vestram feror, fidei, pietatis, et subiectionis studio facere non possum, potnique, minus certe facere possum, poteroque cuiuscunque temporalis detrimenti, incommodique declinandi gratia. Unius certe duntaxat Dei, quem solum Maiestati Vestrae praefero, respectu coactus, hanc humillimam declarationem facio; quod ut porro etiam clarius pateat, sequentia, quae a tempore alterius clementissimae Resolutionis, mense Augusto Anni superioris ad me perlatae, partim cogitanti in mentem, partim casu quopiam in manus venerunt, et ad pleniorem adhuc causae huius dilucidationem serviunt, Maiestati Vestrae demississime de genu substerno.

Sicut ex Fidei Catholicae doctrina, quam conceptis his verbis can. 5. Sess. 24. Concilium Tridentinum proposuit: „Si quis dixerit propter Haeresim, aut molestam cohabitationem, aut affectatam absentiam a coniuge, dissolvi posse matrimonii vinculum, anathema sit“ suapte sequitur: nullum Catholicum agnoscere posse vinculi matrimonialis nullitatem, quae ex causis Fidei Catholicae repugnantibus per quodcunque Iudicium asserta sit; ita prorsus ex Fidei Catholicae doctrina, quam his verbis concepto can. 12. eiusdem Sess. 24. Conc. Trid. proponit: „Si quis dixerit, causas

matrimoniales non spectare ad Iudices Ecclesiasticos, anathema sit" suapte sequitur: nullum Catholicum agnoscere posse nullitatem vinculi matrimonialis, ex qualicunque causa, etiam Fidei Catholicae non repugnante, per Iudicium seculare assertam. Quidquid enim sit de Scholarum quaestionibus circa ministrum matrimonii, et circa Sacramenti rationem, an ea nimirum in quibusdam casibus abesse possit: apud omnes omnino Catholicos certum est, esseque debet, non Scholarum sententias, sed Ecclesiae decisiones, Canonesque dogmaticos infallibilem regulam agendorum esse oportere, nec posse ex Scholarum sententiis Canones explicari, sed ab his debere sententiarum rationes, et momenta peti. Atque, ut a magis communi, potioreque dogmate pressius, et constrictius arguam: quemadmodum hoc ipso: quod Ecclesia in Conc. Trid. collecta Can. 1. Sess. 7. definiat: nec plura, nec pauciora esse, quam septem Sacramenta, omnis Catholicus agnoscere debet errare illum, qui sentit et dicit; non esse septem Sacramenta; ita prorsus eo ipso: quod Ecclesia in eodem Conc. hunc Can. 12. Sess. 24. proponat: „Si quis dixerit: causas matrimoniales non spectare ad Iudices Ecclesiasticos, anathema sit": omnis Catholicus agnoscere debet, errare illum, qui sentit aut dicit: causas matrimoniales non spectare ad Iudices Ecclesiasticos. Sed si istud agnoscere debet, minus utique potest ipse ita sentire, aut dicere; et cum secundum fidem vivere oporteat, nec potest in contrahendo vel contracto matrimonio Ecclesiasticum Iudicem excludere, et declinare. Quemadmodum enim citatus Canon, et comprehensa eo Catholicae fidei veritas suam relinquit civili potestati in causis matrimonialibus auctoritatem; ita nullo civilis Iuris obtentu Ecclesiastici Iudicii auctoritas in causis matrimonialibus Canone hoc asserta, minui, restringique potest. Atque ista sunt, quae pro uberiore causae, et negotii declaratione prioribus adiicienda mihi interea in mentem venerunt.

2-o. Casu insuper accidit: ut in manus meas venirent haec, quae isthic adiicio sub (A) *) in Epistola summi Pontificis ad Serenissimum olim Ducem Virtembergensem; sub (B.

*) Occurrit infra sub Nr. 121.

et C.) *) in responsis ad Episcopum quemdam datis Romanae Ecclesiae, quae Ecclesiarum omnium Mater, et Magistra unitatisque Centrum est, „ad quam (teste S. Irenaeo Lugdunensi Episcopo et Martyre, secundo Aerae Christianae seculo adversus Haereses scribente) propter potentiorem eius principalitatem omnem necesse est convenire Ecclesiam, et omnes, qui undique sunt, Fideles.“ Romanae, inquam, Ecclesiae sensa, quae clarissima in luce ponunt, quid secundum Fidei Catholicae principia in similibus casibus fieri possit.

Atque ex his et aliis quae dudum in hac causa exhibueram, momentis satis, superque perspici potest, me non quopiam veritatis fuco, sed plena, solidaque animi convictione iis, quae in hoc negotio scripsi, egique, ita inhaerere debere, ut non ad immolandos corruptibiles bonorum fructus, sed ad vitam ipsam consecrandam paratum me esse oporteat; omnis enim vere fidelis pro Fidei veritate sustinendam mortem lucrum reputat, et omnis Pastor animam ponit pro ovibus suis.

Qualibet demum molestia etiam ego afficiar, nunquam profecto, seu saluti infelicis huius viri Catholici, seu matrimonii firmitati, seu successionis, si quae ex his nuptiis nascerentur proles, securitati consuletur alia via, quam si Ecclesiasticis Iudiciis causa definienda relinquatur; illa caeteroquin, quae apud Comitatum acta est, spectatis etiam principiis, iuxta quae Comitatensia Iudicia quoad effectus civiles causas matrimoniorum inter partes alienis Confessionibus addictas contractorum decidunt, ea parte vitium habente, quod praescripta gradualis appellatio a Foro Comitatensi neglecta fuerit.

Dignetur itaque Maiestas Vestra demississimas meas preces clementer exaudire, ut si non plus aliquid clementer constituere visum fuerit, saltem liberum relinquatur huic viro, cuius cor miserentis Dei gratia semper utique adhuc ad meliora revocare potest, causam suam legitimo Ecclesiae Iudicio substernere, quo et eiusdem saluti, et si fieri potest, matrimonii etiam firmitati, ipsique Successionis securitati consulatur, atque ita Maiestatis Vestrae intentioni plenissime, et per omnia satisfiat. Caesareo-Regiae clementiae devotus

---

*) Literae hae sive responsa superius exhibentur sub Nr. 93. s.

cum profundissima submissione emorior Maiestatis Vestrae humillimus, et perpetuus fidelis subditus. — Viennae, 19 Iul. 1796.

118.

Altera eiusdem Cancellariae in eodem merito propositio, 1796.

Sacratissima etc. Postquam mediante ben. Resolutione R. erga isthic una cum reliquis actis advolutam intuitu renitentiae Eppo Rosn. in causa matrimonii Caroli Kiss imputatae Maj. Vrae Sacr. exhibitam propositionem edita Maj. Vra opinionem Consilii LR. maioritate votorum depromtam ratihabere, ac id ipsum eidem Consilio LR. mox intimandum praecipere dignata est, antelatus Eppus in conformitate huius Resol. R. ad audiendum sacrum verbum Reg. horsum comparuit, praemissaque Resol. R. eidem in pleno Consilii Cancellariae huius Aulicae consessu declarata, idem primo quidem verbo declaravit, sibi utique vehementer dolere, quod displicentiam Reg. intelligere debuerit, sed quod hactenus ex fidelitate erga Maj. Vestr. salva conscientia facere non potuit, id eo minus facere posse ad avertenda aliqua temporalia incommoda, ceterum cum a tempore ultimae per Consilium L. sibi intimatae Resolutionis aliqua, quae ad rem hanc magis illustrandam conferunt, ad manus suas pervenerint, uberiorem declarationem se scripto exhibiturum esse, prout effective isthic advolutam exhibuit. (19. Iul. 1796.) Tam ex orali quam ex scripta hac declaratione praefati Eppi subversantibusque omnibus circumstantiis satis perspici potest, eundem cum plena animi determinatione malle proventus bonorum eppalium amittere et quaevis temporanea incommoda sufferre, quam validitatem matrimonii Carolo-Kissiani hic et nunc, donec de ea in foro ecclesiastico iudicium feratur, agnoscere, consequenter Circlares ad Clerum suae Dioecesis expeditas revocare se non posse, una tamen modum proponere, qualiter ipsi Carolo Kiss consuli posset. In prioribus suis remonstrationibus provocaverat idem Eppus partim ad art. 26: 1791. partim ad Ecclesiae Cath. doctrinam ac ad ipsum ius divi-

num; nunc autem ut uberius ostendat, se non aliquo reluctandi studio, non ex sententia in proprio duntaxat arbitrio suo fundata benignis iussis regiis satisfacere non posse, ipsum modernum Pontificem pro evictione suae sententiae statuit. Denuo itaque recurrit quaestio: an dictus Eppus fundamento priorum et noviter adductorum motivorum ab eidem imposita Circularium revocatione relevari debeat vel minus? Cum autem quaestio de iisdem Circularibus ab alia principali quaestione, cum qua indissolubilem nexum habet, dependeat, an videlicet memoratus Eppus ad agnoscendam matrimonii Carolo-Kissiani validitatem stringi possit, obsequentissima haec Cancellaria inprimis hanc assumendam, et ne priorum repetitione benign. auribus Reg. molesta sit, aliquas duntaxat ex iis, quae iam in prioribus propositionibus adductae sunt, maioris momenti reflexiones in memoriam revocandas, aliquas item novas in ordine ad principalem illam quaestionem, antequam circa hanc ulteriorem sensum suum depromat, praemittendas esse censuit.

Quippe 1. an matrimonia Protestantium sint sacramenta vel non? quaestio est per Ecclesiam Cath. apodictice ac in ipsis terminis nondum decisa; aliqui Epporum habent pro sacramento, aliqui non; interim Protestantes etiam christiani sunt, sicut ergo baptismus eorum per Catholicos quoque pro sacramento reputatur, sique Protestantes Catholicam Religionem amplectantur, baptismus, quem prius susceperunt, nequaquam reiterari debet: ita nihil repugnat, quominus matrimonia quoque Protestantium per Catholicos pro sacramento habeantur. Id adminus certum est, quod matrimonia Protestantium non possint pro pure et proprie civilibus contractibus reputari, nam secus cum ea sit civilium contractuum natura, ut quemadmodum mutuo consensu coalescunt, ita etiam dissolvi possint, quoties maritus et uxor mutuo consensu a matrimonio recedere vellent, toties vinculum matrimonii dissolvi posset, hoc autem nec Protestantes tenent, nec ex ratione Status publici admitti posset, per id, ne matrimonia evadant fluxa, et sors prolium reddatur incerta et infelix. Quidquid tamen sit circa nomenclationem sacramenti vel contractus civilis, satis est, quod Catholici

matrimonia etiam per Protestantes inter se contracta valida esse agnoscant. Hoc ipsum vel inde evidens est, quod si Protestantes iam matrimonio iuncti Catholicam Religionem amplectantur, non debeant noviter copulari, neque possit ob mutationem religionis matrimonium eorum dissolvi, sed in statu priori, dum adhuc evang. confessioni addicti fuissent, initum matrimonium continuent, sicut e converso solvi potest inter infideles seu nonchristianos, si alterutra pars Religionem Christianam suscipiat. Hinc derivatur illa Catholicorum sententia, quod cum Catholici matrimonia Protestantium pro validis reputent, ea vicissim non aliis e causis, quam iis, quas catholici pro impedimentis dirimentibus servant, quoad vinculum dissolvi posse agnoscant. 2. Quousque tamen quaestio de matrimonio inter solos Protestantes vertitur, Eppi Catholici in eam se immittere non possunt, nec ipsimet influxum praetendunt; sed postquam ex divortio inter Protestantes lato aliud novum matrimonium cum catholica persona contrahi intenditur, iam tunc variatur casus, et cum ipsa copulatio per parochum catholicum fieri debeat, Eppis seu sacris Sedibus catholicis influxus in rem aperitur. 3. Quoties ad art. 26 : 1791 fit provocatio, toties in omni humilitate candide fateri debet obs. haec Cancellaria, sensu suo evidentissimum esse, quod Eppi cogi non possint, ut vinculum matrimonii per sententiam in foro seculari inter solos evang. Conf. addictos latam iam legitime solutum esse agnoscant, et vigore huius sententiae aliud novum matr. cum catholica persona ineundum, taliterque vigorem et effectum sententiae talis ad catholicos extendendum admittant. §. 11. art. 26 : 1791. habet : ‚Causae hae matrimoniales Evangelicorum iudicabuntur secundum principia posterioribus his annis vigentia per fora secularia, quippe in Comitatibus et Districtibus proprio iudicio provisis, per Sedes eorum Iudiciarias, in Liberis autem et Regiis ac montanis Civitatibus coram eorumdem Magistratu salva ad Tabulam R. ac pro re nata etiam ad Septemviralem appellata, eo tamen per expressum subnexo, quod divortii sententiae nonnisi quoad effectus civiles ubique pro validis habeantur, Eppi autem ad agnoscendam talismodi vinculi nullitatem illamque ad Catholicos extendendam obligari ne-

queant.' Verba huius articuli: ,eo tamen per expressum subnexo etc.' referuntur ad sententias divortii in foro seculari quoad Protestantes latas, quia §. 11. loquitur inprimis de causis matrim. Evangel. in foro seculari diiudicandis, et mox in forma exceptionis subiungit: quod Eppi non obligentur agnoscere talismodi vinculi nullitatem, idest, quae per forum seculare pronunciatur, de qua videlicet in hoc ipso sermo est et hoc ipso, quod lex praecaveat, ut Eppi non obligentur talem sententiam ad Catholicos extendendam admittere, iam clare innuit, quod talis divortii sententia nonnisi ad Protestantes referri extendique possit. In hoc ergo § nondum adhuc legitur lex de matr. mixtis, sed tantum generaliter declaratur: Eppos ad agnoscendam vinculi nullitatem in foro secularí quoad Evangelicos pronunciatam eamque ad Catholicos extendendam non obligari; quod refertur etiam ad tales casus, dum tam divortiata persona evang. conf. Religionem Catholicam amplectitur, quam et alia pars matrimonium contrahere volentium adeoque utraquè pars est catholica; in alio autem §. 16. iam ex professo loquitur praecitatus articulus de matr. mixtis, et diserte disponit, ut causae mixtorum matr. in Sedibus Catholicorum spiritualibus iudicentur. Expendenda sunt *verba* legis ,causae matrimoniorum tam eorum, quae iam tempore, quo illa inita sunt, mixta erant, quam et eorum, quae per transitum alterius partis a sacris evang. ad sacra catholica mixta effecta sunt,' et *ratio* legis ,cum utrobique de veri nominis sacramento agatur.' Ex his evidens est, quod quandocunque in matrimonio vel una tantum pars est catholica, de eius validitate iudicium ferre ad Sedem spiritualem Catholicam pertineat. Itaque 4. ex eo, quod praecitatus articulus disponat, ut divortii sententiae in foro seculari relate ad evangelicos latae quoad effectus civiles vigorem sortiantur, non sequitur, quod divortiata persona evang. confess. libere possit etiam cum catholico novum matrimonium contrahere: quia a) matrimonium tale evaderet mixtum, illud autem est veri nominis sacramentum, adeoque computari non potest inter effectus pure civiles; b) si effectus civilis hoc importaret, ut divortiata persona evang. conf. etiam catholico libere nubere possit, tunc nec reliquis

mulieribus, utpote Catharinae Ziman et Barbarae Vörös potuisset matrimonium cum catholico viro ineundum denegari; denegatum tamen est per expressam quoque Resolutionem N-o 6862. a. 1795.; c) contradictio enasceretur in una eadem lege: si articulo 26: 1791. hic sensus tribueretur, quod parte ex una noluerit Eppos ad agnoscendam vinculi nullitatem in foro seculari quoad evangelicos latam eamque ad catholicos extendendam obligare, parte tamen ex alia sub nomine civilis effectus voluerit disponere, ut divortiata persona evang. confess. libere possit cum catholica quoque ad novum matr. accedere. Dispositio haec legis quoad Eppos pariter debet effectum habere, secus esset otiosa, si proinde Eppi non obligantur nullitatem matr. in foro seculari relate ad Evangelicos adinventam agnoscere, utique nec novum matrimonium ex tali divortio cum catholico ineundum admittere obligantur, quia Eppi per parochos personam catholicam cum evangelica, cuius prior coniux adhuc in vivis est, nec copulare possunt, nisi de nullitate prioris matrimonii convincantur. Proinde id, quod praecitatus articulus de effectibus civilibus disponit, ad matrimonium cum catholica persona contrahendum, extendi non potest, eo quidem minus, quod ad verba legis de effectibus civilibus sententiae divortii in foro seculari latae loquentis mox subnectatur exceptio, ne talismodi divortium ad catholicos extendatur. d) Nomenclatio effectus civilis ante Diaetam a. 1791 in legibus Regni non reperitur. Trahit illa originem ex Resolutionibus Aug. Imp. et Regis Iosephi II. in illis autem sub nomine civilium effectuum designantur cessatio legis, legitimitas, et successio prolium ex matrimonio illo, cuius vinculum dissolutum est, progenitarum, extradatio allaturae uxorariae. 5. Nihil obstat, quod divortium inter Barbaram Beretky et priorem eius maritum Nicol. Vattay per Com. Neogradiensem latum sit etiam ex defectu consensus, qui apud Catholicos quoque impedimentum dirimens constituit; nam art. 26: 1791. non ita loquitur, ut si inter Evangelicos ex principiis ipsorum propriis matrimonium in foro seculari dissolvatur, in hoc non obligentur Eppi validitatem huius divortii agnoscere; e converso si ex principiis etiam apud Catholicos locum haben-

tibus divortii sententia feratur, in hoc casu agnoscere tenc-antur, sed generaliter disponit, ut Eppi nullitatem vinculi inter Evangelicos soluti agnoscere non obligentur. Accedit, quod ipse etiam processus divortialis inter Barb. Beretky et Nic. Vattay non sit debite iuxta normalem Resolutionem 1788. per Regnum Hungariae publicatam, seu iuxta principia ante art. 26: 1791. vigentia et in eodem articulo usque organisationem Consistoriorum Evangel. confirmata coram Comitatu Neogradiensi pertractatus, neque adhuc plene decisus sit, siquidem appellata neglecta sit, et nec defensor matrimonii adhibitus fuisse videatur. Ut adeo si etiam Barbara Beretky Carolo Kiss non nupsisset, adhuc nondum posset pro libera persona reputari. 6. Prout saepe memoratus art. 26: 1791. non statuit: ex divortii sententia in foro seculari inter Evangelicos pronunciata novum matr. cum catholico simpliciter iniri non posse, sed tantum Eppos ad id admittendum non obligari: ita Eppus Rosnav. numquam asseruit, nec nunc dicit: se nullo unquam tempore velle validitatem matrimonii Carolo Kissiani agnoscere, imo moderna quoque eius declaratio eo directa est, ut ipsi Carolo Kiss et prolium eiusdem legitimitati consulatur. Evenire ergo potest adhuc, ut ipsemet Eppus Rosn. agnoscat matrimonium Caroli Kiss subsistere posse. Hoc fine siquidem eo ipso, quod lex Eppos ad agnoscendam quaestionati vinculi nullitatem eamque ad Catholicos extendendam non obliget, ad Eppos ipsos pertineat id dignoscere, an et in quibus casibus novum matr. cum catholica persona ineundum ex divortio quoad Evangelicos lato admitti possit: deberet Eppus Rosn. ad eum statum poni, ut cognoscere valeat, an et qualiter Barbara Beretky defectum consensus probaverit, taliterque de nullitate prioris matrimonii Barbarae Beretky cum Nicolao Vattay contracti convincatur. Sed Eppus Rosn. nondum vidit processum divortialem inter Nic. Vattay et Barb. Beretky promotum, adeoque probas ibidem circa defectum consensus adductas ignorat. Imo coram ipsa hac Cancellaria Aulica et Maj. Vestra Sacr. de processu illo divortiali tamquam de re ignota hucdum agebatur, numquam enim idem processus horsum submissus, et isthic visus fuit. Sola sententia Sedriae C. Neogr. huc

pertigerat penes instantiam Caroli Kiss Consilio L. exhibitam: sed postquam haec eidem Consilio remissa, et abinde probabiliter Carolo Kiss extradata est, iam nunc neque sententia illa amplius inter acta existit, nec cavere potest obs. haec Cancellaria, quod ea, prout per Carolum Kiss exhibetur, ex processu rite ac in sui integritate descripta fuerit, neque denique tenores et motiva illius adaequate comparent. In quantum tamen memoria teneri potest, fundabatur eadem sententia principaliter in odio implacabili, et pro vehiculo saltem assumebatur defectus consensus. Sed recte hoc est, ex quo fundate in quaestionem vocari potest, an in processu illo defectus consensus fuerit sufficienter probatus. Id enim evenit in iudiciis, quod dum vel unum motivum, in quo sententia defigi potest, sufficiens adinvenitur, reliqua etiam minus probantia pro vehiculo assumantur. Ut vero matrimonium Carolo-Kissianum ex illa divortii sententia enatum pro valido reputari possit, non hoc attendi debet, an inter Barb. Beretky et Nic. Vattay odium implacabile (quod apud Catholicos impedimentum dirimens non constituit) evenerit, sed an defectus consensus sufficienter edoctus sit.

Digrediendo iam ad literas et instructionem moderni Pontificis per Eppnm Rosn. exhibitas, in literis monuit Pontifex Carolum Ducem Würtembergensem his verbis: ‚Non licet tibi habere uxorem, quae est alterius etiam nunc viventis viri. Atque hic non ignoramus, quas ad causam tuam rationes adferas, nimirum per heterodoxorum tribunal illud primum a muliere initum matrimonium, et aliquos Theologorum a te consultorum tuo faventem animo sententiam pro invalido declaratum fuisse. At nos et Apost. haec Sedes, ac universa Cath. Ecclesia eam tenet doctrinam, ex s. Literis haustam, constantique sensu comprobatam, matrimonii vinculum inter qualescunque sacro baptismate tinctos semel validum, siquidem consummatum sit, nullo unquam facto solvi posse.‘ Sententia haec Pontificis ad casum praesentem applicabilis est, quia etiam Comitissa Hohenheim per forum Protestantium a primo marito divortiata fuit, et dein Dux Würtembergensis catholicus vivente adhuc priore eiusdem Comitissae marito illam in

consortem duxit, sicut Carolus Kiss Barbaram Beretky vivente huius priori marito Vattay. Praeterea notandum, quod in his literis Pontifex ex S. Scriptura loquens non restringat sententiam suam pure ad catholicorum matrimonia, sed extendat ad omnes sacratissimo baptismate tinctos, idest Christianos, quales sunt etiam Protestantes; atque hoc cohaeret illis, quae superius puncto primo circa matrimonia Evangelicorum insinuata sunt. Ceterum fertur quidem in publicis etiam ephemeridibus prodivisse, quod successive modernus ipse Pontifex validitatem matrimonii per praefatum Ducem Würtemb. cum Comitissa de Hohenheim contracti agnoverit, siquidem de nullitate matrimonii eiusdem Comitissae ex actis et documentis sibi exhibitis convictus fuerit. Hoc ipsum etiam secundat rem Eppi Rosn. quia idem Eppus quoque id desiderat et expectat, ut videre possit probas, quarum fundamento prius matrimonium Barbarae Beretky cum Nic. Vattay initum per Sedriam Com. Neogr. dissolutum est, et ideo dicit in sua declaratione: matrimonii Caroli Kiss firmitati et prolium eius securitati non alia via consuli posse, quam si causa eccles. iudiciis definienda relinquatur. Per Episcopum provocatae Instructiones eam continent inviationem ex determinatione moderni Pontificis erga quaestiones sibi propositas datam, ut Eppi vi sententiae in foro seculari latae nemini permittant transitum ad alias nuptias, sed prius ad examen revocent in casibus particularibus, utrum intervenerit impedimentum dirimens canonicum, ex quo revera nullum declarari possit matrimonium, nihil tamen impediat, quominus Eppi utantur actis adhibitis a foris secularibus et consistoriis Protestantium tamquam probationibus extraiudicialibus. Huic inviationi vult Eppus Rosn. se conformare, circa quam notandum, quod nec Pontifex nec Eppus Rosn. excludant iudicium seculare a causis matrimonialibus, sed dum divortiata persona vivente adhuc priori coniuge ad alias nuptias transire vult, nullitatem prioris matrimonii per Iudicium Eccles. cognoscendam esse profiteantur. Cuius ratio utique ea est, quod sacramentum matrimonii administretur per sacerdotem catholicum, adeoque intersit per Iudicem Eccles. cognosci, an novae nuptiae locum habere possint, ne sacramentum contra legem divinam

administretur ac suscipiatur. Unde simul patet, non absque fundamento declarasse Eppos tempore conditi art. 26: 1791. quod nullitatem vinculi matr. in foro seculari pronunciatam agnoscere non obligentur, et ab obligatione hac per conditam legem immunes etiam redditos fuisse. Sed insuper advertendum occurrit, quod in praeprovocata Instructione exprimatur: in casibus iis, dum matrimonii nullitas ex metu gravi seu defectu consensus praetenditur, prae oculis habendas esse certissimas regulas, quas Doctores passim assignant circa spontaneam cohabitationem utriusque coniugis, quae subsequitur coniugium metu gravi initum. Matrimonium vero Barbarae Beretky cum Nic. Vattay initum subsequebatur mutua cohabitatio, et consummatum erat. Dum ergo Eppus Rosn. docet, quod Pontifex qua caput Ecclesiae Cath. et Superior causarum matrimonialium, quoad Catholicos etiam causarum Index eiusdem sit sententiae; dum articulus 26: 1791. nihil in contrarium disponit, ast rem potius Eppi Rosn. secundat; dum insuper processum divortialem inter Barb. Beretky et Nic. Vattay non iuxta normalem Resolutionem praecitato articulo stabilitam coram Comitatu Neogradiensi pertractatum fuisse, et in foro seculari plene decisum esse prodit: obs. haec Cancellaria omnibus probe perpensis et ruminatis in omni submissione ingenue confiteri debet, se de eo convictam esse, quod ab Eppo Catholico id desiderari nequeat, ut sententiae Capitis Ecclesiae in S. Scriptura, et doctrina Ecclesiae fundatae contrarium agat; eo minus proventibus eppalibus ideo privari possit Eppus Rosn. quod nullitatem vinculi inter Barb. Beretky et Nic. Vattay per sententiam Com. Neogr. soluti, consequenter validitatem matrimonii Carolo-Kissiani nondum se agnoscere posse declaret.

Eadem est ratio quaestionatarum Circularium: quousque enim Eppus Rosn. validitatem matrimonii Carolo-Kissiani agnoscere non obligatur, eidem vitio verti non potest, quod matrim. illud pro illegitima cohabitatione ac tecto conubinatu reputet; et quousque Carolus Kiss ab hac cohabitatione non recedit, idem quoque Eppus illum in peccato tali, a quo absolvi nondum potest, vivere existimans spiritnali suae iurisdictioni insistit. Consequenter obs. haec Cancellaria

putat: proventus eiusdem eppales neque ea de causa, quod Circulares illas revocare noluerit, neque nunc velit, sequestrari posse. Adminus ad id non potest dictus Eppus stringi, ut in propria persona eas revocet; alia enim est ratio obiectorum, et casuum pure civilium, alia item eorum, in quae religionis etiam negotium influit: in obiectis pure civilibus aut etiam religionis politicis, in quibus de doctrina huius aut illius receptae religionis quaestio non subversatur, potest aliquis coactivis etiam mediis ad obsequium stringi, etiamsi id facere iubeatur, de quo in animo suo aliter sentit, quia conscientiam non laedit suam; sed ubi doctrina Ecclesiae in S. Scriptura fundata opponitur et in collisionem venit, quemadmodum aliarum religionum ministri ita etiam catholici Eppi adstringi non possunt, ut ipsimet aliquid contra conscientiam suam agant. Nec iuvat obvertere, quod Eppus Rosn. erret; quia si errat, una cum Pontifice Capite Ecclesiae errat, adeoque ipsi indulgendum est, quod in doctrina Ecclesiae Pontificem velut Caput Ecclesiae sequatur. Meminit quidem haec Cancellaria Aulica, in prioribus propositionibus se ipsam agnovisse, quod dictus Eppus in modo agendi erraverit in eo, quod rem magis caute et secure non instituerit: sed hic existens idem Eppus oraliter declaravit, se promulgari non commisisse id, quod Carolus Kiss donec Barbaram Beretky dimiserit, sacramentorum recipiendorum incapax sit, sed cum non possit ab omnibus parochis expectari, ut discernere valeant, an tale matrimonium, quale Kiss contraxit, validum sit? ad munus suum pastorale pertinere existimasse, ut parochos pro sui directione de eo edoceat, adeoque ipsi imputari nequeat, quod aliquis parochorum Circulares illas incaute aliis communicaverit, et prodiderit; declaravit item praeattactas Circulares nec pro excommunicatione nec pro interdicto reputari posse; pro excommunicatione non, quia secus Carolum Kiss etiam ab Ecclesiae frequentatione removisset, quod tamen non fecit; pro interdicto aeque non, quia si Carolum Kiss eo afficere voluisset, tunc formale decretum edere illudque valvis Ecclesiae Csoltensis, ubi Carolus Kiss residet, affigi facere debuisset. Si ipsa vocis etymologia spectetur, excommunicatio iuxta etiam

definitionem Canonistarum est: censura, qua Christianus separatur ab Ecclesiae corpore seu excluditur a fidelium communione; sed Carolus Kiss ab hac exclusus non est, vivit actu in communione fidelium. Interdictum proprie acceptum per Canonistas ita definitur, quod sit censura eccles. privans usu seu participatione officiorum divinorum, aliquot sacramentorum, et sacra sepultura; requiritur autem, ut si interdictum sit personale, specialiter et personaliter denominetur seu declaretur persona; sed quaestionatae Circulares non ita emanarunt, ut earum tenor Carolo Kiss declaretur, taliterque formali interdicto afficiatur. Porro si Circulares illae cum normali de censuris eccles. edita resolutione et legibus de his sonantibus, utpote art. 1. Lud. Decr. art. 9. Matth. decr. 5. Ulad. decr. 2. art. 37. combinentur, nec ad ullum horum applicari possunt. — Carolus Kiss enim per nullum processum et sententiam declaratus est pro sacramentorum incapace, nec est hoc obiectum tale, quod ad processum pertineret; spectat directe ad Sedem confessionalem, Status vero Politicus nec se immisit unquam ad id disponendum, ut in aliquo casu sacerdos absolutionem denegans hanc dare teneatur, vel ut Eppus praevie Resolutionem R. de eo impetret, an hoc vel illo casu absolutio sacramentalis alicui denegari possit. Ponatur casus, quod hic non subversetur praecedens Barbarae Beretky cum Nic. Vattay matrimonium et divortium, sed Barbara Beretky persona libera esset, interim Carolo Kiss in vetito gradu sangvine iuncta, idem absque dispensatione illam per circumventionem parochi in uxorem duxisset, ac neque erga monitionem Eppi eam dimittere vellet, et ideo Eppus Rosn. parochos suos inviasset, ne illum in Sede Confessionali absolvant, donec illegitimam consortem non dimiserit, et quod suapte sequitur, nec ad communionem admittant, propptereaque Carolus Kiss ad Maj. Vestram recursum fecisset: Cancellaria haec Aul. plene confidit, quod Maj. Vestra non praecipiet Eppo Rosn. ut inviationem parochis datam revocet. Eadem ergo est ratio casus praesentis, quia Eppus Rosn. nondum obligatur matr. Carolo-Kissianum pro legitimo agnoscere, adeoque Circularium revocatio semper adhuc pendet a validitate illius matrimonii. Ponatur et alter

casus: si Eppus Rosn. nihil scripsisset, sed tantum verbo ad aurem dixisset suis parochis ea, quae in Circularibus scripsit, idque resciens Carolus Kiss horsum recurrisset, non potuisset Eppus ad revocationem Instructionis parochis datae stringi, et vix alicui incidisset, instructionem talem pro excommunicatione vel interdicto reputare. Quod autem inviatio illa VADiaconis medio scriptarum Circularium data sit, haeque contra et praeter voluntatem dicti Eppi in publicam lucem prodiverint, quocunque demum facto vel errore id acciderit, illud non substantiam Circularium sed formalitatem et modum agendi afficit. Iam nunc non potest memoratus Eppus Circulares illas quoad formalitatem revocare, quin ipsam earum substantiam revocet; sed ubi idem Eppus fundamenta et probas, e quibus Barbara Beretky a Nicolao Vattay divortiata est, cognoverit, tum magis poterit quaestio de revocatione Circularium sperari.

Proinde obs. haec Cancellaria ultro quoque humillime censet, a revocatione Circularium eousque praescindendum esse, donec Eppus Rosn. ad eum statum ponatur, ut de validitate matrimonii Carolo-Kissiani iudicium ferre possit. Cum interim res iam in situ posita sit, quod Eppo Rosn. ad audiendum verbum Regium evocato revocatio Circularium sub poena sequestrationis proventuum eppalium imposita habeatur: obs. haec Cancellaria pro homagiali sua obligatione et fidelitate non intermisit modum quaerere, qualiter dignitas et auctoritas Regia salvari possit; hunc in scopum censet expedientissimum fore; si Comitatui Neograd non aliud, tantum id unice commissum fuerit, ut cum Eppus Rosn. nunc primum insinuaverit, processum divortialem inter Barb. Beretky et Nic. Vattay vitiose pertractatum, appellatamque neglectam esse, idem Comitatus processum illum pro altissima inspectione Maj. Vestr. Sacr. submittat. Contra haec nemo potest fundate quidpiam obvertere: nam praeterquam quod inspectionem processus Maj. Vestra Sacr. suprema potestate sua exigere semper possit, insuper ordinatio a 1788. ut in causis matrim. etiam Evangelicorum defensor matrimonii assignetur, sicque si neutra pars divortii sententiam appellaret, eam appellare teneatur, iam in legem quoque relata est, adeoque Maj.

Vestrae competat cognoscere, num ordinationi illi et legi in praeattacto processu satisfactum sit? Idem vero horsum submittendus processus uberius lumen daret, quid in hoc negotio ulterius ordinandum veniat, an et qualiter res tota absque coactivis mediis superari possit? Quippe si in exemplo ipsa Maj. Vestra clementer comperiret defectum consensus ibidem debiliter probatum, et fors tantum e mutua inter partes collusione absque matrimonii defensione recognitum, et in hac nuda partium recognitione sententiam divortii relate ad defectum consensus fundatam esse, confidit obs. haec Cancellaria, quod Maj. Vestra amplius non stringeret Eppum Rosn. ut sententiae tali acquiescat: Carolo tamen Kiss in salvo manente, illud beneficium, quod novas probas, si quas habet, pro capacitatione Eppi Rosn. in eodem summaria via exhibere possit, aut id etiam disponi, ut praevie processus in Curia R. revideatur. E converso si Maj. Vestr. videretur defectum consensus sufficienter edoctum esse, pro maiori Eppi Rosn. capacitatione ordinari posset, ut processus adhuc etiam per Curiam R. in revisionem sumatur, sique etiam Curia R. indicaverit defectum consensus satis probatum esse, supponi debet, quod Eppus Rosn. visa Curiae R. sententia ipse quoque agnosceret validitatem matrimonii Kissiani, et Circulares suapte revocaret, vel si etiam nec tunc fors agnosceret, superius Forum Eccles. Metropolitanum ac Primatiale summaria via eatenus audiri posset, sique illius iudicium matrimonium illud pro valido agnosceret, tum utique etiam Eppus Rosn. nullam amplius difficultatem formaret. Hoc tamen non deberet fieri nec fieret in forma superrevisionis sententiae in foro seculari latae, neque Protestantibus praeiudicari posset, quia relate ad Evangelicos in foro seculari lata sententia semper subsistere deberet, ac nonnisi id agnosceretur, an probae, ex quibus divortium in foro seculari pronunciatum est, ita sint comparatae, ut ex iis matrimonio etiam cum catholica persona ineundo locus dari possit.

Consiliarius Aul. Gyürky exhibuit votum separatum: circa quod siquidem pleraque, quae in eodem afferuntur, iam in superioribus elisa sint, sequentia duntaxat attingenda esse putavit obs. Cancellaria Aulica: Articulus 26 : 1791. prorsus non potest

ita explicari, quasi per clausulam de Eppis sonantem unice hoc indicare voluisset, quod Eppis liberum sit de nullitate vinculi matr. in foro seculari adinventa pro convictione sua privata pro arbitrio sentire, in reliquo autem illis obligationem imposuisset, ut ex tali divortio novum matrimonium cum catholica persona ineundum admittant. Nam a) obiectum legislationis ceteroqnin non est, id definire, quidnam aliqtis privatim in sua conscientia sentire possit, sed eius obiectum sunt actus externi. b) Quaestio illa, an ex divortio inter Evangelicos in foro seculari pronunciato novum matr. cum catholica persona iniri possit, non subsistit pure in privata conscientia Epporum, sed refertur ad actus externos, ad tales vero in materia religionis conscientiae contrarios exercendos quemadmodum Evangelicos lex non obligavit, ita utique nec Catholicos Eppos obligari voluit, vel obligari voluisse supponi potest. c) Si praecitata lex in illo sensu, quem eidem Consiliarius Aulicus tribuit, sumi deberet aut posset, tunc neque supradictis mulieribus Catharinae Ziman et Barbarae Vörös potuisset matrimonium cum catholicis viris ineundum per Resolutionem R. denegari, sed potius disponendum fuisset, ut Eppis Agriensi et Rosnaviensi liberum quidem sit id, quod eaedem mulieres a priori matr. vinculo legitime solutae sint, in conscientia sua non agnoscere, nihilominus per actum externum catholicos viros ad matrimonium cum iis ineundum admittant.

Quaestionatae Circulares non debent nec possunt in se solae considerari, sed coniunctim cum principali quaestione de validitate matrimonii Kissiani, a qua resolutio earumdem Circularium pendet; principalis autem illa quaestio refertur ad doctrinam Ecclesiae Catholicae, non vero pure ad disciplinam; patet id tam ex literis et instructione moderni Pontificis superius adductis, quam ex Concilio Trid. ubi dogmatica distingvuntur a disciplinariis, et canones de matrimonio per Eppum Rosn. citati inter dogmaticos recensentur, ac vel ideo pro dogmaticis habendi sunt, quod, uti constat, occasione Reformationis inter alia dogmata peculiaris fuerit controversia etiam de matrimonio, ac propterea Concilium Trid. illud per aliquot canones sub anathemate definiverit. Unde liquet

nec id subsistere, quasi canones Concilii Trid. tantum ad matrimonia Catholicorum referrentur; notum ceteroquin est, quod cum controversa quaedam quaestio in Conciliis definiebatur, decisio Conciliorum semper contra illos, qui ab Ecclesia Cath. recesserunt, directa et ad totam Christianitatem extensa fuerit, sicut etiam modernus Pontifex sententiam suam de doctrina Ecclesiae Cath. quoad indissolubilitatem matrimoniorum semel legitime initorum ad omnes baptisatos seu christianos extendit. Reflectendum est hic ad art. 16 : 1550. circa tempus Concilii Trid. conditum, tenore cuius statutum fuit, ut seculares omnes sine ulla controversia aut disputatione obedientes se praebeant Eppis, in his videlicet, quae ad Deum eiusque cultum spectant; neque contra eorum doctrinam quovis modo se se audeant efferre, sed siquid deliberatione egere, aut in disputationem vocari posse ipsis videretur, relinquant id totum Concilio Generali. Hic ergo intelligitur Concilium Trid. quod alioquin in Hungaria ex toto receptum est. Nec ab exemplo casus Mumhardiani et ex facto Eppi Munkacsiensis sequitur id non. esse dogma, et doctrinam Ecclesiae Cath. quam Eppus Rosn. et Pontifex pro tali habet. Hac in materia plus credendum est Capiti Ecclesiae, quam Eppo Munkacsiensi: imo credibile, quod si Eppus Munkacsiensis sententiam Pontificis superius attactam scivisset, nec ille Mumhardio matrimonium admisisset. Casus Mumhardianus tantum ea ratione superatus est, quod cum Eppus Munkacsiensis matrimonium Mumhardio non difficultaverit, nec ex parte politica quaestio moveri debeat; unde potius illud surgit argumentum, quod si vicissim per Eppum in simili casu difficultas formetur, ex parte politica res relinquenda sit pariter decisioni Iudicii Ecclesiastici. *) Sed etsi Eppus Rosn. in quaestione matrimonii catholicam personam tangente sola sententia Pontificis ac Iure Canonico se tueretur, pro eodem sufficeret, quia causae matrimoniales catholicorum inde a

*) *Mumhard* Dioecesis Rosnaviensis fidelis scopum suum assequi volens a RCath. Ecclesia transivit ad Graeci Ritus Ecclesiam, in qua simile matrimonium ineundi facultatem obtinuit: sed non diu hac felicitate fruitus, nam raptatus per equos in hoc periculo vitam amisit,

temporibus S. Stephani Regis semper in Foris Eccles. iudicatae fuerunt, et art. 25 : 1552. 22 : 1553. 27 : 1563. 25 : 1567. constitutum est, ut causae hae coram Sedibus spiritualibus iudicentur iuxta canonum auctoritatem, hi vero ab auctoritate Pontificum profluunt. Qualitercunque demum seu Commissio Ecclesiastica, seu Comitatus Gömöriensis quaestionatas Circulares compellet, quamvis praesertim Comitatus Gömöriensis adhibito excommunicationis nomine rem odiosam reddiderit, in iisdem Circularibus nec maior nec minor excommunicatio aut interdictum exprimitur; quod tamen exprimi debuisset, si Eppus Rosn. Carolum Kiss excommunicare, vel interdicto afficere voluisset. Si vero res ipsa, seu substantia et scopus Circularium illarum spectatur, unice eo directa sunt, ut Carolus Kiss in Sede Confessionali eousque non absolvatur, consequenter nec Sacr. Eucharistiae, quod absque praevia absolutione suscipere non potest, eidem administretur, donec Barb. Beretky non dimiserit. Haec autem non est talis censura, sicut in exemplo dum ob verberationem clerici contra aliquem sententia excommunicationis fertur, in quali casu sententia iuxta normalem Resolutionem praevie una cum processu altissimae inspectioni R. substerni debet; sed ab hoc casu longe distingvitur, ac ipsum dogma fidei involvit, quia profluit deductio illa Eppi Rosn. ex iure ligandi et absolvendi a peccatis, seu potestate clavium, quae iuxta dogma catholicum per Christum data est Apostolis, et abhinc in Episcopos et sacerdotes est transderivata. Dum ergo Eppus Rosn. Circulares suas revocare cogitur, in potestate clavium, quam a dogmate fidei habet, restringitur, imponitur eidem et sacerdotibus Dioec. Rosn. quidnam in Sede Confessionali agere debeant, quippe ut Carolo Kiss non obstante cohabitatione cum Barb. Beretky, quam Eppus Rosn. pro illegitima adeoque pro peccato concubinatus servat, absolutionem impertiantur, et matrimonium Caroli Kiss pro valido agnoscant. Haec enim esset necessaria sequela revocationis Circularium. Et ad haec adstringebatur huedum Eppus Rosn. fundamento processus divortialis inter Barb. Beretky et Nic. Vattay promoti sed isthic numquam adhuc visi.

Proinde obs. haec Cancellaria Aulica pro sui etiam maiori orientatione ultro quoque expedientissimum fore censet hic et nunc id solum ordinare, ut, quemadmodum superius adductum est, Comitatus Neogradiensis praeattactum divortialem processum in originali horsum submittat, a revocatione autem Circularium tantisper ea etiam e reflexione praescindere, quod postquam Eppus Rosn. declarat, se illas revocare non posse, si etiam Maj. Vestra proventus eiusdem eppales sequestrari faceret, per id adhuc non procuraretur effectus Resolutionis Regiae; sed si Maj. Vestra absolute vellet Circulares illas revocari, alia modalitate deberet earum revocatio institui. Nam si haec fieret per Commissarium Reg., evenire posset, ut eo non obstante presbyteri Dioec. Rosn. ac etiam aliarum Dioecesium eousque donec Eppus Rosn. aut superius Iudicium Eccles. validitatem matrimonii Caroli Kiss non agnoverint, absolutionem in confessione eidem denegent, et tunc novis iterum gravibus difficultatibus involveretur et compromitteretur auctoritas Regia. Quodsi Carolus Kiss ob denegatam sibi absolutionem recursum isthuc faceret, presbyteri nequidem constitui possent de eo, quidnam in sede confessionali egerint. Si Eppus Rosn. per Circulares illas potestate clavium et iurisdictione spirituali abusus est, planior esset iuxta Canonistas via, Pontificem interpellandi, ut factum Eppi corrigat. Si enim Pontifex illud reprobaret, et alteraret, utique omnes presbyteri Pontifici obsequerentur, taliterque vigor Circularium illarum suapte cessaret; sed praevideri potest, quod etiam Pontifex ad dignoscendum id, an Eppus Rosn. matrimonii Kissiani validitatem non agnoscendo et Circulares expediendo iurisdictione eppali abusus sit, prius capacitationem de nullitate prioris matrimonii per Barbaram Beretky cum Nicolao Vattay contracti exigeret, a qua videlicet validitas matrimonii Caroli Kiss pendet; idem evenire posset, si Maj. Vestra sequestratis Eppi Rosn. temporalibus a Pontifice desideraret, ut ipsa quoque eppalis iurisdictio eidem Eppo adimatur. Viennae 5. Aug. 1796. — *Resolutio Regia.* Eppus Rosnaviensis ad obtemperandum mandatis meis in causa praesenti elargitis per effectivam bonorum eppalium sequestrationem indilate stringatur, et post effluxum trime-

stralis termini a die sequestrationis computandi mihi relatio exhibeatur, num idem mandatis meis morem gesserit nec ne, ut dein ulteriora disponi valeant. Franciscus.

119.

Declaratio Eppi ad Consilium RLH. postrema, 1797.

Intellexi e ben. ad me directo Intimato: Maj. SSmam benigne resolvisse, ut ad obtemperandum eiusdem Maj. SSmae mandatis in causa matr. Caroli Kiss et Barbarae Beretky per indilatam bonorum eppalium sequestrationem stringar, et post elapsum trimestre Maj. SSmae referatur, an interea paruerim, vel minus? Annus iam tertius labitur, quod ad sequestrationem hanc bonorum, atque ad quodlibet pro hac causa patiendum plenissimo, de Domini mei adiutorio confidens, animo sim prorsus comparatus. Hoc enim veritati catholicae debeo: ut non docendo tantum, agendoque, sed patiendo etiam testimonium illi perhibeam. Simplex autem et aperta catholicae veritatis fides ista est: ‚Si quis dixerit, matrimoniales causas non spectare ad iudices ecclesiasticos, anathema sit', loquendo autem de quibusvis baptisatis, ‚licere secundum Deum et rectam conscientiam, et in ordine ad effectus spirituales coniungi personae alteri aliquando nuptae, quamdiu coniux ipsius vivit, nisi legitimo Ecclesiae indicio cognoscatur, declareturque, primum illud matrimonium irritum, nullumque fuisse.' Unicum, quod Cels. Vram et Exc. Consilium instantissimis precibus obtestor, illud est: ut causae illius matrimonialis gravitatem adhuc dispicere, et plene advertere benigno-gratioso dignetur oculo, ac pro eo apud Maiestatem SSmam intervenire: ne illic se se Catholica Religio destitutam lugeat auxilio, ubi praecipuum praesidium, opemque sperabat, neve inde referat detrimenta, unde capienda erant remedia. Rosnaviae, 4. Febr. 1797. Antonius Baro Andrássy, Eppus Rosnaviensis.

Nota. His pro coronide liceat adnectere, quae de ultimis praeclari Eppi diebus oculatus refert testis, *Adalbertus Pogány* antea Canonicus Rosnaviensis, demum Praepositus Posoniensis, in suo opusculo: *Monumentum Antonio e L. B. Andrássy de Csik-Sz.-Király et Kraszna-Horka, Eppo Rosnaviensi, gemmae Epporum Hungariae, in tesseram gra'i animi et perennem posteritatis memoriam erectum.* Pestini. 1854. p. 61: „Non adexpectato dein Commissarii Regii pro sequestratione bonorum eppalium exmissi adventu, etsi patrimonialibus ad Rosnaviam gauderet bonis, prout coepit, in religiosis aedibus vitam claudere praeeligens, semet ad locale PP. Franciscanorum claustrum, una cella contentus, recepit, atque prope tribus adhuc annis Dioecesim gloriose gubernans, constanter retento hilari vultu, testataque plena in divinam providentiam resignatione, ad maiorem adhuc sui venerationem et admirationem rapuit orbem. Ac tandem virtutibus meritisque gravis, constans et intrepidus Christi athleta, spe et heroica fiducia plenus, Numini, a quo accepit, immortalem reddidit animam die 15 Nov. 1799. ipsa hora, qua Exequiae pro Summo Pontifice Pio VI in captivitate Gallica defuncto in Cathedrali Ecclesia celebrabantur. Quo pio S. Praesulis obitu mox e Cathedra fideli populo annunciato, lugubre hoc nuncium quantae mox omnium in Ecclesia lacrimae, lamenta, planctus, et suspiria exceperint, ipsi testes fueramus. Sic moritur iustus, qui despiciens mundum et terrena, triumphans divitias coelo condidit ore manu! Immortalis memoriae Eppum, sicut fidei catholicae, ita Regi fidelissimum, iustam defendisse causam, et ipse pientissimus terrae Princeps, de hac iuris et fidei quaestione dein melius informatus, recognovit. Nam utut non defuerint iterata tentamina, numquam simile matrimonium amplius admisit; imo et uni Iurisdictioni Ecclesiasticae, quod a. 1810 viro catholico B. I. V. cum muliere acatholica C. A. K. per forum seculare a viro priori divortiata, nec expectata fori superrevisorii sententia, simile matrimonium admiserit, utut excusationem suam in Resolutionibus pro favore Caroli Kiss editis fundare niteretur, severe improbari fecit. Quoad illos autem, qui tempestatis huius causa extitere, non emansit

nemesis divina. Nam Barbara Beretky prius infausto morbo absque haerede extincta, a fatis eius Carolus Kiss Consiliarius Regius ex ipsius nexu cum nobili familia Beretky Helv. Confessioni addicta litigiis implicitus, ex incidenti causati per Commissionatum suum occasione occupationis iurium Beretkyanorum homicidii per Sedriam eiusdem Comitatus Gömöriensis, qui prius tantis cum clamoribus propugnabat matrimonii Kissio-Beretkyani legitimitatem, nunc vero iam nullum fuisse clamabat, ad mortem damnatus, in carceribus vitam terminavit, ac una haec familia defecit. Sicque hinc etiam o mortales! discite iustitiam moniti, et non temnere Divos!“ — (*Monumenta haec e laudato opusculo desumta sunt.*)

120.

Repraesentatio Cleri Rosnaviensis ad Cardinalem Primatem Regni a Batthyán circa differentias Episcopi sui Antonii B. Andrássy cum Augusta Aula dd. 28. Martii 1797.

Eminentissime etc. Multa sunt, quae nos ad subeundum filiali cum fiducia et devotione sublimem Eminentiae Vestrae conspectum non tam invitant quam impellunt. Seu enim lacessitae nefors Religioni nostrae perfugium velimus parare, ipsa Religio nostra in Purpuratum Eminentiae Vrae sinum, nativum veluti portum suum respiciens nos ad Eminentiam Vram ultro dirigit; seu Regiam illam Augustissimi Terrae Principis clementiam, quae felicitatis subditorum parens certissima est, conciliare nobis adnitamur, quo duce, aut cuius auspicio hanc etiam votorum nostrorum metam possumus contingere certius, faciliusque, quam Eminentiae Vrae, cuius illustria illa operosaque, et non Ecclesiae minus quam Patriae toti utilissima in Thronum Regium studia, nullis sive nostris sive posterorum encomiis satis pro merito celebrantur? Spebus his incensi, audemus cum ea, qua par est, reverentia sollicitudinem nostram Eminentiae Vrae oculis substernere.

Devotissimus Eminentiae Vrae Suffraganeus, noster autem gratiosissimus Praesul, Antonius L. B. Andrássy, in displicentiam incidit Regiam, imo vi altissimae ultionis Regiae bonis Episcopatus sui interdictus, ea, qua integerrimum Antistitem, et profluentis a Deo regiae potestatis reverentissimum subditum decet, animi alacritate, ac constantia pondus iam sustinet, magisque indignatione Principis optimi, quam vindictae afficitur gravitate. Paravit illi incommodum hunc situm tuendarum veritatum Catholicarum sincerum, et ab omni prorsus inanis gloriae aut aemulationis cupiditate remotissimum studium. Quam non vane de intemerato Praesule nostro istud pronunciemus, vel e molestissimi casus specie, quam germanis adumbratam coloribus exhibemus, perspici satis superque potest.

Accidit nempe tertio abhinc anno: ut in Rosnaviensi hac Dioecesi matrimonium inter nobiles Helveticis ritibus addictas personas multo ante initum ad sponsae petitionem per civilem C. Neogradiensis Magistratum eo ex capite irritum fuisse declararetur, quod nimirum praelibata sponsa e metu per parentes sibi incusso, sequaciter invitam se ad has nuptias descendisse praetenderit. Nulla causae huius ad legalia altiora Fora seu a matrimonii defensore, seu a partibus interposita provocatione, sententia Sedis Iudiciariae pro testimonio liberi status memoratae nobili mulieri servitura tradita est. Documento hoc instructam nobilis vir Catholicus in futuram vitae sociam sibi despondet, desponsatam inscriptis sibi per eam in casum resultus pro vinculo decem mille florenis, arctius obligat, obligatam ad Parochum loci pro contractu unice roborando induxit, quo coramisato, nec alia ulla penitus actione intercedente, nullis adhibitis ad actum testibus, nulla sive trinae de iure promulgationis, sive petendae ab hac apud Ordinarium dispensationis, sive denique sui mox et hoc ipso tempore peragendae copulationis iniecta mentione Parocho, praetensam sponsam (ita omnia attestante Parocho) in domum suam successive transportat, et ad illud usque tempus veluti iam legitime iunctae cohabitat, quo per Ordinarium ad dimittendam primum paterne monetur, dein etiam stringitur. Tandem edoctus ne clandestine quidem sibi

iunctam dici posse, ad se pro praudio Parochum invitat, quo iam praesente, apprehensa coram constitutis ad actum duobus suis amanuensibus, mulieris dextera, declarat, se eam in suam coniugem sumere, ipsam autem vice versa nubere eidem. Et haec erat ignorantiane an studio quaesita duorum, de quibus agitur, post praemissam primum paternis monitis, dein etiam correptione Ordinarii inhibitam cohabitationem, coniunctio. Re ad Episcopum perlata, novis sponsis veluti publici mali exempli reis ad Fiscum Consistorialem dies indicitur. Citatis auctoritatem huius Indicii spernentibus, causa maturo examini subiicitur, deliberaturque: declarationem de nullitate anterioris matrimonii sponsae per civilem Magistratum factam ex principiis Religionis Catholicae pro vigorosa haberi nequaquam posse, ac proinde attentatum posterius matrimonium ex principiis eiusdem Religionis Catholicae nullum esse. Episcopus deviae, et multis nominibus sibi carissimae ovis huius adeo vehementem ruinam spiritualem miseratus, ac Sacramentorum quoque dignitati et reverentiae pro munere suo consulturus, Pastoralibus literis suis nobis intimat: Catholicum hunc hominem, donec a spirituali lapsu suo resurgat, percipiendorum Sacramentorum sese incapacem reddidisse. Quam autem paterne istud factum sit, literae ipsae, quarum exemplum adiicimus, perhibent. *) Sponsi interea rem suam ad Augustum Thronum deferunt, et mediatione patronorum suorum a religiosissimo Principe non tantum id impetrant, ut pro validitate, efficaciaque matrimonii huius altissimum suum suffragium elargiatur, verum etiam clementissime, districtimque Episcopo praecipiat, ut Pastorales literas suas nulla interposita cunctatione revocet. In his angustiis positus Episcopus, quod unum reliquum ipsi fuit, iterum ac tertio humillima tenerrimaque cum animi submissione benignissimum Principem de genibus est obtestatus: pateretur hunc calicem, quem salva conscientia fidei illius, qua coelesti, terrestrique Regi suo est obstrictus, si maxime vellet, bibere non posset, clementer a se transferri.**)

---

*) Occurrit supra sub nr. 109.
**) Occurrit sub nr. 117.

Eminentissime Domine Cardinalis! longissime a nobis temeritas illa et abest et absit, ut cum coronato Capite, Uncto videlicet Domini, contendere iudicio attentemus. Scimus nos, docemusque, Thronos Regios ad communem hominum felicitatem manibus divinis esse fundatos, hodieque fulciri. Scimus, quid Maiestati Regiae, sublimitatis divinae in terris aemulae a subditis nationibus debeatur. Curvamus nos Solio Regio promti et alacres non capita tantum, et genua, quae mentiri saepe possunt, sed quod multo excellentius obsequii genus est, corda quoque et animos nostros, atque ad filialem hanc Regum venerationem populos verbis docemus, exemplis ducimus. Et hinc de Regiae quoque in nos clementiae amplitudine id nobis persuademus potius quam pollicemur, quod de proposito per nos matrimoniali casu sensus nostros, quos modo coram Eminentia Vra, Praeside scilicet Ecclesiae Hungaricae, et benignissimo Patre nostro, filiali cum fiducia retegimus, coram Regia quoque Maiestate Sua (si res ita poposcerit) ausuri simus sine trepidatione explicare fideique nostrae rationem reddere.

Quamquam autem verissimam esse sentiamus, Inbenterque nobis accomodemus illam Divi Augustini Confessionem, quam Lib. de adult. coni. cap. 25. his verbis facit: „Quaestionem de coniugiis obscurissimam et implicatissimam esse non nescio, nec audeo profiteri, omnes eius sinus vel in hoc opere vel in alio me adhuc explicuisse, vel iam posse, si urgear, explicare.“ Duae tamen ceteras inter, quae praesentem rem nostram intimius concernunt, de matrimoniali contractu ita ab Ecclesiasticis Scriptoribus elucubratae, ac complurium etiam Conciliorum oraculis tam diserte nobis propositae sunt veritates: ut, etiamsi ipsos forte Fidei Cath. articulos non faciant, ad hos certe accedant quam proxime, principiorumque loco haberi debeant, a quibus catholico homini et iis praecipue, qui praesunt, discedere quam foret a spiritu veteris Ecclesiae degenerum, admonemur exemplis Sanctorum: Athanasii, Hilarii, et Eusebii, quorum invictam in tuendis Conc. Nicaeni definitionibus constantiam celebrat S. Hieronymus Lib. cont. Lucif.: „Quomodo, inquit, potuissent

adversus Synodum Nicaenam facere, propter quam exilia sustinuerunt;" magnanimitate item Divi Ambrosii, qui Epist. 32. de se profitetur: „sequor tractatum Nicaeni Concilii, a quo me nec mors nec gladius separabit."

Prima harum est: quod legitimi consummatique matrimonii coniugiique vinculum nulla humana potestate possit resolvi. Veritas haec Ecclesiae Catholicae ipsa Ecclesia videtur antiquior esse; nondum certe aedificationi Ecclesiae suae manum ultimam imposuit Christus, dum veritatem hanc Pharisaeis, sollicitatoribus suis, Matth. XIX. 7. Gentibus vero Marc. X. 11. Luc. XVI. 18. hac sententia palam edixit: „Omnis, qui dimittit uxorem suam, et alteram ducit, moechatur, et qui dimissam a viro ducit, moechatur." Sensit Divus Augustinus, planiora haec esse Christi Domini verba, quam ut devia interpretatione aut lubrico quopiam effugio possint declinari; iis proinde tamquam efficacissimo telo adversantium ingulum petiit lib. II. de adult. coni. cap. 8: „Qui nos sumus, inquit, ut dicamus, est qui moechatur uxore dimissa alteram ducens, et est, qui hoc faciens non moechatur, cum Evangelium dicat: omnem moechari, qui hoc facit." Subinde vero Christo iam in Coelos, et matrimoniali contractu ad Sacramenti dignitatem sublato, Apostolus Paulus Rom. VII. 2. 3 prorsus autem disertissime I Cor. VII. 10. tenendum fidelibus, verbis his indicavit inculcavitque: „iis autem, qui matrimonio iuncti sunt, praecipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere, quodsi discesserit, manere inuuptam." Quae unquam seu in Areopago seu Foro Romano clarioribus verbis perlata aut publicata lex fuit, quam haec christiana? Abuteremur paterna Eminentiae Vrae benignitate, et meridiano soli lucem videremur velle addere, si validissima illa ex omnibus Theologiae locis huc facientia documenta niteremur conferre. Unum subiicimus Divi Hieronymi ad Amand. Presbyt. sic scribentis: „Vivente viro adulteram esse mulierem, si alteri nupserit; quamdiu igitur vivit vir, licet adulter sit, licet sodomita, licet flagitiis coopertus omnibus, et ab uxore propter haec scelera derelictus, maritus reputatur; cui alterum virum accipere non licet." — Imus iam ad *alteram*.

Haec explorata aeque ac in pari apud nos luce posita veritas est: quod nimirum quaestiones matrimonii vinculum attinentes ad examen et discussionem Ecclesiasticae Iurisdictionis pertineant. In iuris huius exercitio tamquam genuina haereditate sua per omnem retro antiquitatem stetisse Ecclesiam, irritumque semper declarasse, quidquid in hoc genere, regno quippe non suo, civile Iudicium attentavit, e plurimis omnis aetatis documentis compertissimum est. Nos compendii studio duo duntaxat exhibemus: literas videlicet, quas sequioribus his iam annis Pontifex hodiernus ad Sereniss. Ducem Würtembergensem, et Instructionem, quam ad quemdam Austriacarum ditionum Antistitem dimisit.*) Videri in his clarissime potest, quae Purpuratorum Eminentiae Vrae in Urbe sociorum mens, et quis sit sensus Ecclesiae Romanae, ad quam ob potentiorem principalitatem omnem necesse est (clamabat olim S. Irenaeus Lugdunensis Episcopus) convenire Ecclesiam, et a qua ut centro unitatis nemo unquam sine prolapsione se divisit. Sed et unanimis omnium fere Christianarum Gentium hanc in rem consensus singularem veritati huic conciliat venerationem. Ut enim domesticos Fidei nostrae praetereamus, ipsi a communione Romana alieni populi, qui licet auctoritatem sacerdotalem omni contentione arrosum eant, causas tamen matrimoniales spiritualibus Consistoriis suis, Catholicarum Sacrarum Sedium quibusdam simulacris, pertractandas publicis legibus detulerunt, ut in Iure Imperii Moschovius late ostendit. Intimo nempe sensu Christianae Nationes admonentur: vinculo matrimonii sacrum quidpiam coelesteque inesse, quod profanis manibus contrectare nefas, vel, ut mollius dicamus, indecorum est. Huc indubie respexit ipsa etiam Patriae nostrae legislativa Potestas, quae a. 1791. art. 26. in favorem Protestantium perlato, hanc inseri iussit cautionem: „eo tamen per expressum subnexo, quod divortii sententiae (per Iudicem secularem latae) nonnisi quoad effectus civiles ubique pro validis habeantur." Quid enim est hoc aliud, quam dicere, in matrimonii contractu fulgere sanctimoniam ali-

*) Vid. infra nr. 121.

quam, cuius dignitas laicae potestatis excedat conditionem. Ea scilicet est veritatis indoles, ut se opprimi denique non sinat, et ab invitis etiam testimonium sibi proliciat. Sed tametsi nihil aliud haberemus (usurpamus verba Lutheri ex Epist. ad Albertum Brand.), testimonium totius S. Ecclesiae solius nobis sufficere deberet. Ut enim Calvinus lib. IV. cap. 1. n. 10. observat: Sic Ecclesiae auctoritatem commendat Dominus, ut, dum illa violatur, suam ipsius imminutam censeat. Iam vero, quid unquam Ecclesia universalis, per cuius labia Spiritus veritatis ad nos loquitur, clarius, simplicius, et pressius nobis proposuit, quam C. Tridentini Sessione XXIV. can. 12. veritatem hanc, pro cuius tutela coram Eminentia Vra oratores humillimi stamus? Profecto pro nostra cogitandi arguendique ratione, si a sanctitate canonis huius abimus, nihil ultra erit in Conciliorum, adeoque universae Ecclesiae definitionibus sacrum, nihil firmum et immobile, deridebiturque iactatum illud ore Divi Augustini effatum: Evangelio non crederem, nisi me Ecclesiae Catholicae commoveret auctoritas. Lib. 2. cont. Epist. fund. cap. 6.

Verum dicent nonnulli: laudatum Trid. Canonem *disciplinam* dumtaxat respicere, non autem ad fidei dogma pertinere. Supplices devotissimi, non disceptatores ad Eminentiam Vram petiimus admitti, ideo brevissime insinuamus, novam hanc quorumdam exceptionem nudam et nullius celebrioris Theologi protectione fultam produci in theatrum. Si Melchioris Cani, primi subsellii Theologi et Episcopi Concilio Tridentino assidentis mentem sequaciter illius proximus penetrantis regulas, de dogmatibus a disciplina discernendis sequimur; si Pium VI. in actu Synodi Pistoriensis iudicium a. 1794. ferentem, et hinc (ut Theologi loquuntur) e Cathedra fideles universos docentem attendimus: veritas haec dogmatibus certissime omnino accensenda est. Doctrina enim memorati Conventiculi pag. 32. expressa Canonum 3. 7. 9. et 12. Sess. XXIV. C. Tridentini eversiva haeretica declaratur. Quis unquam solius disciplinae Ecclesiasticae hostis hoc hactenus stigmate ab Ecclesia Romana est inustus? et qui inustus est, an non dogma arietavit? Sed non miramur hanc aliquorum opinationem: damus illis, veritatem,

praelibato canone Tridentino definitam, disciplinam esse; at disciplinam eiusmodi, quae Ecclesiae universae definitione, usuque consecrata sit, ipsamque ex ingenio suo Sacramenti Matrimonii medullam, et aninam contrectat. Quid hinc in intemeratum Praesulem nostrum potest extundi? appellamus conscientias ipsorum, dicant: estne Episcopo, qui ne Nationalis quidem Synodi Constitutiones impune potest infringere, cui Conc. Tridentini Sessione VII. can. 13. vel ritus externos ad Sacramentorum administrationem pertinentes aut destinatos omittere vel mutare sub anathemate est interdictum, disciplinam universalis Ecclesiae, et disciplinam in ipsam Sacramenti substantiam efficaciamque influentem deserere, aut adversus eam agere integrum? dicant: suadere civilibus etiamsi Summis Potestatibus in huiusmodi disciplinas Ecclesiasticas iuris usurpationem an non sit armare filios in matres et acerras thuribulaque e manibus Pontificum erepta Regum dexteris obtrudere? Pure disciplina Ecclesiae est Clericorum Coelibatus, disciplina pariter est Sacramenti Eucharistiae sub altera tantum specie laicis administratio: plectendine erunt Episcopi, qui Ecclesiasticarum harum disciplinarum violatoribus froena spiritualia iniicere voluerint? aut adulandumne Civilibus Potestatibus, quae in has Ecclesiae disciplinas pro suo pruritu manus inferrent? Supersunt adhuc et leguntur literae, quibus a. 1564. immortalis memoriae et gloriae Ferdinandus Imperator Pontificem Pium IV. obtestatus est, ut Germanis et Hungaris (sperans sic desultorum filiorum ad gremium Matris reditum) communionem sub utraque specie indulgeret: scivit nempe pientissimus Monarcha, sceptro suo nihil in Ecclesiae campo debere licere, nec Maiestate sua indignum arbitratus est, si Caesarea Corona debitam partem redderet Romanae Tiarae. Recenti tenemus memoria, quam devota interpellatione Maria Theresia (cuius nominis dulcedo numquam animis Hungaricis excidet) a. 1772. a Clemente XIV. exoraverit dierum nonnullarum Sanctorum nominibus sacratarum relaxationem: pura haec et particularis Ecclesiae Hungaricae fuit disciplina; adeundum tamen Vaticanum, et claves petendae erant, cum nihil Apostolica Regina, nihil Patriae Episcopi, vel in

singularem hanc Nationis disciplinam iuris se habere certissime scirent. At Maria Theresia pro sni idole sexns nimium religiosa, Ferdinandus Clero Hungarico nimium devinctus, Principum proinde horum exempla siclo sanctuarii ponderata parum roboris hodie habent: reponent aliqui. Proponimus his Fridericum II. Borussorum Regem Protestantem, et hodiernae magis Philosophiae, quam rei Catholicae deditum Principem. Ille in celebri et in pluribus iam libris edito responso suo, quod a. 1749. Magistratui Halberstadiensi dedit, agnovit, palamque edixit: apud Catholicos ea etiam, quae pure ecclesiasticae disciplinae sunt, secundum canones et Conciliorum definitiones per Ecclesiasticos Indices debere pertractari, neque se permittere posse, ut in ditionibus suis parte hac vis aliqua spiritualibus catholicis personis intentetur. Patet porro ex hoc Responso manifeste, Principem hunc Protestantem agnovisse: iuvenem catholicum se in re Ecclesiae suae pure disciplinari Ecclesiasticae iurisdictioni subducentem, usu sacramentorum legitime fuisse a parocho suo interdictum, atque hinc parochum hunc Dominicanum dignum existimasse, quem Regia auctoritate sua adversus Magistratus Halberstadiensis insultus tueatur. Iam nosne pronnuciabimus, Episcopum tam sacram universalis Ecclesiae disciplinam sine gravi apertissimoque conscientiae suae vulnere posse deserere, aut damnabimusne illum Oecumenici Concilii canoni, quoad poterat, se accomodantem, quem seculi sui et Septemtrionis gloria Fridericus non absolvisset modo sed et sub protectionem suam recepisset?

Hae itaque sunt orthodoxae veritates illae, quas nos tenerioribus annis e Magistrorum non tempori servientium, sed per priscorum Ecclesiae Doctorum vestigia euntium labiis sorbebamus, adolescente autem aetate e probatissimorum Auctorum scriptis bibimus; mirum proinde vix cuiquam videri potest, quod intima de iisdem convictio animi sangvinem et conscientias adeo insederit, ut dimitti aut alterari a nobis, nisi cum sangvine, non possit. Atque ex fundatissima hac animorum nostrorum convictione affirmamus, intemeratum amantissimumque Praesulem nostrum in descripto matrimoniali casu, nihil attentasse, fecisseque aliud, quam quod Episcopalis mu-

neris sui severissima ratio, quod iura tam Ecclesiastica quam etiam Patria, et hinc ipsa ab illo deposcebat conscientia. Patiatur Eminentia Vra, et sollicite excutiemus singulos ipsius passus.

Dimisit ad nos plenas ecclesiasticae lenitatis Pastorales suas. Instituit, nisi fallimur, in hoc Divorum Petri, Pauli, et Ioannis Apostolorum ac una Episcoporum vestigiis, quorum pastorales literas etiamnum miramur, veneramurque ut praecipuam thesauri Ecclesiae partem. Secutus est gressus tot veterum sacerrimorum et aris illatorum Antistitum, ipsius Eminentiae Vestrae in se expressit exemplum. Quis enim unquam Episcoporum suam citra istiusmodi Epistolas recte gubernavit, aut potuit gubernare Ecclesiam? — Dehortatus paterne est filium Dioecesis, et peculiarem alias clientem suum, atque etiam inhibebat ab incundo matrimonio cum persona, quae ex principiis Religionis Catholicae alterius adhuc uxor debebat haberi. Hic morem laudabiliter gessit sincerae ardentique caritati illi, quae urgere Episcopum continuo debet, ut explicitis amoris paterni brachiis, spirituales filios suos complecti, et a praecipitio satagat avellere. Usus praeterea est auctoritate illa, quam Episcopis anni 1791. art. 26. §. 11. sartam reliquit detulitque. — Inito denique matrimonio disparis religionis, coniuges hos ad tuendam causam suam in faciem Consistorii Episcopalis citari iussit, causam examinavit, in reos sententiam ex mente canonum dixit, huiusque executionem apud I. Universitatem Cottus Gömöriensis sollicitavit. Pedem ad singula haec fixit sub potentissima utique Sanctionum Patriarum protectione, factorumque horum suorum coronatos habet evictores, S. Stephanum, Colomannum, Mathiam Corvinum, Ferdinandum et Leopoldum 2. — Unum est, quod cum animi quodam renisu contingimus: Summi scilicet Terrae Principis clementissimo mandato, quo pastoralis illius epistolae retractatio praecipiebatur, non paruit. Hic, Eminentissime Domine, humeros contrahimus, palpebras submittimus, et quid in his adiunctis ab Episcopo, qui Deum, Regem, prementisque humeros suos officii sanctimoniam prae oculis mentis habet, fieri potuerit, debueritque sublimi integerrimoque Eminentiae Vrae iudicio definiendum substernimus.

Quam luculenter haec innocentiam Praesulis nostri ob oculos ponunt: tam etiam illud certe evincunt, quod Princeps religiosissimus debita de indole negotii huius informatione destituatur hodiedum. Quis enim sibi persvadeat, ut Rex aequissimus, qui in ipso Solii Regii aditu contestatus coram mundo est, velle se famulas sibi nationes lege et fide gubernare, hanc ab Episcopo literae pastoralis retractationem, quae legi et fidei tam est opposita, exigat, et in integerrimo Antistite ideo Regiae auctoritatis suae statuat exemplum, quod in matrimoniali casu hoc singulos gressus suos ad omnes legis et fidei apices curatissime exegerit? Profecto tenera illa devotio, qua animi nostri Optimo Principi devincti sunt, non modicam de eo nobis sollicitudinem iniicit, ne paterna haec insontis Episcopi castigatio Regii nominis splendori umbram aliquam olim inspergat.

Dum nos, Eminentissime Domine, hanc gratiosissimi Praesulis nostri innocentiam propugnamus, dum intemeratam illam et plurimis exemplis testatam in Terrae Principem fidelitatem, pronamque illius in Civiles Iurisdictiones reverentiam commemoramus: non eo unice defiguntur conatus nostri et consilia, ut temporaneos Episcopatus sui reditus illi vindicemus; haberet hos ille etiamnum, nisi dudum illos virtuti et religioni posthabuisset; nostram potius, nostram propriam, et carissimae Matris nostrae Ecclesiae Hungaricae, cuius in Eminentia Vra caput aureum veneramur, rem urgemus. Iacet prostratus Episcopus noster, et ut agendo prius, ita patiendo nunc vere magni Sacerdotis dat nobis exemplum; at non iacet solus: iacet etiam cum illo Fides nostra, iacet conscientia. Quae cum ex iisdem sanctissimis Religionis Catholicae fontibus sint haustae, arctissimo sibi vinculo nexae, imo eaedem prorsus et erant et sunt. Ut adeo vulnus illius, vulnus etiam nostrum esse existimare vere possimus. Quid vero de altissimis in negotio progenitarum e mixtis matrimoniis prolium mandatis, quid de ipsa lege Patriae commemoremus? iacent et ista, quorum nullam observantiam, nullam efficaciam tam Excelsum Consilium, quam Ipsa quoque Maiestas SSma displicenter plane experiuntur. Protestantes multiplicibus Maiestatis Regiae mandatis ex lege

Regni desumtis prorsus temerarie sese opponunt, nec tamen quidquam triste formidant. Praesulem nostrum sanctissimum disciplinae Ecclesiasticae ipsi fidei innctae et legi Regni inhaerentem idcoque adversus conscientiam agere renitentem perditum volunt, et apud Apostolicum Regem perurgent. Hinc vel tacentibus nobis perspicere dignatur Eminentia Vra, in quas simus redacti angustias. Macerat nimirum nos casus praesentis acerbitas, aliorum autem similium metus percellit. Soluta iam sunt et solvuntur in dies Protestantium coniugum per Civiles Iurisdictiones in ambitu Dioecesis nostrae tot matrimonia, ut timendum sit, ne eliminatus per Christum ex Evangelio Iudaici repudii libellus sub cultiori titulo in Evangelium iterum irrepat. Quid pronius, quam ut coniuges hi personarum catholicarum matrimoniis innectere se desiderent? nos autem quid in his eventibus salubris consilii capiamus, prorsus non pervidemus; si nuptiis his annutum et praesentiam nostram impertimur, Deum et conscientiam vindicem expavescimus; si repugnamus illis, Regiae Maiestatis indignatio formidanda nobis est. Triste utrumque, utrumque acerbum! Obtrudat porro, ut facile potest, haec se tentatio Dioecesano alteri. Iste in hoc rerum situ aut aeque ultionem optimi Caesaris in caput suum provocet, aut fide ab eiusdem patriae Episcopo se se separet, est necesse. Scintilla haec est, Eminentissime Domine, quae, nisi innctis Maiorum Regni Sacerdotum praefocetur dexteris, in totam Hungaricam Ecclesiam si non flammas, incommodissimum certe fumum est importatura.

Nos fluctibus his iactati et portum et aram in Eminentia Vra unice nobis constituimus. Novimus nos illud tot virtutum et meritorum insignibus externe radians Eminentiae Vrae pectus flagrare interno sacro Religionis incendio. Dulci cum solatio experti iam sumus, non minimam cordis Regii partem in Eminentiae Vrae dexteram se se dimisisse. Defigat Eminentia Vra paternos oculos suos in rei, quam agimus, gravitatem paulo attentius. Respiciat benigne humiliatum paulisper gratiosissimum Antistitem nostrum, et cum ipso Dioecesim quoque hanc nostram, minimam licet, non ideo tamen contemnendam Ecclesiae Hungaricae partem. Vir vere

consiliorum est Eminentia Vra, et habet scientiam sicut Angelus Dei! inveniet procul dubio viam aliquam, per quam procella haec a Praesule nostro, a nobis, et a tota Hungarica Ecclesia felicissime depellatur.

Spe tenemus certissima, quod religiosissimus et omnium optimus Princeps, magnorum quondam Galliae Regum Henrici IV. Ludovici XII. et XIII. laudatissimis vestigiis institurus, hanc paululum severiorem altissimam ordinationem pro ingenti pietate sua mollitarus, et menti Canonum Ecclesiasticorum, legumque patriarum clementissime accomodaturus sit, modo sincere, nervoseque de his edoceatur: *primo,* quod Episcopis ab Oecumenici C. Tridentini plano strictoque canone, disciplinaris eo, quo exposuimus, sensu, aut dogmaticus ille sit, recedere conscientia admittere nequeat; *secundo,* quod summum Ecclesiae Caput Pontifex in obsequium toties memorati Canonis id ab Episcopis diserte exigat, ut causas vinculum matrimonii attinentes per fora secularia pertractatas, ubi fieri aliter non potest, summarie adminus sub suum iudicium revocare teneantur; *tertio,* quod Episcopi Hungariae per ipsam SSmam Maiestatem articuli 26. a. 1791. confirmatione certi de eo iam redditi sint, quod conscientiae ipsorum ad agnoscendum sententiarum de vinculo matrimonii per Iudices Civiles latarum vigorem cogendae nequaquam sint.

Quod porro singularem hunc gratiosissimi Praesulis nostri casum concernit, cum ille matrimonii mixti sit, virtute art. 26. §. 16. a. 1791. per Episcopale Consistorium pertractari necessario debet: Consistorium autem istud ferre sententiam, quoad anterius Sponsae matrimonium, etiamsi istud principiis Rel. Catholicae non adversaretur, etiamsi patrocinium in hoc praelibati art. 26. §-o 11. non haberet, ea ex ratione non posset, quod sententia Fori Secularis ad examen legalium altiorum Fororum deducta nondum sit, sint autem momenta non pauca, quae totum illum sponsae metum, qui praetenditur, suspectum iure faciant, et ideo de reformanda per sublimiores Indices primi Iudicii sententia spem non modicam praebeant.

Fortia haec et luculenta sunt, quae Eminentia Vra pro celebratissima dexteritate sua, sublimisque officii sui ratione Augustissimo Principi proponere si benignissime dignata fuerit, non possumus, ut iam praemisimus, certissime non sperare, gratiosissimum Praesulem nostrum a sua calamitate, nos autem a molestissima sollicitudine clementissime redimendos esse. In reliquo. Rosnaviae, die 28. Martii 1797. Capitulum, et Clerus Rosnaviensis.

121.

Provocata Epistola Pii VI. ad Ducem Würtembergicum.

Dilecto Nobis Filio etc. Cum pervenisset ad aures Nostras, iam nuptias a Nobilitate Tua contractas esse cum Comitissa de Hohenheim, refugiebat plane animus, ut huic rumori fidem adiungeremus; multum enim praeteriisse temporis videbamus, ex quo Te amantissimis literis Nostris die 23. Maii 1781. datis dehortati ab eo consilio fuimus, neque quidquam tanto spatio actum a Te esse, ac ne cogitari quidem audiebamus, proinde Te Nostris paternis monitis, seu potius precibus acquievisse ac ab eo proposito plene recessisse Nobis persuadebamus, Deoque plurimas agebamus gratias, quod Te a tanto salutis Tuae periculo removerit. Sed tandem contra spem Nostram invitissime credere a re ipsa coacti sumus, quod minime factum esse vellemus, quodque in summum animi nostri moerorem ac maximas sollicitudines Nos coniicit. Et quomodo nunc dissimulemus Tibi dolorem hunc Nostrum ipsi? quomodo Te Nostro fletu de Tua pernicie non revocemus? quomodo paternam manum non porrigamus ad amantissimum in Christo filium e tanta prolapsione sublevandum? Patere igitur, ut hoc ingratum animo adhuc exulcerato, sed tamen saluberrimum Tibi praestemus officium, et voce non blandiente, sed vera et plane evangelica dicamus: non licet Tibi habere uxorem, quae alterius est etiamnum viventis viri. Atque hic non ignoramus, quas ad

causam Tuam rationes afferas, et dissolutum nimirum per heterodoxorum tribunal illud primum a muliere initum matrimonium, et aliquot Theologorum a Te consultorum Tuo faventem animo sententiam. At Nos et Apostolica haec Sedes, ac universa Catholica Ecclesia eam tenet doctrinam ex SS. Literis haustam, constantique sensu comprobatam : matrimonii vinculum inter qualescunque sacro baptismate tinctos semel validum (quale ex ipsis Tuis literis primum illud praefertur) siquidem consummatum sit nullo unquam pacto, sin ratum duntaxat, nulla ratione et via alia, quam quae Apostolicae Traditionis in Ecclesia Catholica servatur, solvi posse. Non hic locus est dissertationem Nobis ad eam doctrinam confirmandam texere, cum satis omnino esse debeat Tibi, qui Catholicus es, eam per Nos ipsos agnosci. Quod igitur a Catholicis reprobatur, et ipsi etiam Secolares Principes e Protestantibus, invitissimis in Te conspiciunt oculis, si aeque a Te non repudiatur, nimis ab ea, quam profiteris, Religione, ac Tuae Domus dignitate dissides. Et quid Nos aliud a Te nunc flagitamus, quam ut conscientiae Tuae, Tuaeque existimationi consulas? apud Te causam Tuam agimus, non alia ratione, quam precibus, lacrymisque Nostris, quam Te per Deum vivorum, ac Dominum nostrum Iesum Christum obsecrando, obtestandoque, ut videas, quo progressus sis, ut Tuo ipsius consilio, Tuae voluntatis decreto, Tuaque prudentia modereris animo Tuo, exhibeasque praeclarum hoc fortitudinis ac virtutis documentum. Deum interea Patrem, eiusque filium, quanta possumus, animi contentione flagitare non intermittimus, ut Te recipiat, ut per S. Spiritus afflatum in viam salutis Te referat. Ac ad magis provocandam divinam in Te benignitatem Apostolicam benedictionem Nobilitati Tuae ex intimo paterno sensu profectam peramanter impertimur. Datum Romae die 30. Decemb. 1786.

Mon. 122.

Vicarius Vaciensis de Zerdahely contra Resolutionem Regiam super eo editam: ut causa divortialis coniugum acatholicorum coram foro seculari inchoata, non obstante partis unius ad Fidem Cathol. conversione interea facta, in eodem seculari foro continuetur, reflexiones suas altiori Loco proponit, dd. 9. Aug. 1797.

Serenissime etc. Et rei magnitudo, et cum realitate facti minus consentiens N. N. Aug. Conf. incolae N. pro venia causam divortii contra uxorem coram foro seculari prosequendi recurrentis expositio ac in hac fundata Resolutio R. mihi die 27. Iun. intimata *) pro eo, quod immeritus gero, munere exigit: ut humiles reflexiones meas hoc in merito occurrentes Cels. V. C. R. et Exc. Consilio proponam, ac ad has patrocinio, praesidio suffragioque validissimo coram Augusto Throno fulciendas eo, quo possum, maximo animi fervore et submissione supplicem. Agitur de dignitate, de iniuria Sacramenti, quod secuta Apostolum — magnum in Christo et Ecclesia praedicantem — universa tenet et profitetur Ecclesia esse verum Novae Legis Sacramentum ab auctore N. T. institutum; cuius reverentiae causa ipsa Resolutio Regia in Artic. 26: 1791. §. 16. relata atque cum plausu et iubilo per utriusque Confessionis asseclas acceptata universas causas matrimoniorum tum eorum, quae iam tempore, quo inita sunt

*) Resolutio R. sic sonat: „Illustris etc. Siquidem N. N. Aug. Conf. addictus incola N. causam divortii adversus uxorem suam N. N. fidem cath. medio tempore amplectentem, coram Foro seculari prosequendam admitti supplicans iam initio mensis Iunii 1794. adeoque dum adhuc consors eiusdem in evang. Confessione perstitisset, ex malitiosa desertione et attentata intoxicatione divortium sollicitaverit, consequenter consors eiusdem ad eludendum divortium Religionem Cath. amplexa fuisse praesumatur: hinc visum est Suae. Maj. Sacr. clementer resolvere, ut antelato N. N. in salvo relinquatur, quo causam divortialem coram Sedria Comitatus, ad quam spectat, prosequi possit. — Datum ex Consilio R. L. H. Budae die 27. Iunii 1797. celebrato.“

mixta erant, tum eorum, quae per transitum alterutrius partis ad Fidem Cath. successive mixta effecta sunt, Sedibus Spiritualibus vindicat, ea causa assignata, quod utrobique de veri nominis Sacramento agatur. Exposuisse recurrens videtur, quod iam initio mensis Iunii 1794. ante conversionem mulieris ad Fidem, ipse eandem coram foro seculari ex malitiosa desertione attentataque intoxicatione ad divortium convenerit, hincque praesumendum esse, illam nonnisi ad clusionem quaesiti praetensivi divortii Cath. Religionem professam fuisse. Verum si secundum regulas iuris nemo praesumendus est malus, nisi probetur; si nullus criminaliter ex meris praesumtionibus convinci potest: quomodo ex praesumtione hac iniuria inferetur ipsi Auctori Sacramentorum, de cuius aperto latere Sacramenta Novae Legis promanarunt in sangvine et aqua? Quis unquam admittet, ut Iudaeus, Mahometanus aut paganus quiscunque, qui sacro lavacro tingi petiit, instituendisque catechumenis praestitutum tempus cum observantia exegit, salutaribus undis ablutus, sive ipse sive coniux illius praetendat, id illum studio deserendae compartis fecisse? quis admittet, inquam, ut ad perfidiam pristinam redire, redituque suo passione et morte unigeniti Dei Filii paratum regenerationis sacramentum contaminare possit? Quodsi autem id quis contendat: audiat Apostolum I. Cor. 7, 13 : Si quis frater uxorem habet infidelem, et haec consentit habitare cum illo, non dimittat illam; et si quae mulier fidelis habet virum infidelem, et hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum; sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem fidelem, et sanctificata est mulier infidelis per virum fidelem. Paradoxa quidem videbitur paritas haec, si secundum literam spectetur; ast si spiritus, vis et virtus doctrinae Apostoli expendatur, congruentia elucescit. Exigit nimirum gentium Doctor consensum partis in perfidia remanentis, ut excludat iniuriam Creatoris, subtrahat omnem suspicioni de illusione fictionibusque occasionem. Cum enim accedente consensu in coniugio fidelis remanere debeat, incertus de illo frustra sub spe dissolutionis matrimonii fictitie ad sacramentum Baptismi confugeret. Indicat consensus unice compartis requisitione etiam inter infideles in ratione contractus natu-

ralis indissolubilitatem matrimonii. Recurrens pro divortialis causae suae ad forum seculare relegatione iniuriam inferre nititur Auctori N. L. Sacramentorum; cupit enim hanc pertractari in principiis Confessionis suae in forma praecisa civilis contractus; vult separare a ratione civilis contractus sacramentum, quod tamen inter Christianos inseparabile esse a valido de iure contractu universa agnoscit Ecclesia, et supra citatus art. 26: 1791. continet; vult dimittere uxorem suam contra institutionem eiusdem Apostoli non proprio sed Domini nomine praecipientis: ne vir uxorem dimittat; et: mulierem alligatam esse legi, quanto tempore vir eius vivit, declarantis. Fundamenta dimittendae uxoris sive legalis divortii expetendi adstruit: malitiosam desertionem, et attentatam intoxicationem. Signa sunt haec manifesta gliscentis coniuges inter aversionis, saevitiei et odii. Quis autem sibi persuadebit, tam alieno amaroque animo praeditam coniugem ea arrepturam media, quibus ab invisa adeo comparte separari nequeat? aut potius non ea quaesituram sollicite, quae faciliorem illi ad expediendum semet ab ingrato illius consortio viam et occasionem aperiant? Iam vero quaestionata mulier perhibente id testimonio Parochi, qui illam in Fidei doctrina instituit, admonita praevie fuit, non eam aliter ad fidei professionem admissum iri, nisi efficaciter viro suo reconciliari studeat, cum professio fidei verum et sincerum legum Dei et Ecclesiae implementum deposcat. Quod mulier haec adeo implevit, ut cum alio modo obstantibus vel maxime et dissensiones et discordias inter coniuges hos foventibus et concitantibus viri germanis, reconciliationem sui amicam impetrare non posset, 1795. ad sui receptionem viro suo litem coram me intentaverit. Praesumine idcirco potest, quod ad eludendum divortium Religionem Cath. illa amplexa sit? eccur vir erga sui citationem comparens hic non allegavit malitiosam desertionem, non attentatam intoxicationem illi obiecit? Sunt istae et potissimum posterior et in Iure Canonico legalis causa divortii Quibus rite expensis et tam cum iis, quae superius provocatum Parochi testimonium perhibet, quam cum ceteris adiunctis matrimonii huius combinatis non praesumo tantum sed iuridice infero: virum potius e concepto

e conversione uxoris odio in haec molimina prolapsum esse. Perbene enim cognitum habens, quod nec coram foro seculari conversionem uxoris ad fidem pro fundamento divortii adferre posset, illa obiicere crimina mulieri statuit, quae in principiis Confessionis suae legalia divortii fundamenta reputantur; utque secundum haec iudicentur, praetexere debuit fictitiam et illusoriam mulieris ad fidem conversionem. Liquet enimvero ex eodem testimonio, illam nonnisi 14. Iunii 1794. professionem fidei emisisse, ut ad hanc admitteretur, pluribus mensibus sollicite petivisse; liquet, si quae praecessit ad forum seculare mulieris sub initium Iunii praetensa citatio, nulla litis contestatione, quantum sollicite inquirens detegere potui, secuta citationem illam non multo professionem per illam emissam antecessisse, sed certe de efficaciter animo concepta conversione notitiam subsecutam fuisse; liquet illam longiori iam ante conversionem tempore viro suo ob praetensam saevitiem non cohabitasse: qui cohabitationis defectus rursum luculentus index est, illam minime studio antevertendi divortii illusorie catholica sacra amplexam esse, e quorum disciplina ad virum reverti, illi adhaerere cogeretur. Seren. Princeps, Exc. Consilium! non ego mulieris, non privatam, sed religionis, sacramentorum, imo ipsiusmet Auctoris Sacramentorum causam ago. Agitur de iniuria inferenda Sacramento, imo ipsi Sacr. Auctori; agitur secundum fororum secularium principiis Aug. et Helv. Confessionis conformia statuta de separatione eorum, quos Deus coniunxit. Quod enim utroque coniugum a fide aberrante validum sed informe fuerat sacramentum, per conversionem illius vivificatum illam sanctificationis simul et sacramentalis gratiae capacem effecit. Agitur de novis conversioni coniugum struendis obicibus; partem enim libenter et pacifice in convictu compartis manere volentem vel solus divortii metus arcebit a profitenda fide; facile namque conquiret pars altera eiusmodi motiva et argumenta, ex quibus licet concludi nequeat, praesumi tamen possit, partem ad fidem conversam non agnitae veritatis supernaturalique motivo actam fuisse, idque causae huius ab exemplo in foro seculari discutiendum aliis praetextuosis ex motivis praetendet quidem, reapse autem

propter conversionem divortium se inter et illam iudicialiter adinveniri procurabit. Pro cuiusmodi sequelis antevertendis gratiam et patrocinium Regiae Celsitudinis Vestrae Excelsique Consilii suppliciter imploro. — *Ex Tabulario Vaciensi.*

---

b) In Hetruria, Sicilia, Gallia.

A. *Introductio.* Notum est, in *Hetruria* sub gubernio Petri Leopoldi Magni Ducis (subin Imperatoris) innovationes in rebus religionis pari modo, ut in Austria per Iosephum II Imp. annis seculi superioris octuagesimis susceptas fuisse. Reformationes hae etiam in Hetruria maximam partem eo tendebant, ut iura Romani Pontificis circumscribantur, Ecclesia sub servitutem Civilis Regiminis redigatur, et duntaxat executionem eorum, quae Status Civilis opportuna iudicaverit ac decreverit, procuret, speciatim vero in rebus matrimonialibus unice a civili potestate dependeat. Inter Praesules Hetruriae tres erant solummodo, qui innovationes a laica auctoritate susceptas suo succolabant suffragio: Eppi nimirum *Prato-Pistoriensis, Clusio-Pientinus*, et *Collensis*. Sed praesertim primo loco nominatus, *Scipio Ricci*, fictae reformationis aestu abreptus, tamquam praecipuus reformationum auctor et patronus, non tantum in suis cum Civili Regimine correspondentiis innovationes religiosas cum manifesto contemtu supremae potestatis Pontificiae potenter sustentabat, sed etiam via facti easdem in suam Dioecesim invexit, sparsaque per multiplices libellos pravarum doctrinarum semina in unum quasi corpus conpingendo, dudumve proscriptos errores resuscitando, actis celebratae ab se a. 1786 *Dioecesanae Synodi* inseruit. In Actis Synodi continetur nominatim petitio ad Civile Gubernium directa, ut tum sponsalia, velut actum mere civilem, civilibus tantum legibus obnoxium, complectentia, abroget, tum pro suo iure, quoad impedimenta matrimonium dirimentia, ex his quoque nonnulla sufferat. Magnus Dux ad suscipiendas innovationes tantopere animatus, tum praeviam Synodi Pisto-

riensis de abrogandis nonnullis matr. impedimentis petitionem, tum alia adhuc 57 capitibus comprehensa, atque potestati Pontificiae non minus quam Eppali summe iniuriosa, *puncta reformatoria* Eppis pro opinione proposuit, quoad dispensationes matrimoniales eosdem exemplo Iosephi II Caesaris provocans, ut has deinceps propria auctoritate elargirentur. Insuper Congregationem instar Synodi Nationalis pro a. 1787 Florentiam indixit, sub propriis auspiciis et directione Gubernii sui celebrandam, in qua tum praevia reformatoria puncta, tum alia res Hetruriae ecclesiasticas tangentia obiecta in deliberationem et executionem sumerentur. Interim omnes Gubernii Civilis et Eppi Pistoriensis nisus in vanum abiere: nam, praeter tres iam supra indicatos Praesules, reliqui omnes tum in suis ad puncta M. Ducis responsis, tum in Congregatione Florentina quemadmodum pro defensione Pontificiae et Eppalis auctoritatis in genere, ita et pro iure Summi Pontificis in dispensationibus matrimonialibus et impedimentis matr. dirimentibus calamum strinxerunt, reformationesque ab Eppo Pistoriensi susceptas censura affecerunt. E responsis ac declarationibus Praesulum inter monumenta exhibemus 10 extractus, unice de quaestione matrimoniali sonantes. *(Mon.* 123—132.) — Summus autem Pontifex *Pius VI* actis Synodi Pistoriensis curatiore examine perlustratis, per celebrem dogmaticam Constitutionem a. 1794 editam, plures doctrinas ac sententias ex Actis Synodalibus excerptas, et inter has illam, quod sponsalia tantum civilem actum in se contineant, legum civilium praescripto obnoxium, et quod ad solam civilem potestatem pertineat, impedimenta matr. dirimentia statuere, et abrogare, omnisque Ecclesiae potestas nonnisi ex assensu vel conniventia Principum repetenda sit, damnavit. *(Mon.* 133.)

In *Sicilia*, nominatim in Neapolitana Curia AEppali evenit a. 1788, ut ab *Eppo Motulensi* tamquam literis regiis delegato Iudice ferretur in causa matrimoniali, per Curiam Neapolitanam in prima instantia decisa ac abinde appellata, finalis sententia pro nullitate matrimonii. Nuntio rei huius ad S. Sedem perlato, Summus Pontifex dicto anno primum mulierem, cuius causa agebatur, et quae ad alia vota ineunda

libera declarabatur, de nullitate sententiae admonuit; (*Mon.* 134. 135.) tum ad Eppum Motulensem longiori exarata litera, ostendit: dogma fidei esse, quod matrimonium sit unum e septem Sacramentis, eoque ipso ad solam Ecclesiam, cui tota de Sacramentis cura sit credita, pertineat ius suam matrimoniali contractui assignandi formam, deque eius valore vel nullitate sententiam ferendi; tum exponit, quantum vulnus auctoritati Ecclesiae inflixerit Eppus, dum in quaestione tot titulis ad Iudicem Ecclesiasticum spectante Regiae delegationi non tantum non obstitit, sed eam lubens acceptavit, sententiamque pronunciavit; huius itaque sententiae nullitatem demonstrat ex eo, quod lata sit ab eo, qui ad eam ferendam laica nonnisi auctoritate, prout in se nullam potestatem eatenus habente ita nec in alium eandem transferre queunte, delegatus fuerat; tandem paterne redarguit Praesulem, quod se ‚Regis gratia' Eppum scribere haud dubitaverit, quasi dignitas Eppalis non foret quoad ordinem a Deo, quoad iurisdictionem a Sede Apostolica, exclusa omni laica potestate, ipsum designandi sive nominandi ius unice e privilegio S. Sedis habente. (*Mon.* 136.)

In *Gallia* ante ipsam perturbationem publicam, quippe a. 1788 in Parlamento acceptatum et promulgatum fuit decretum Ludovici XVI de matrimoniis Protestantium inter se deinceps sic contrahendis, ut promulgationes per parochos catholicos prae foribus Ecclesiae, nulla facta religionis sponsorum mentione, instituantur, consensum suum sponsi coram iisdem catholicis parochis exprimant, et parochi nomine legis annuncient, inter sponsos verum matrimonium coaluisse; quodsi autem parochi catholici functiones praemissas peragere recusarent, eas civiles magistratuales personae perficiant. Decretum hoc, siquidem per illud parochi catholici pure laicali auctoritate tamquam legis civilis ministri ad functiones peragendas obligarentur, iam prius, dum intentio Regis innotuit, partim per Nuntium Parisiensem et complures Praesules, partim per libellos in vulgus sparsos oppugnabatur; postquam autem in legem abiisset, Epporum repraesentationem ad Regem provocavit. In ea Praesules quaestionem illam, an matrimonia sic, ut in decreto praescribitur, coram

civili Magistratu inita sint valida, sollicite declinando, et adversus provisionem, ut matrimonia acatholicorum coram seculari Iudicio cunctis effectibus civilibus matrimonii catholicorum gaudeant, nihil proferendo, contra dispositionem quoad parochos factam solenniter protestantur, hosve inconsulta Apostolica Sede, in celebratione similium matrimoniorum partem capere haud posse enunciant, et libertate apostolica declarant : nulli super terram potestati civili datum esse, ut animarum pastores ad id obligare valeat, quo ii acatholicis annuncient, matrimonium ipsorum vi solius civilis dispensationis initum, legitimum esse foedus coniugale. (*Mon.* 137.)

Post perturbationem sive revolutionem Gallicam, sub qua matrimonium, ut iam observavimus, despecta penitus religione et ecclesiastica auctoritate, ad nudam contractus humani rationem redactum extitit, pluries emerserunt quaestiones circa assistentiam ex parte Ecclesiae qualiter praestandam. Primam quaestionibus huiusmodi occasionem praebuit decretum Conventus Nationalis de parochis per se intrusis, ad omnes functiones deinceps peragendas a Conventu activisatis. Quaestionibus ad S. Sedem pro decisione relatis, emanavit a. 1791 uberior *Instructio S. Sedis* : iuxta quam fideles in Galliis admonendi erant, ut nonnisi coram legitimo suo parocho aut alio sacerdote de eius vel Ordinarii licentia ineant matrimonium, et nec coram parocho intruso illud contrahant, velut nullius roboris futurum, nec matrimonii coram legitimo parocho iam initi declarationem civili magistratui faciant, ne existimentur opinione publica esse heterodoxi. (*Mon.* 138.) Alteram occasionem subministravit decretum Conventus Nationalis de matrimoniis in posterum coram Municipalitate seu coram officiali ab illa delecto celebrandis. Dum de hoc decreto et pluribus quaestionibus inde resultantibus Eppus Lucionensis apud S. Sedem referret: edita est a. 1793 nova *Instructio* S. Sedis, secundum quam declaratum extitit : frustra moveri nunc quaestionem de publicatione decreti Tridentini in singulis Galliarum Ecclesiis, cum usus eius ininterruptus manifeste constet; porro fideles abstinere debere a contrahendo coram Municipalitate matrimonio, tamquam schismatica ob praestitum Conventus iuramentum; sed

contrahere debere coram testibus catholicis, priusquam se sistant Municipalitati; matrimonia sic contracta, licet absente parocho legitimo, qui haberi difficulter potest, valida fore; nil tamen impedire, quominus fideles, ut civilibus potiantur effectibus, praescriptam a Nationali Conventu edant declarationem, cum tunc non contrahant matrimonium, sed tantummodo actum mere civilem exerceant. (*Mon.* 139.)

B. *Monumenta.* **Mon. 123—132.**

Hetruriae Praesules de iure dispensandi in causis matrimonialibus suam Magno Duci depromunt sententiam in eo, quod ius istiusmodi Summo Pontifici sit reservatum. 1786.

123. *AEppus Florentinus.* — V. De dispensationibus generatim loquendo ego existimo: legum infractiones, si Eppi dispensandi potestatem sibi arrogent, adeo multiplicandas fore, ut ipsae leges quantocius sint annihilandae. De dispensationibus autem in causis matrimonialibus concedi solitis praecipue animadvertendum esse existimo id, quod a seniori quodam Praelato mihi suggestum fuit: nempe unicum tantum verbum de dispensandi facultate Eppis concessa per accidens pronunciatum dispensationum dandarum casus mirum in modum auxisse, nam nitimur in vetitum. Ex altera parte vero SS. Sedes multis in casibus hic annotatis amplissimam dispensandi facultatem concessit Eppis id petentibus; ipsa autem necessaria Epporum cum visibili Ecclesiae capite coniunctio et mutua relatio alium agendi modum hoc in capite haud svadendum esse monet. — VI. Dispensandi potestas in dirimentibus cognationis et agnationis impedimentis etc. Summo Pontifici in Conciliis Oecumenicis reservata fuit, et reservatio haec in particularibus Epporum Synodis simul agnita et approbata fuit. Ut hic alias Italiae Synodos silentio praeteream, sufficit allegare Conc. Turonense a. 1583 celebratum, quod Tit. IX. de Matr. ait: ,In quarto cons. et affin. necnon in prohibitis cognationis spiritualis gradibus Eppis dispen-

sare non licere declaramus.‘ Simile quid habetur in C. Tolosano a. 1590, in Lingonensi, et Trecensi apud Nat. Alex. Imo particularium harum Synodorum regulas etiam a Cleri Gallicani Conventu a. 1709 confirmatas fuisse me legisse memini. —

124. *Eppus Faesulanus.* — Si in impedimentis matrimonialibus quidquam immutaretur, matrimonia certissimo invaliditatis periculo exponerentur; haec enim impedimenta in C. Tridentino post longissimas discussiones solemnissime sunt statuta; et si Synodi Dioecesanae per inversum sane rerum ordinem Concilii Oecumenici statuta vellent destruere, illae iuxta antiquissimum loquendi modum in Ecclesia usitatum ‚conciliabula‘ nullo modo vero Concilia essent dicenda. Ego per multorum annorum experientiam edoctus Regiam Suam Celsitudinem certam reddere possum, tum pro civitatis felicitate, tum pro morum puritate utilissimum imo necessarium etiam esse, ut certae quaedam facultatum species non sint penes Eppos; populus enim Eppos his in facultatibus concedendis longe faciliores esse putat, quam Romanum Pontificem, et sola haec animi persvasio sufficit, ad millena absurda committenda, ad paradoxa quaedam malitiosissime excogitanda, atque ad omnem Dei timoris, religionisque sensum sensim sine sensu extingvendum. Quae in mea dioecesi facta sunt, postquam auctoritati eppali aliqua tantum iurium incrementa accesserant, certissimum hac de re testimonium perhibent. Tandem si personarum, et temporum circumstantiae quasdam pontificias reservationes vel canonicas dispositiones perniciosas reddidere, et si nimia dispensandi facilitas disciplinae eccles. nonnumquam vulnus inflixit, non erit adeo difficile, his malis per legitimam supplicandi viam vel per Concordata remedium ponere; per haec enim media omnes particulares Ecclesiae suis olim necessitatibus succurrere laborarunt, et hodie etiam Hispanica praecipue Ecclesia idem medium adhibuit, ita quidem, ut Regia Sua Celsitudo sine omni disciplinae eccl. perturbatione omnia a Summo Pontifice gratis obtinere possit, quaecunque rationabilia, et suorum subditorum felicitati, melioriqne illorum regimini proficua esse iudicaverit.

125. *Eppus S. Sepulchri.* — §. 6. Hodierna Ecclesiae disciplina docet, Summi Pontificis auctoritatem ad dispensationes in causis matrimonialibus obtinendas esse necessariam. Doctissimi quidem et in iure canonico maxime versati viri opinionem hanc ut falsam respuendam esse docent, vi cuius asseritur, Eppis in publicis ac dirimentibus matr. impedimentis dispensandi ius competere; praeterea Eppi omnes fere pro similibus dispensationibus obtinendis recursum ad Summum Pontificem sumendum esse admittunt: fatentur ergo, dispensationes eiusmodi ad Summi Pontificis potestatem pertinere, utpote cui ipsa etiam Generalia Concilia talem potestatem privative adiudicarunt. Nos hic non quaerimus, an Eppi his iuribus renunciare potuerint: certum enim est, illos saltem via facti eisdem renunciasse. Licet ergo sententiam amplectamur Epporum iuribus vel maxime favorabilem: numquam tamen licitum erit, horum, quibus renunciatum init, iurium partem sibi vendicare, nisi illius consensum prius obtineamus, in cuius favorem iura haec renunciata fuisse sciantur; quem tamen inter confratres primum, et Ecclesiae caput esse nemo negat. — Quisquis fatetur, auctoritatem sibi non competere, vel saltem huius auctoritatis usum sibi deesse, ut in matrimonii impedimentis independenter a S. Sede dispensare possit: ille multo minus impedimenta ab Oec. C. Tridentino agnita abrogare potest. Verissimum quidem est, iuxta eiusdem Concilii mentem Sess. 24. de ref. matr. c. 5. et 6. explicatam impedimenta huiusmodi haud esse multiplicanda; in iis vero, quae semel statuta sunt, vel numquam vel raro esse dispensandum, et hoc quidem ex gravissima tantum causa, maturo cum consilio, et gratis. Eppis ergo incumbit de hac causa cum S. Sede tractare, et remedium vel systema aliquod hoc in capite stabilire, Summi Principis consensu semper praevie obtento.

126. *AEppus Pisanus.* — VI. Licet nulli adsint canones clare statuentes, dispensationes matrimoniales ad Summum Pontificem privative pertinere, nota tamen omnibus est regula, si de canonibus ab Ecclesia universali in Conciliis Oecum. conditis est quaestio, vel de iis, qui in iuris canonici

decretalibus continentur, Eppos illis nec derogare, nec in eisdem dispensare posse; Epporum enim auctoritas praedictis canonibus longe est inferior. Ut ergo illis satisfieri possit, qui talia matrimonia inire sollicite postulant, quin in Synodis particularibus quidquam de illis statuatur, optimum factu esse videtur: ut Eppi a Summo Pontifice facultatem petant in tertio et quarto vel cons. vel affin. gradu dispensandi, prout etiam in impedimento criminis; haec enim impedimenta plerumque esse solent, in quibus frequens occurrit dispensandi necessitas vel occasio. Non minus antiquum est in Ecclesia cognationis spiritualis impedimentum, etenim ante saeculi IV finem iam de illo clarissima inveniuntur testimonia, quare Eppi nullam habent hoc impedimentum abolendi potestatem. —

127. *Eppus Rosetinus.* — VI. Cognationis et agnationis gradus a iure canonico et a Conciliis generalibus sunt determinati: quare nulli unquam Eppo licitum esse potest illos vel abolere, vel ad minorem numerum reducere; et in hac quidem regula ipsum etiam cognationis spiritualis et publicae honestatis impedimentum est comprehensum. Hoc itaque in casu a supremo auctoritatis eccles. oraculo consilium peti debet, cuius consensum omnes Eppi unanimi cum sensu implorare debent, ut debitam praedictis in impedimentis dispensandi facultatem obtineant.

128. *Eppus Massa-Veternensis.* — VI. Quod matrimonii impedimenta attinet, ad aliorum Epporum iudicium provoco: an nempe in tertio, cum quarto mixto, vel in quarto consangv. gradu dispensandum sit, vel an affinitas ad secundum tantum gradum restringi debeat, et an publicae honestatis impedimentum penitus sit abolendum. Summi Pontificis assensus tamen semper erit necessarius, ipsi enim hoc genus negotii a C. Tridentino est demandatum. Cognatio spiritualis eadem attentione digna est, quam ius civile pro cognatione legali habet: hoc autem impedimento sublato, quis scit, an non morum corruptioni ansa praeberetur? ab experientia enim notum est, patrinos saepius spiritualium suorum filiorum necessitati-

bus succurrere, illorumque educandorum curam in se suscipere. —

129. *Eppus Aretinus.* — VI. Matrimonii impedimenta a C. Tridentino iam sunt reformata. Epporum autem auctoritas tanta non est, ut Conciliorum Oecum. statutis derogare possint, hoc enim facientes teneris fidelium conscientiis cum gravi animarum detrimento laqueum iniicerent. Idem timendum est, si Eppi sibi dispensandi ius in matrimonii impedimentis arrogarent. Sancta enim Sedes Apost. non tantum in causa fidei unitatis centrum est et cardo, sed in rebus disciplinaribus etiam. Canonum enim observantia, et universalis in gravissimis eccl. disciplinae capitibus consensus non facile obtinebitur, nisi ad illam Sedem recurramus, apud quam exactissima praedictorum canonum observantia et disciplinae uniformitas residet. Experimentum quidem fieri posset, an non a Summo Pontifice obtineri possit facultas in tertio et quarto cons. et affin. gradu dispensandi. In secundo vero gradu numquam dispensandum esse iudico, nisi ex causa publica, ut praedictum C. Trid. ait.

130. *Eppus Critoniensis.* — VI. Synodis dioecesanis non competit nova quaedam impedimenta statuere vel antiqua abrogare, sed tantum regulas praescribere, ne tam frequens dispensationibus ansa praebeatur, utpote quae legibus canonicis, consequenter Ecclesiae spiritui maxime sunt adversae. Dispensationes usque ad quartum affin. vel cons. gradum iuxta hodiernam Ecclesiae disciplinam Sedi Apost. sunt reservatae. Si agebatur de personis pauperibus, quibus nonnumquam ad maiora mala vitanda dispensatio danda est, ut in gradibus prohibitis matr. contrahere possint, semper ad Summum Pontificem immediate me converti, qui mihi dispensandi facultatem sine ullo contrahentium dispendio semper concessit. Si tamen agatur de personis nobilibus, et familiis ditioribus, pro quibus dispensationes per Brevia Apostolica expediri soleut, res longe aliter se habet; his enim in casibus maiores vel minores requiruntur sumtus faciendi pro remotioris vel propinquioris gradus ratione, in quo contrahentes sibi

sunt cognati. De hoc itaque articulo nihil aliud statuendum esse censeo, quam quod in C. Trid. Sess. 24. de ref. c. 5. statutum fuit, ubi dicitur : ,in matr. contrahendis nulla unquam detur dispensatio in imped. dirimentibus, vel saltem raro concedatur ex iustis, rationabilibusque causis, et gratis. Quod autem ad secundum cognationis gradum attinet, non concedatur nisi in summorum Principum favorem, et ex causa publica.' —

131. *Eppus Montis Politiani.* — VI. Nullus Eppus facultatem habere, nullaque particularis Synodus Eppis facultatem dare potest in matr. impedimentis dispensandi, nisi paucissimis in casibus per leges canonicas determinatis. Si enim Eppi aliquam sibi arrogarent auctoritatem in contractibus matr. exercendam, contractus isti hoc ipso fierent invalidi, et contrahentes in tali matrimonio viventes veri essent concubinarii. Impedimenta dirimentia ab universa Ecclesia Cath. sunt statuta; totius Ecclesiae potestas autem a nemine in dubium revocari potest : qui enim hoc post can. IV. Sessionis 24. C. Trid. attentaret, haereticus esset et temerarius. Unde sequitur, nec dioecesanis nec provincialibus Synodis facultatem competere, impedimentum aliquod abrogandi, quod ab universo Ecclesiae corpore una cum suo Capite unito statutum, et ab universa Ecclesia semper pro tali habitum esse dignoscitur.

132. *Eppus Volaterranus.* — VI. Quia Eppus licet cum suo Clero unitus Ecclesiae universalis et Conciliorum Oecum. canonibus est inferior, matrimonii impedimenta his in canonibus statuta, et ad ius positivum spectantia ab Eppis immutari vel reformari nequeunt. — Multo minus Synodus dioecesana decretum condere potest circa impedimentum erroris, utpote quod ex iure naturae descendit; — Synodi dioecesanae nihil statuere possunt, quod antiquis Ecclesiae vel Conciliorum Gen. canonibus esset adversum, hi enim canones Synodorum dioecesanarum auctoritate longe sunt superiores, unde Synodi praedictae nihil statuere possunt de dispensationibus in matr. impedimentis dandis, in quibus alias Sum-

mus Pontifex tantum dispensare solet. — *Responsa Hetruriae Epporum ad proposita a M. Duce puncta eccles.* Bambergae et Herbipoli. 1794. (Tom. V. Actorum Congreg.)

Mon. 133.

Pius VI damnat Synodi Pistoriensis acta et conclusa velut genuinae doctrinae de Potestate Ecclesiastica intra suam sphaeram a Civili Imperio independente, aliisque catholicis principiis contraria. A. 1794.

Auctorem fidei et consummatorem Iesum aspicientes nos iubet Apostolus sedulo recogitare, qualem, quantamque ille sustinuit a peccatoribus adversum semetipsum contradictionem, ut ne laboribus et periculis defatigati deficiamus aliquando animis nostris, peneque concidamus. Hac saluberrima cogitatione muniri nos ac refici tum maxime necessum est, cum adversus Corpus ipsumınet Christi, quod est *Ecclesia*, dirae istius nec unquam desiturae coniurationis aestus acrius exardescit: ut a Domino confortati, et in potentia virtutis eius scuto fidei protecti resistere possimus in die malo, et omnia tela iniquissimi ignea extingvere. In hoc sane motu temporum, in hac rerum perturbatissima conversione gravis est quidem bonis omnibus contra omnes cuiusque generis Christiani nominis hostes colluctatio subeunda: gravior Nobis, quibus pro credita pastorali nostrae sollicitudini gregis totius cura et moderatione maior cunctis Christianae Religionis zelus incumbit. Verum in hac ipsa oneris gravitate, quae humeris nostris imposita est, portandi onera omnium, qui gravantur, quo magis conscii Nobis sumus infirmitatis nostrae, eo firmiorem in spem erigit Nos et sublevat Apostolici huiusce muneris in persona B. Petri divinitus instituta ratio, ut qui semel tradita sibi a Christo Ecclesiae gubernacula numquam derelicturus erat, ipse Apostolicae gubernationis onera in illis portare non desineret, quos ei Deus protegendos perpetua successione ac tuendos haeredes dedisset. Et in hisce quidem aerumnis, quae undique circumstant, ad ceterarum molestiarum velut cumulum accessit, ut unde oportuerat Nos

gaudere, maiorem inde tristitiam hauriremus. Quippe „cum aliquis sacrosanctae Ecclesiae Dei praepositus sub sacerdotis nomine ipsum Christi populum a tramite veritatis in praeceps deviae persuasionis avertit, et hoc in amplissima urbe, tum plane est geminanda lamentatio, et maior sollicitudo adhibenda.“ (Coelest. I. Ep. 12.)

Fuit sane non in ultimis terris, verum in media luce Italiae, sub oculis Urbis et prope Apostolorum limina, fuit Episcopus duplicis Sedis honore insignis — *Scipio de Ricciis, antea Eppus Pistoriensis et Pratensis* — quem ad Nos pro pastorali munere suscipiendo accedentem paterna caritate complexi sumus; qui vicissim Nobis atque huic Apostolicae Sedi in ipso Sacrae suae Ordinationis ritu debitam fidem et obedientiam solemnis iurisiurandi religione obstrinxit. Atque is ipse non longo intervallo, posteaquam a complexu nostro cum osculo pacis dimissus ad commissas sibi plebes accessit, coacervatorum perversae sapientiae Magistrorum fraudibus circumventus eo coepit intendere, ut quam superiores Antistites ex ecclesiastica regula laudabilem et pacatam Christianae institutionis formam iam pridem invexerant, ac pene defixerant, non ille pro eo, ac debebat, tueretur, coleret, perficeret, sed contra per speciem fictae reformationis importunis inducendis novitatibus perturbaret, convelleret, funditus everteret. Quin etiam cum et hortatu nostro ad Synodum Dioecesanam animum adiunxisset, praefracta eius in suo sensu pertinacia effectum est, ut unde remedium aliquod vulnerum petendum erat, inde gravior pernicies enasceretur. Sane postquam Synodus haec Pistoriensis e latebris erupit, in quibus aliquamdiu abdita delituit, nemo fuit de summa religione pie sapienterque sentiens, qui non continuo adverterit, hoc fuisse Auctorum consilium, ut quae antea per multiplices libellos pravarum doctrinarum semina sparserant, ea in unum velut corpus compingerent, proscriptos dudum errores exsuscitarent, Apostolicis, quibus proscripti sunt, Decretis fidem auctoritatemque derogarent.

Quae cum cerneremus, quo graviora sunt per sese, tanto impensius pastoralis nostrae sollicitudinis opem efflagitare, mentem convertere non distulimus ad ea capienda consilia,

quae surgenti malo vel sanando, vel comprimendo accomodatiora viderentur. Atque inprimis sapientis moniti memores praedecessoris nostri B. Zosimi „ea, quae magna sunt, magnum pondus examinis desiderare,“ Synodum ab Episcopo editam primum quatuor Episcopis, aliisque adiunctis e Clero seculari Theologis examinandam commisimus; tum et plurium S. R. E. Cardinalium, aliorumque Episcoporum Congregationem deputavimus, qui totam Actorum seriem diligenter perpenderent, loca inter se dissita conferrent, excerptas sententias discuterent, quorum suffragia coram Nobis voce et scripto edita excepimus: qui et Synodum universe reprobandam, et plurimas inde collectas propositiones, alias quidem per sese, alias attenta sententiarum connexione plus minusve acribus censuris perstringendas censuerunt. Quorum auditis perpensisque animadversionibus illud quoque Nobis curae fuit, ut selecta ex tota Synodo praecipua quaedam pravarum doctrinarum capita, ad quae potissimum fusae per Synodum reprobandae sententiae directe vel indirecte referuntur, in certum deinceps ordinem redigerentur, eisdemque sua cuique peculiaris censura subiiceretur.

Ne vero ex hac ipsa tametsi accuratissime peracta sive locorum collatione, sive sententiarum disquisitione pervicaces homines obtrectandi occasionem arriperent, ut huic forte iam paratae calumniae obviam iretur, sapienti consilio uti statuimus, quod in emergentibus huiusmodi periculosis noxiisve novitatibus reprimendis plures nostri sanctissimi Praedecessores, tum et gravissimi Antistites ac Generales etiam Synodi rite cauteque adhibitum illustribus exemplis testatum commendatumque reliquissent. Norant illi versutam Novatorum fallendi artem, qui catholicarum aurium offensionem veriti, captionum suarum laqueos persaepe student subdolis verborum involucris obtegere, ut inter discrimina sensuum latens error lenius influat in animos, fiatque, ut corrupta per brevissimam adiectionem aut commutationem veritate sententiae, confessio*, quae salutem operabatur, subtili quodam transitu vergat in mortem. Atque haec quidem involuta, fallax disserendi ratio cum in omni orationis genere vitiosa est, tum in Synodo minime ferenda, cuius est haec laus

praecipua, eam in docendo dilucidam consectari dicendi rationem, quae nullum offensionis periculum relinquat. Quo in genere proinde si quid peccatum sit, hac nequeat, quae afferri solet, subdola excusatione defendi, quod quae alicubi durius dicta exciderint, ea locis aliis planius explicata aut etiam correcta reperiantur, quasi procax isthaec affirmandi et negandi, ac secum pro libito pugnandi licentia, quae fraudulenta semper fuit Novatorum astutia ad circumventionem erroris, non potius ad prodendum, quam ad excusandum errorem valeret; aut quasi rudibus praesertim, qui in hanc vel illam forte inciderint partem Synodi vulgari lingva omnibus expositae, praesto semper essent alia, quae inspicienda forent, dispersa loca, aut his etiam inspectis, satis cuique facultatis suppeteret ad ea sic per sese componenda, ut, quemadmodum perperam isti effutiunt, erroris omne periculum effugere valerent. Exitiosissimum profecto insinuandi erroris artificium, quod in Constantinopolitani Autistitis Nestorii literis iam olim sapienter detectum gravissima reprehensione Praedecessor noster Coelestinus coarguit; quibus nempe in literis vestigatus Veterator ille deprehensus et tentus, suo se multiloquio labefaciens, dum vera involvens obscuris, rursus utraque confundens vel confiteretur negata, vel niteretur negare confessa. Ad quas depellendas insidias nimium saepe omni aetate renovatas non alia potior via inita est, quam ut iis exponendis sententiis, quae sub latibulo ambiguitatis periculosam suspiciosamque involvunt discrepantiam sensuum, perversa significatio notaretur, cui subesset error, quem Catholica sententia reprobaret. Quam et Nos moderationis plenam rationem eo libentius amplexi sumus, quo magis ad reconciliandos animos et ad unitatem spiritus in vinculo pacis adducendos — quod favente Deo in pluribus gaudemus iam feliciter evenisse — magno fore adiumento prospeximus, providere primum, ne pertinacibus, si qui supererunt, quod Deus avertat, Synodi sectatoribus integrum sit posthac ad novas turbas ciendas iustae suae damnationis, consortes veluti ac socias sibi adsciscere scholas Catholicas, quas invitas plane ac repugnantes per detortam quamdam affinium vocabulorum similitudinem in expressa, quam illae

testantur, sententiarum dissimilitudine in partes suas pertrahere nituntur. Deinde si quos imprudentes aliqua fefellit adhuc praeconcepta mitior opinio de Synodo, his etiam omnis conquerendi locus praecludatur, qui si recte sapiunt, ut videri volunt, aegre ferre nequeant doctrinas damnari sic denotatas, quae errores praeseferant, a quibus ipsi profitentur se longissime abesse.

Necdum tam satis ex animo lenitati nostrae factum putavimus, seu verius caritati, quae urget Nos erga fratrem nostrum, cui omni ope volumus, si adhuc possumus, subvenire. Caritas nempe illa urget Nos, qua inductus Praedecessor noster Coelestinus etiam contra fas, seu maiori, quam fas esse videretur, patientia sacerdotes corrigendos exspectare non abnuebat. Magis enim cum Augustino, Milevitanisque Patribus volumus et optamus homines prava docentes pastorali cura in Ecclesia sanari, quam desperata salute ex illa resecari, si necessitas nulla compellat. Quam ad rem, ne quod genus officii ad lucrandum fratrem praetermissum videretur, praefatum Episcopum, antequam ad ulteriora progrederemur, amantissimis literis ad eum iussu nostro datis ad Nos acciendum duximus, polliciti fore, ut benevolo animo a nobis exciperetur, nec vetaretur, quin quae in rem suam facere sibi viderentur, libere aperteque expromeret. Nec vero spes Nos omnis deseruerat fieri posse, ut siquidem animum illum docibilem afferret, quem ex Apostoli sententia in Episcopo maxime Augustinus requirebat, cum simpliciter et candide, omni remota concertatione et acerbitate, recognoscenda ei proponerentur praecipua doctrinarum capita, quae visa essent maiori animadversione digna, tum facile sese ipse colligens non dubitaret, quae ambigue posita essent, in saniorem sensum exponere, quaeve manifestam pravitatem praeseferrent, aperte repudiare: atque ita magna cum sui nominis existimatione tum laetissima bonorum omnium gratulatione, pacatissima qua fieri posset ratione orti in Ecclesia strepitus optatissima correctione comprimerentur.

Nunc vero cum ille oblato beneficio incommodae valetudinis nomine, minus utendum sibi esse censuerit, differre iam non possumus, quin Apostolico nostro muneri satisfacia-

mus. Non unius tantummodo alteriusve Dioecesis periculum agitur, „universalis Ecclesia quacunque novitate pulsatur.“ (Coelestin. Ep. 21. ad Epp. Gall.) Undique iam pridem non expectatur modo, verum assiduis repetitis precibus efflagitatur supremae Apostolicae Sedis iudicium. Absit, ut vox Petri in illa Sede sua unquam conticescat, in qua perpetuo vivens ille ac praesidens praestat quaerentibus fidei veritatem. Tuta non est in talibus longior conniventia, quia tantumdem pene criminis est connivere in talibus, quanti est tam irreligiosa praedicare. Abscindendum igitur tale vulnus, quo non unum membrum laeditur, sed totum corpus Ecclesiae sauciatur. Atque Divina opitulante pietate providendum, ut amputatis dissensionibus fides Catholica inviolata servetur, et his, qui prava defendunt, ab errore revocatis, nostra auctoritate quorum fides probata fuerit muniantur. Implorato itaque cum assiduis nostris, tum et piorum Christi fidelium privatis publicisque precibus Spiritus S. lumine, omnibus plene et mature consideratis, complures ex actis et decretis memoratae Synodi propositiones, doctrinas, sententias sive expresse traditas, sive per ambiguitatem insinuatas suis, ut praefatum est, cuique appositis notis et censuris damnandas et reprobandas censuimus, prout hac nostra perpetuo valitura Constitutione damnamus et reprobamus. Sunt autem quae sequuntur. —

— *De Sponsalibus et Matrimonio.* Propositio, quae statuit, sponsalia proprie dicta actum mere civilem continere, qui ad matrimonium celebrandum disponit, eademque civilium legum praescripto omnino subiacere: quasi actus disponens ad Sacramentum non subiaceat sub hac ratione iuri Ecclesiae, *falsa, iuris Ecclesiae quoad effectus etiam e sponsalibus vi canonicarum sanctionum profluentes laesiva, disciplinae ab Ecclesia constitutae derogans.* — Doctrina Synodi asserens, „ad supremam civilem potestatem duntaxat originarie spectare contractui Matrimonii apponere impedimenta eius generis, quae ipsum nullum reddunt, dicunturque dirimentia, quod ius originarium praeterea dicitur cum iure dispensandi essentialiter connexum, (subiungens), supposito assensu vel conniventia Principum potuisse Ecclesiam iuste constituere

impedimenta dirimentia ipsum contractum matrimonii," quasi Ecclesia non semper potuerit ac possit in christianorum matrimoniis iure proprio impedimenta constituere, quae matrimonium non solum impediant, sed et nullum reddant quoad vinculum, quibus Christiani obstricti teneantur etiam in terris infidelium, in eisdemque dispensare, *canonum 3. 4. 9. 12. Sess. 24. C. Trid. eversiva, haeretica.* — Item rogatio Synodi ad Potestatem Civilem: „ut e numero impedimentorum tollat cognationem spiritualem, atque illud quod dicitur publicae honestatis, quorum origo reperitur in collectione Iustiniani, tum ut restringat impedimentum affinitatis et cognationis ex quacunque licita aut illicita coniunctione provenientis ad quartum gradum iuxta civilem computationem per lineam lateralem et obliquam, ita tamen ut spes nulla relinquatur dispensationis obtinendae;" quatenus Civili potestati ius attribuit sive abolendi, sive restringendi impedimenta Ecclesiae auctoritate constituta vel comprobata, item qua parte supponit, Ecclesiam per potestatem civilem spoliari posse iure su › dispensandi super impedimentis ab ipsa constitutis vel comprobatis, *libertatis ac potestatis Ecclesiae subversiva, Tridentino contraria, ex haereticali supra damnato principio profecta.* — Romae, a. 1794, V Cal. Sept. — *Ex Bullario Pii VI.*

Mon. 134.

Decretum Curiae AEppalis Neapolitanae super sententia de matrimonio a. 1784 lata, et per forum Regium delegatum a. 1788 confirmata. 1788.

Antonius Bucci, Eppus, Vicarius etc. Universis has nostras praesentes literas visuris, inspecturis, lecturis, sive legi audituris fidem facimus atque testamur: qualiter sub *die 16 Oct. 1774.* in paroecia S. Mariae de Advocata huius Civitatis Neapolitanae *contractum fuit matrimonium inter illustrem virum D. Dominicum Martium Carafa Ducem Magdaloni, et illustrem D. Mariam Iosepham de Cardenas ex Comiti-*

bus Acerrarum; introductaque deinde causa in hac Curia AEppali Neap. super nullitate eiusdem matrimonii, servatis servandis, prodiit tandem *sententia, qua dictum fuit : constare de absoluta et perpetua impotentia dicti ill. Ducis ad matrimonium consummandum, ac proinde matr. inter ipsum et praedictam ill. Dominam fuisse et esse nullum propter antecedentem praefati ill. Ducis impotentiam perpetuam et absolutam.* Per *appellationem* autem interpositam, *die 7. Iul. 1788 fuit pronunciatum : bene fuisse iudicatum per AEppalem Curiam, ac male appellatum pro parte ill. Ducis* et defensoris validitatis matr. in vim Constit. Ben. XIV ,Dei miseratione', proindeque coustare etc. (ut supra) per consequens exequendam esse sententiam per AEppalem Curiam Neap. latam sub die 4. Dec. 1784. *Quae sententia die 9. Aug. 1788 per Suam Regiam Maiestatem probari meruit, veluti fundata tum in facto, tum in iure, atque in huius regiae probationis sequelam die 11 Aug. decretum prodiit per eundem Iudicem appellationis a praelaudata Sua Regia Maiestate specialiter deputatum, quod pro executione Regalis Rescripti praedicta sententia diei 7 Iul. publicaretur;* et successive die 27 Aug. eiusdem anni latum fuit aliud decretum, quod eadem sententia assumserit iam rei iudicatae auctoritatem; ac proinde volitum, ut rescriberetur huic Curiae, quatenus suam sententiam executioni demandaret, et pro eius effectu transmitterentur, prout transmissa fuerunt, acta causae. In executionem igitur praedictorum decretorum mandatum fuit ab hac AEppali Curia, ut in libro parochiali matr. praefatae paroeciae adnotarentur omnes sententiae et decreta in eadem causa edita, atque simul in eodem libro insererentur, prout adnotata ac simul respective inserta fuerunt eodem loco, quo antecedenter scriptum fuerat, praedictum matrimonium nulliter contractum; et quoniam speciali huius Curiae decreto mandatum fuit, ut omnium harum rerum fides traderetur, idcirco hoc veritatis testimonium censuimus hisce literis consignare, declarantes : *in vim sententiae huius AEppalis Curiae, confirmatae in gradu appellationis, atque probatae per Suam Regiam Maiestatem, quae postmodum in rem iudicatam pertransiit, praefatam ill. Dominam Mariam Iosepham liberam esse et solutam a vinculo dicti matrimonii,*

atque posse, prout libuerit, ad alia vota transire, dummodo non obstet aliud canonicum impedimentum. In quorum fidem etc. Datum ex Curia AEppali Neapolitana die 6 Sept. 1788.

Mon. 135.

Breve Pii VI PP. ad Mariam Iosepham de Cardenas de nullitate praeviae sententiae. 1788.

Sententia, quam Eppus Motulensis protulit uti Regius Delegatus super nullitate tui matrimonii, est ex defectu competentis iurisdictionis irrita, inanis, et scandali plena; quemadmodum nos nostris literis in forma Brevis ad eundem Eppum quamprimum dandis copiose demonstrabimus. Hinc ut ipsa ex omni errore ac deceptione retraharis, utque ex falsa bonae fidei opinione decedas, operae pretium esse duximus, te de huius sententiae nullitate admonere: quae cum perinde habenda sit, ac si lata non fuisset, *prohiberis ad alia vota transire, donec sententia Curiae AEppalis Neapolitanae a sententia non confirmetur alterius Iudicis superioris, qui alius nec est, nec potest esse in hac causa, quam Romanus Pontifex, aut Iudex ab eo delegatus;* secus enim irritum foret novum matrimonium, adulterinum contubernium, illegitima proles, tuque in poenas incideres contra polygamos a sacris canonibus inflictas, et a Benedicto XIV nostro praedecessore instauratas in notissima 'Constitutione, quae incipit ,Dei miseratione', quaeque, qua late patet catholicus orbis, sancte et religiose servatur. Illud etiam te monitam volumus, quod si ullam fortasse partem habuisti in instauratione et progressu huius iudicii coram Eppo Motulensi, sique ullam partem in eiusdem irritae sententiae executione esses habitura, iam in poenas canonicas incidisses, aut in easdem incurreres; illae enim non ad Iudices modo pertinent, qui laica freti auctoritate iudicium ferre audent in causis mere spiritualibus, sed eos etiam comprehendunt, atque constringunt, qui assensum, favorem, auxilium praebent, quique quocunque tandem modo participes fiunt. Teste enim Paulo Ap. Rom. 1, 32. non solum

qui faciunt, sed qui consentiunt facientibus, digni sunt morte. Speramus equidem fore, ut ipsa filiali amore et obsequio nostris respondeas paternis curis, nostraeque, qua te prosequimur, dilectioni, in cuius interim testimonium ac pignus apostolicam tibi benedictionem impertimur. Datum Romae die 12 Sept. 1788. — *Mainzer Monatschrift von geistlichen Sachen.* 1788. p. 931. — 1789. p. 98.

Mon. 136.

Pii VI litera ad Episc. Motulensem, in causa matrimoniali e delegatione Regis Siciliae iudicantem et sententiam ferentem: in qua Pontifex adversus delegationem huiusmodi gravius invehitur, ostenditque, ad doctrinam Ecclesiae pertinere: in re matrimoniali vinculum ipsum attinente solam Ecclesiam potestate propria iudicare posse. A. 1788.

Pius VI. Deessemus Nos equidem nostro, quo fungimur in Ecclesia Dei, apostolico muneri, si hoc tempore tacendum nobis esse duceremus, cum non sine animi nostri admiratione quamdam sententiam legimus, quam tu, tamquam delegatus regiis literis ex die 10. Maii praeteriti, pronunciasti non. Iulii in gradu appellationis, quamque ab rege delegante die 9. Aug. approbatam biduo post typis edidisti, atque evulgasti in causa nullitatis matrimonii, quae agitur inter Dominicum Martium Carafa Ducem Magdaloni, ac defensorem validitatis matrimonii ex parte una, et Mariam Iosepham de Cardenas ex parte altera; in qua quidem sententia tu audito suffragio consultorum ad eandem causam regiis literis ex die 10. Maii delegatorum declarare ac definire non dubitasti nullum fuisse et esse matrimonium a nominatis coniugibus contractum die 16. Octob. 1774 et per consequens exequendam esse sententiam per AEppalem Curiam Neapolitanam latam die 4. Dec. 1784. Accipe nunc, Ven. Frater, paternam illius vocem, qui, ut probe nosti, cum miseratione divina in Cathedra Petri sedeat, ius habet suprema Christi

ipsius auctoritate sibi collatum docendi et confirmandi; ita enim comparati animo sumus, ut et amanter tecum agere, teque benigne commonefacere velimus, quo errorem inspicias, in quem es misere prolapsus, atque illum quamprimum corrigere in animum inducas. Tua itaque isthaec sententia hoc nomine indigna prorsus est, utpote quae multis de causis irrita est, atque inanis, et actum praesefert scandali plenum, ecclesiasticae iurisdictioni iniuriosum; et a nemine forsan antehac tentatum unquam aut excogitatum.

Dogma etenim fidei est: ut matrimonium, quod ante adventum Christi nihil aliud erat nisi indissolubilis quidam contractus, illud post Christi adventum evaserit unum ex septem Legis Evangelicae Sacramentis a Christo Domino institutum, quemadmodum adversus haereticos et impios homines seculi insanientes S. Concilium Tridentinum sub anathematis poena definivit. Hinc fit, ut ad solam Ecclesiam, cui tota de Sacramentis est cura concredita, ius omne ac potestas pertineat suam assignandi formam huic contractui ad sublimiorem Sacramenti dignitatem evecto, ac proinde de matrimoniorum validitate, aut invaliditate iudicium ferre; quod tam planum est atque perspicuum, ut Sancta et Universalis Synodus cupiens occurrere temeritati eorum, qui scripto et verbo asseruerunt, ut etiam nunc multi asserunt, ab Ecclesiae Catholicae sensu et ab Apostolorum temporibus probata consuetudine aliena, peculiarem alium canonem addendum sibi esse duxit, quo universim declararet, atque sanciret, ut si quis dixerit, causas matrimoniales non spectare ad iudices ecclesiasticos, anathema sit. Ignotum nobis non est, quosdam adesse, qui secularium principum auctoritati plus nimio tribuentes, et verba huius Canonis captiose interpretantes, illud defendendum susceperunt: ut quoniam Tridentini Patres hac dicendi formula usi non fuerint: ad *solos* indices ecclesiasticos, aut *omnes* causas matrimoniales — potestatem reliquerint iudicibus laicis cognoscendi saltem causas matrimoniales, quae sunt *meri facti*. Sed scimus etiam hanc captiunculam, et fallax hoc cavillandi genus omni fundamento destitui. Verba enim canonis ita generalia sunt, omnes ut causas comprehendant, et complectantur. Spiritus vero sive

ratio legis adeo late patet, ut nullum exceptioni, aut limitationi locum relinquat: si enim hae causae non alia ratione pertinent ad unum Ecclesiae iudicium, nisi quia contractus matrimonialis est vere et proprie unum ex septem legis evangelicae Sacramentis: sicut haec Sacramenti ratio communis est omnibus causis matrimonialibus, ita omnes hae causae spectare unice debent ad iudices ecclesiasticos, cum eadem sit ratio in omnibus, ut concors est Canonistarum sententia, ne iis quidem exceptis, quos minime favere Ecclesiae iuribus satis superque eorum scripta demonstrant. Etenim ut verbis utamur *Van Espenii*, (Ius Eccl. part. 3. tit. 2. cap. 1. num. 4. 11. 12.) unanimi consensu receptum est, causas Sacramentorum esse „mere ecclesiasticas, easque quantum ad substantiam eorum, ad iudicem eccles. privative spectare, nihilque circa eorum validitatem vel invaliditatem iudicem secularem posse decernere, eo quod hac ex natura sua sunt mere spirituales. Et sane si quaestio vertatur de validitate ipsius matrimonii, solus iudex ecclesiast. est competens, ipseque solus de hac quaestione cognoscere potest.“ Ad quaestiones autem meri facti quod spectat, animadvertendum est, Regium ipsum Consilium Neapolitanum in decis. 219. apud *Matthaeum de Afflictis* respondisse: unicum esse casum, in quo iudex laicus possit de quaestionibus politicis, et mere temporalibus, quae connexionem habeant cum matrimonio, iudicium ferre, cum quaeritur nempe: an sit matrimonium contractum? Etenim si dubitaretur (ut pergit decisio) an ibi sit aliquod impedimentum, vel an sit validum matrimonium, vel aliter dubitetur in iure an sit matrimonium, tunc nec incidenter nec principaliter iudex laicus potest cognoscere. Nec dissimili ratione loquuntur alii Neapolitani Scriptores, quos inter peculiarem locum obtinet Episcopus Gagliardi, interpres canonum in regia Neapolis Universitate. Inst. Iur. Can. tom. 3. lib. 3. tit. 7. n. 1.

Iam vero in causa, de qua agitur, numquam in disceptationem venit materialis, ut ita dicamus, existentia vel inexistentia matrimonii. Nulla enim ex parte orta est unquam facti dubitatio, cum plane constiterit, collitigantes iuxta ritum Ecclesiae matrimonii contractum iniisse die 16. Octobr.

1774. tota itaque controversia agitata primum in Curia AEppali, et deinde coram te, in hoc unice versata est: an in eo matrimonio fuerit aliquod impedimentum, vel an idem matrimoninm fuerit validum, cum quaestio omnis spectaverit viri potentiam aut impotentiam, ad hoc, ut sive de validitate, sive de invaliditate matrimonii constaret. Et re quidem vera non alio modo incoepta est et absoluta causa huiusmodi coram Curia AEppali, quam tamquam causa nullitatis matrimonii; nihil aliud commissum tibi a rege fuit, quam ut super causa nullitatis matrimonii pronunciares; non aliud denique tua sententia definivit ac declaravit, nisi fuisse et esse nullum matrimonium, ita ut ubi rex tuam sententiam probavit, non aliud probaverit, nisi sententiam editam in causa de nullitate matrimonii, quod iuxta omnes leges et iuxta responsionem ipsius regii Neapolitani consilii ad solam spectat auctoritatem Ecclesiae. Hinc admirari satis non possumus, quod eadem meri facti cavillatione detorqueatur Concordatum anni 1741. ac si sub illis verbis „spetteranno alli soli giudici ecclesiastici privativamente le cause ecclesiastiche sopra la validita, o invalidita, si del matrimonio, comme del sponsali" causa haec minime comprehendatur, eo quod quaeratur de existentia, seu de mero facto, scilicet de potentia vel impotentia Ducis Magdaloni; vidimus enim modo, iudicium meri facti laicis permissum coërceri ad unicum casum, in quo quaestio sit, an matrimonium fuerit contractum. Atque illud etiam vidimus, in hoc indicio numquam in disceptationem venisse materialem existentiam aut inexistentiam matrimonii, sed unam tantummodo ipsius validitatem. Quae quidem etsi talis sit, ut dependeat a facto potentiae aut impotentiae alterius coniugis, ex hoc tamen facto unum proficiscitur, ac profluit ex canonicis impedimentis dirimentibus, quod influit in invaliditatem ipsam matrimonii, ita, ut si literam ipsam Concordati spectemus, nequeat haec controversia cognosci, ac definiri ab alio, quam a solis iudicibus ecclesiasticis.

Haec autem doctrina, quae consentanea est iuri communi, et dogmaticae Tridentinae sanctioni, ipsis etiam laicis tribunalibus regni Neapolitani probata est, quae scimus tam ante quam post Concordatum sese ab huiusmodi causis diiudi-

candis abstinuisse, easque ad iudices ecclesiasticos remisisse; tametsi ibidem non ageretur de foedere matrimonii inter ipsosmet coniuges, veluti in hac causa agebatur, sed de validitate res esset matrimonii ad effectum successionis et legitimitatis prolis, quae ad dictam successionem inhiabat, ut aliis missis exemplis videre est in decisione, cui titulus: Cajetana matrimonii edita die 12. Iunii 1690 coram Caprara. Orta enim tunc quaestione super validitate matrimonii Marchionis Camilli de Petio et Theresiae Parascandolae ad hoc, ut constaret de legitimitate Lucae Antonii ex illo matrimonio suscepti, Regium Consilium, coram quo coeptum est iudicium de successione intestatae haereditatis Marchionis, remisit ad tribunal ecclesiasticum causam nullitatis, seu inexistentiae matrimonii iuxta antiquam consuetudinem regni, cuius est testis locupletissimus *Regens a Ponte* de potest. Proreg. in Rubr. tit. 6. n. 50. quaeque nostris etiam viget temporibus, ut indubiam fidem facit Episc. Gagliardi regius Canonista loc. cit. Porro auctoritas Ecclesiae in hisce causis est talis ac tanta, ut non aliter possit super iis ferri sententia, quam eo ipso servato iudiciorum ordine, qui ab Ecclesia fuit praefinitus, habita nimirum ratione ecclesiasticae hierarchiae, divina, non humana ordinatione institutae, et iuxta eas leges, quae praescriptae sunt ab eadem Ecclesia; ita, ut quoties principes seculi leges condiderunt, quae has causas spectarent, hoc ipsum praestiterint uti meri executores et defensores legum ecclesiasticarum, sacras per omnia sequentes regulas, declarando, nolle se suis sanctionibus complecti ac comprehendere id, quod respicit rationem Sacramenti seu substantiam contractus, qui materia Sacramenti proxima est, seu effectus ecclesiasticos, ut Ludovici XIII. Galliarum regis nomine respondisse Clero Gallicano Commissarios ab eius Maiestate deputatos, refert Natalis ab Alexandro Theol. dogm. tract. de Sacr. Matr. lib. 2. cap. 2. art. 3. prop. 1.

Iam vero hisce explicatis, si tu, Ven. Frater, in causa nullitatis matrimonii delegatus in iudicem appellationis a laica potestate, non modo delegationi huiusmodi non obstitisti, quemadmodum laici ipsi magistratus saepe alias praestiterunt, sed eam ultro libenterque suscepisti, si rursus uti regius

delegatus sententiam tulisti, si denique eo etiam es progressus, ut declarares, leges Ecclesiae et Pontificum Romanorum vim habituras fuisse nullam, nisi postquam is codex (Gregorianus scilicet) in universas Catholici orbis provincias pervagatus fuerit, civilis auctoritas adiuncta est, tacita tantum consensione summarum potestatum, quarum erat leges de nuptiis dicere: iam manifeste patet vulnus abs te auctoritati Ecclesiae inflictum, et nullitas actorum adeo clara est, ut incurrat in oculos. Indubitati namque iuris est, delegatum iudicem habere auctoritatem non posse delegantis auctoritate maiorem; quemadmodum vero inanis atque irrita fuisset sententia, quam laicus iudex delegans pronunciasset, utpote qui omni caret spirituali iurisdictione, ita aeque irrita et inanis sit oportet sententia quoque iudicis delegati, cum nemo transferre in alium possit maiorem, quam ipse habeat, potestatem. Neque haec minus vera sunt quoad te, eo quod ecclesiastica dignitate praefulgeas: ea enim auget potius, non minuit culpam, et efficere nullo modo potest, ut actus per te gesti non sint inanes atque irriti; in iudiciis enim non dignitas spectatur iudicis delegati, sed fons et origo, a qua manat iurisdictio, ita ut cum ipse ad iudicandum accesseris tamquam delegatus a rege, perinde res sit, ac si tua sententia non a te, sed a seculari potestate profluxerit. Quinimo ex tua ista ecclesiastica dignitate, si recte res perpendatur, novum caput eruitur nullitatis, novumque proficiscitur iniuriae genus, quam intulisti non iurisdictioni modo Neapolitani AEppi, iudicis primae instantiae, sed iuribus etiam S. Sedis. Causae enim matrimoniales spectant quidem ad iudices ecclesiasticos, sed ad iudices ecclesiasticos competentes, iuxta institutum ss. canonum proprio eccles. hierarchiae ordini accomodatum. Porro si tu gradu maior extitisses AEppo Neapolitano, ita ut illius Sedes iuxta eccles. constitutionem tuae Sedi subesset, tunc regia, de qua loquimur, delegatio directa in ecclesiasticum virum, iudicem per se idoneum et competentem, in eam partem explicari, atque accipi facile potuisset, ut ordini ab Ecclesia praestituto obsequeretur, et tu non tamquam delegatus, sed tamquam legitimus iudex ulterioris instantiae sententiam ferre potuisses. Sed tu Episcopus

Ecclesiae Motulensis cum sis, cumque gradu et dignitate tibi antecellat Neapolitanus AEppus, qui neminem superiorem agnoscit uno excepto Romano Pontifice: iam vides liberari a labe iniuriosae nullitatis non posse nec regis delegationem, nec sententiam a te latam; auditum enim est numquam, appellationem, quae semper ad iudicem superiorem devolvitur, ad inferiorem deferri, et causam appellationis ab iudice inferiore cognosci sine delegatione eius superioris iudicis, cui delata est appellatio. Quodsi opera secularium principum id monstri genus accidit aliquando: iura sua et AEpporum vindicare non destitit S. Sedes, veluti allatis exemplis docet *Petrus de Marca* luculentissime de Conc. Sac. et Imp. lib. 1. cap. 11. n. 3. et lib. 7. cap. 19. n. 5. Nec refert, quod tu in hac causa definienda cum servaveris ordinem, qui sive a Coelestino 3. in cap. Laudabilem. 5. sive ab Honorio 3. in cap. Literae vestrae. 7. de frig. et malef. sive demum a Benedicto 14. praescribitur in sua constitutione, quae incipit: Dei miseratione; cum enim tibi defuerit iurisdictio, quae omnium iudiciorum basis est ac fundamentum, illud iam sequitur, irritam inanemque fuisse sententiam, quamvis ea lata fuerit audito defensore matrimonii, et aliis servatis, quae extrinsecam iudicii formam respiciunt. Ad matrimonii autem defensorem quod attinet, miramur sane illum coram iudice illegitimo stetisse, se suasque defensiones parasse, cum ignorare illum minime deceat, quae ipsius partes esse debeant in tam gravi munere obeundo. Haec porro sunt quae Benedictus 14. de ipso habet in ea, quam ter appellas, constitutione: „ad officium defensoris matrimoniorum spectabit in iudicium venire, quoties contigerit matrimoniales causas super validitate, vel nullitate coram legitimo iudice disceptari;“ ut nempe intelligeret, ubi iudex illegitimus foret, aditum sibi ad iudicium patere nullum.

His quae hactenus diximus de turbato iudiciorum ordine, deque iniuria illata iurisdictioni ecclesiasticae, maximum illud accedit discrimen, cui coniuges obiecisti: hi enim tua decepti sententia sibi persuadere possent disruptum ac dissolutum esse sacrum matrimonii vinculum, quod durat adhuc, et tamdiu durabit, quamdiu ad eius nexum dissol-

vendum auctoritas legitima non accesserit. Quanta et quam multa incommoda et detrimenta forent inde obventura, si quis ex coniugibus incante tuam sententiam secutus ad secunda vota transiret: nonne novum hoc matrimonium illicita esset coniunctio, foedaque continui adulterii occasio, ad quam dirimendam opus esset, ut Ecclesiae praecepto novi coniuges sese ab omni contubernio separarent, donec per secundam legitimam sententiam de primi matrimonii nullitate non constitisset? nonne coniux binubus obnoxius esset omnibus poenis contra polygamos inflictis a sacris canonibus et a constitutionibus apostolicis, et a Benedicto XIV. in praefata constitutione innovatis? Nonne proles, quae ex hisce susciperetur nuptiis, illegitima esset, quemadmodum in Generali Concilio Lateranensi IV. definitum est? Nonne haec, aliaque damna gravissima per te unum in coniugum familias, in Ecclesiam, in Rempublicam redundarent? Nos certe his malis, quantum in Domino possumus, occurrimus. Datis enim in forma Brevis literis ad dil. in Christo filiam nobilem mulierem Mariam Iosepham de Cardenas, eam monnimus, quid facto opus sit in re tam gravis momenti, speramusque Dei O. M. benignitate futurum, ut nostrae curae hortationesque in irritum non sint cessurae. Non inde tamen tuus excusatur error, per te enim non stetit, quominus omnia haec mala evenirent. Illud quoque accedit incommodi, quod facto isto tuo errorem comprobasti laicae potestatis, quae quidem res timenda a nemine minus, quam abs te fuerat. Te enim, qui honore gaudes esse e consiliis regiis, uti in fronte legitur tuae sententiae, cum nuncius tibi allatus est regiae delegationis, quam maxime decebat, ut responderes: publicorum tibi munium ius concessum esse, non sacrorum, quemadmodum S. Ambrosius ad Valentinianum respondit: id enim a te et notissima religio regis, et suorum ministrorum integritas postulabat. Verum ipse non solum delegationi ultro libenterque assensum praebuisti tuum, non solum illam probasti, ac cumulasti laudibus, sed tamquam regius delegatus ausus es solvere Sacramenti vinculum, et id gloriae dixisti tuae, ut in causis nullitatis matrimonii tribueres laicis potestatibus auctoritatem leges dicendi de nuptiis, auctoritatem, inquam, quam seculi ipsae

potestates sibi arrogarunt numquam : hoc enim ius, qua late patet orbis catholicus, in sola Ecclesia residet universum. Quae cum ita sint, qui rationem facti et consilii tui defendat, arbitramur esse neminem; si enim culpa est non in eo duntaxat, qui commisit, sed et in eo, qui potuit et debuit prohibere, aut saltem arguere, (nam etiam qui silet favet, inquit Coelestinus ad Eppos Galliae) quid laudasse, quid etiam operam dedisse?

Quae quidem si quemlibet virum catholicum dedecuissent, quid dicendum erit de Episcopo, quem pastoralis dignitas participem facit depositi fidei atque doctrinae, quemque vis ac religio praestiti iuramenti cogit impellitque ad sarta tecta tuenda iura omnia Ecclesiae et S. Sedis, maxime super Sacramentis? Profecto, si sola oratio consulis perniciosa potest labefactare rempublicam, quid Ecclesiam perniciosa vox et oratio Episcopi? Eo vel magis quia tu Regiae Aulae addictus cum sis, ignorare profecto non poteras officia semel iterumque a nobis adhibita, ut similis delegatio revocaretur, quam rex in hac ipsa causa fecerat 8. Kal. Iannarias 1784. in AEppum Tarsensem Capellanum Maiorem. Ignorare non poteras obtulisse nos regi delegationem, quae caderet in alium Praesulem Regni, qui regi esset acceptus. Ignorare item non poteras, officia haec nostra tanti aestimata a rege fuisse, ut pro sua religione iubendum duxerit pridie idus Septembris a. 1786. huiusmodi ut causae cursus interciperetur. Sed tu nostrum omne officiorum et curarum genus evertisti funditus, simul ac novam delegationem acceptasti, teque iis socium addidisti, qui verae pacis inimici ac dissensionis spiritu afflati eandem delegationem ab rege religiosissimo extorquendam curarunt.

Sed iam tempus est, ut poenas tibi indigitemus, quae in his casibus a sacris canonibus infliguntur. Audisti iam Canonem Tridentini Concilii, quo illi omnes anathemati subiiciuntur, qui causas matrimoniales negant pertinere ad Ecclesiam, et ad ecclesiasticos iudices; quo quidem canone certum est non eos modo comprehendi, qui docent, esse summarum potestatum huius seculi leges de nuptiis dicere, sed eos quoque qui factis hoc ipsum confirmant, quique auctoritatem

nanciscuntur a laica potestate, et qui causas nullitatis matrimonii tamquam regii delegati definiunt. Concilio autem Tridentino praeivit Honorius 3. in cap. Noverit. 49. de sent. excom. ibi enim huic eidem poenae eos damnat, qui amplexi fuerint statuta edita a laica potestate contra iura et libertatem Ecclesiae, et qui secundum ea praesumserint iudicare. Bonifacius item 8. in cap. Clericis, de imm. eccl. in VI. multis deplorat praesentium experimenta temporum, dum — laici — suis finibus non contenti, nituntur in vetitum, ad illicita, froena relaxant, moliuntur multifarie subiicere servituti suaeque submittere ditioni Ecclesiam, ecclesiasticasque personas, et bona, et — quod dolenter referimus — nonnulli Ecclesiarum Praelati ecclesiasticaeque personae trepidantes, ubi trepidandum non est, transitoriam pacem quaerentes, plus timentes Maiestatem temporalem offendere, quam aeternam, talibus abusibus non tam temerarie quam improvide acquiescunt, Sedis Apostolicae auctoritate seu licentia non obtenta. Cum autem in hunc modum miseram suorum temporum conditionem deplorasset Pontifex iste, Praelatis et personis ecclesiasticis supradictis sub depositionis poena districte mandavit, ut talibus absque expressa licentia dictae Sedis nullatenus acquiescant, et quatenus acquieverint, in excommunicationis sententiam incidant ipso facto: quae si sibi vindicant locum, ubi Episcopi consentiunt subiici laicae potestati iura et bona Ecclesiae, multo magis habere locum debent, ubi aliquis inveniatur, qui laudet, probetque, ut laicorum ditioni subiiciantur Sacramenta. Quid de antiquis illis canonibus dicendum Synodorum Romanae, Antiochenae, et Carthaginensis, qui noti sunt omnibus et ab ipsis Iureconsultis Neapolitanis tam saepe commemorantur? In his porro coërcetur Episcoporum auctoritas intra fines propriarum dioecesium, et super grege eis subiecto, nec cuidam permittitur Episcopo, ut ius sibi arroget cognoscendi causas ab alio definitas, modo unus Episcopus altero superior non sit, sub poena excommunicationis et etiam depositionis; quae quidem canonum sanctiones etiam a Concilio Tridentino postmodum confirmatae, dubitare non potes, quin in te cadant: qui inferior cum esses Antistite Neapolitano iudice primae instantiae, cumque

in coniuges alienae dioecesi subiectos iurisdictionem haberes omnino nullam, eos tamen ausus es a Sacramenti nexu solvere, ac liberare. Longum sane esset hoc loco ab historia ecclesiastica petere eorum exempla, qui canonicas hasce sanctiones cum violassent, poenas ab illis sancitas subierunt. Ut antiquiora omittamus monumenta, satis erit, ut tibi commemoremus Clementem XI. praedecessorem nostrum, anathematis poenae subiecisse tres iudices eo, quod tamquam delegati a laica potestate Siciliae ac Taurinensi non dubitarunt sese ecclesiastico iudicio immiscere, unde acta illa evertit, atque rescidit cum omnibus inde sequutis tamquam inania et nulla, et a non habentibus potestatem attentata, ut ipsius chirographa et constitutiones demonstrant, quae prostant in Bullario Romano ed. Mainardi tom. 10. part. I. p. 320. et ed. Luxemburgi tom. 8. p. 301. 313. et 378.

Si igitur hae sunt poenae a Canonibus praescriptae et usu in Ecclesia receptae, reliquum modo est, ut remedia tibi indicemus, quae benigna Mater Ecclesia suppeditat erranti, et errati sui veniam petenti. Duo porro huiusmodi remedia sunt, quorum alterum respicit animae salutem, alterum debitam Ecclesiae satisfactionem. Ad animae salutem quod attinet, opus est, ut absolutionem petas ab hac Apostolica Sede, ut quemadmodum illam petiit ab Alexandro 2. S. Thomas Cantuariensis eo quod quibusdam consuetudinibus a rege Henrico inductis et ecclesiasticae auctoritati contrariis subscripserat; et illam petierunt non modo alii fratres tui, inter quos Episcopus Calaguritanus ab Urbano 8. et Episcopus Heinensis ab Alexandro 7. (Bull. Rom. Mainardi tom. 6. part. 2. p. 109. et part. 4. p. 94.); sed ipsa etiam laica tribunalia, ac magistratus regni Neapolitani, quos inter prae ceteris commemorandus est Franciscus Paschalis, magister campi et praeses regiae audientiae montis Fusculi, qui a Pontifice Alexandro 7. petiit, impetravitque absolutionem a reatu violatae immunitatis, et iurisdictionis ecclesiasticae tam nomine proprio, quam proregentis curiae vicariae Neapolitanae, et commissarii Campaniae, aliorumque omnium officialium. Bull. cit. tom. 6. part. 5. p. 335. Ad Ecclesiae autem satisfactionem quod pertinet, ut omnis scandali tollatur occasio, atque

coniuges ab errore retrahantur, illud necesse est, ut publice ac palam sive edicto sive alio modo declares irritam inanemque sententiam tuam, quemadmodum Clemens 11. faciendum iussit Carolo Mariae Episcopo Vintimiliensi. Is enim fretus mandato Victoris Amadei Ducis Sabaudiae et Senatus Niciensis, cum Vicarium Generalem deputasset cum facultate iudicandi absque appellatione de causis ecclesiasticis in oppido Saorgio, aliisque locis suae dioecesis, subiectis in temporalibus eidem Duci, in causa fuit ut Pontifex abrogaret atque aboleret deputationem praedictam, nec non rescripta, mandata, seu decreta a laica potestate edita, quae sacrorum canonum et constitutionum apostolicarum dispositioni adversantur, et libertatem, iurisdictionem, et immunitatem ecclesiasticam manifeste laedunt, et Episcopum ipsum cogeret sub poena suspensionis ab exercitio pontificalium et interdicti ab ingressu Ecclesiae, ut per publicum edictum eandem irritam, et invalidam Vicarii deputationem, concessamque illi, ut praefertur, facultatem statim et incunctanter omnino revocet. Cit. Bull. tom. 10. part. 1. p. 219.

Possemus hic equidem nostris literis finem imponere, cum satis superque sint a nobis exposita ea, quae in tuam agendi rationem in causa matrimonii diximus convenire. Sed silentio praeterire non possumus inductam abs te novitatem dum solitam inscriptionem omittis, qua passim tui fratres utuntur, sese Apostolicae Sedis gratia Episcopos appellantes; quae quidem inscriptio ante ipsas reservationes invecta, et multis ante seculis religiose adhibita, suum habet fundamentum in primatu Apostolicae Sedis et in honore, qui successoribus B. Petri debitus est. Sed tu solita formula praetermissa magis Regis gratia Episcopus nuncupari, teque hoc inscribere nomine gloriaris novo ac prorsus insveto et minime ad dignitatem episcopalem accomodato, utpote quae quoad ordinem immediate est a Deo, et quoad iurisdictionem ab Apostolica Sede, exclusis laicis potestatibus, quibus ius ipsum nominandi et praesentandi non competit, nisi accedente privilegio S. Sedis. Nolumus sane Nos vim ac indolem persequi huiusce novitatis, quae per se ipsa loquitur, quaeque suspicione non caret, digna profecto, ut ab omnibus repro-

betur. Hinc te etiam atque etiam in Domino hortamur, ut hac etiam in parte omnem abs te occasionem admirationis ac suspicionis expellas, quemadmodum te facturum speramus, et hac spe freti Apostolicam benedictionem tibi et gregi tuae curae concredito impertimur. Datum Romae die 16. Sept. 1788. Pont. nostri anno decimo quarto. — *Ex Bullario Pii VI.*

Mon. 137.

Memoriale Episcoporum Galliae ad Regem Ludovicum XVI. circa eiusdem Edictum pro favore matrimoniorum Protestantium perlatum. 1788.

Quod Maiestas Vestra — ordinavit, ut nimirum matrimonialis coniunctio Non-Catholicorum coram Iudice seculari legalisata cunctis effectibus civilibus matrimonii Catholicorum gaudeat: id Clerus reverenter susciperet, non ambigens, gravibus rationibus permotum esse Statum ad tantam mutationem in legislatione Gallicana inducendam. Ast aliter censendum de eo, quod iuxta planum per novam legem adoptatum Ministerio Nostro plane praecipiatur, ut in huiusmodi matrimoniorum conciliatione partem capiat. Sane inconsulto Summo Ecclesiae Pontifice, inconsultis etiam Episcopis Galliae, quorum Synodus iam convocata fuit, evenit: ut Parochi Regni delegarentur, quo simul cum magistratualibus personis promulgent banna Acatholicorum, ipsosque matrimonio iungant iuxta formam mere civilem, cum obligatione declarandi expresse, ac ope publici instrumenti partibus contrahentibus, ipsos legitimo matrimonio iunctos esse. Equidem sanctum Galliae Clero principium est, per Religionem Christianam Dominos seculares nullam iurium suorum temporalium fecisse iacturam; nec matrimonium ad dignitatem Sacramenti elevatum propterea cessasse esse contractum ab Imperante civili dependentem: at una, Augustissime Domine, sine, ut Tibi apostolica declaremus libertate, nulli super terram potestati civili datum esse, ut pastores animarum obliget ad declarandum, quod haeretici, qui matrimonium sine ullo reli-

gioso ritu, vi solius secularis dispensationis, contrahunt, legitimum foedus ineant, consentaneum videlicet omnibus Ecclesiae ac Status legibus; idque eo minus, quoniam Divinus Legislator Christianorum Sacramentum hoc Matrimonii instituit ad sanctificandum coniugale vinculum, Canones porro prohibent separare rationem civilem Matrimonii a sacris ritibus, et ipsi Protestantes agnoscunt, sigillum religionis esse indispensabiliter necessarium ad hoc, ut matrimonium omni ex parte licitum sit. Quare nos Maiestati Vrae supplicamus, ut decernere dignetur, Parochos, Vicarios, aliosque Ecclesiasticos nec active nec passive in huiusmodi matrimoniorum celebratione cooperari posse, atque sic mutationem quampiam in proposita forma inducere. Sic enim nec acatholici per absentiam Cleri beneficio legis Maj. Vrae privabuntur, nec nos cogemur firmare per nimiam indulgentiam sectarios in errore ipsorum de Sacramento Matrimonii, scandalisareque populum catholicum, parum assuetum probe distinquere in Parocho ministrum Ecclesiae et officialem Civitatis. Denique rogamus, ut Maiestas Vra votis nostris in eo quoque assentiri dignetur, quo partibus acatholicis super declarationibus ipsorum matrimonialibus solum civilis iudex attestatum dare valeat. — *Carriere Praelect. theol. de Matrimonio.* Paris. 1837. II. 439.

Mon. 138.

Instructio S. Sedis pro Eppis Galliarum quoad matrimonia. 1791.

Laudabilem maiorum suorum consvetudinem secuti Antistites, qui modo Gallicanas regunt Ecclesias, ad Sedem Apostolicam detulerunt gravissimas quaestiones, pluresque, quibus anguntur, animi fluctuationes, dubitantes nimirum, quid sibi agendum sit, cum de fidelium baptismo, matrimonio et sepulturis agitur, propterea, quod nisi haec omnia a *parochis intrusis* vel eorum auctoritate exerceantur, a Conventu Nationali, qui parochos duntaxat intrusos agnoscit et sustinet,

fideles vexatum iri prospiciunt. Has igitur quaestiones Sanctitas Sua in selecta Cardinalium Congregatione coram se habita die 18 Aug. 1791 diligentissime examinari voluit, atque auditis singulorum Cardinalium sententiis sequentem iussit exarari instructionem, in qua descriptis quaestionibus, ut erant ab Eppis propositae, praescriberetur ratio, qua fideles atque parochi uti deberent in baptismo, matrimonio, funeribus et sepulturis. Prima, quae proponitur, quaestio est de baptismi administratione, cuius quaestionis difficultas inde oritur, quod si fideles a legitimis parochis intruso penitus omisso baptisentur, omnis ratio deficit, qua eorum natalia in foro civili probentur. At quoniam haec eadem difficultas occurrit in aliis quaestionibus, quae sunt de Catholicorum matrimonio et funeribus, considerata primum diligentissime sunt Conventus Nationalis decreta. In illis porro observatum est, expressam deesse declarationem, qua fideles, si alium quemvis praeter parochum intrusum adeant baptismi, matrimonii vel funeris causa, civilis iuris beneficia debeant amittere. Verum etsi huiusmodi amissio in illis decretis statueretur expresse, non tamen idcirco posset catholicis facultas dari parochos intrusos ad baptismum recipiendum adeundi. Quapropter Sanctitas Sua declaravit, non licere baptismum recipere a parochis intrusis excepto casu extremae necessitatis, in quo non adesset alius valens baptisare, sed a parochis legitimis aliisque de eorum consensu aut licentia conferri debere. Cum enim parochus intrusus schismaticus profecto sit, eiusque schisma evidentissime constet, ex eo fit, ut actio catholici, baptismi recipiendi causa intrusum adeuntis, quacunque ex parte spectetur, vitiosa, mala, et prohibita esse deprehendatur. Nam id esset in divinis cum schismaticis communicare in ipso schismatis crimine, quod certe natura sua malum est, proindeque lege omni divina et naturali vetitum. Quid enim aliud est schismatis crimen ab intruso parocho admissum, quam ministerii parochialis usurpatio suo libitu facta, nulla sui Eppi auctoritate imo cum illius contemtu et repudiatione coniuncta? aut quid aliud catholicus efficit ab intruso baptismum accipiens, quam idem cum illo schismatis crimen admittere, cum alter baptismum admini-

straudo alter recipiendo, neuter absque alterius opera crimen animo conceptum possit patrare? itaque si catholicus hac sua actione cooperetur in schismate, fieri nequit, quin is schismatis crimen ipso suo facto approbet, intrusumque pro legitimo parocho agnoscat et colat. Vere igitur si catholici id sibi fas esse arbitrarentur, neque boni perstarent in proposito, neque ad officium revocarentur errantes, atque ita gliscenti schismati non obice sed fomite apposito religionis in nobilissimo Galliae regno servandae spes fere nulla reliqua esset. Quibus omnibus rite perpensis Sanctitas Sua in apostolicis literis datis die 13 April. vertentis anni catholicis omnibus, qui sunt in regno Galliae, ita praecipit: invasores omnes, sive AEppi sive Eppi sive parochi appellentur, ita devitate, ut nihil cum illis sit vobis commune, praesertim in divinis. Is igitur, qui secum haec omnia animo reputat, facile intelliget, non licere catholicis ab intruso baptismum accipere, quamvis ob legitimae probationis defectum suorum natalium iure carere aut gravius quodlibet malum pati cogerentur. Nam huius praesertim schismatis qualitati maxime convenit aurea S. Dionysii Alex. sententia, qua is scribens ad Novatum schismaticum inquit apud Euseb. H. E. l. 8. c. 37: ‚Oportuerat omnia incommoda pati potius quam Ecclesiae Dei discidisse concordiam; at illud martyrium, quod quis patitur, ne dirimatur Ecclesiae consensio, non minus certe meo quidem iudicio sed multo plus habet commendationis, quam illud, quod suscipitur, ne idolis immoletur.'

His autem doctrinis positis haud difficile fuisset statim et breviter praescribere, quaenam agendi ratio in matrimonio esset tenenda. Quamvis enim eadem hic difficultas possit occurrere, ut, si fideles a parocho legitimo coniungantur, intruso penitus omisso, eorum matrimonia omni iuris civilis beneficio destituantur, tamen illae eaedem rationes, quae supra explicatae sunt, cum de baptismo ageretur, hic etiam vim habent, et vetant, ne fideles a parocho intruso in matrimonium coniungantur. Verum quia ab Eppis consulentibus propositus fuit unus vel alter modus, civiles effectus in matrimonio fidelium adiungendi, necesse fuit horum etiam peculiarem habere rationem. Modi autem propositi huiusmodi sunt, ut

catholicus vel veniam petat ab intruso matrimonium celebrandi coram sacerdote a se eligendo, vel ut eidem intruso aut magistratui civili matrimonium a se contractum declaret. Adversus tamen eos modos iidem consulentes plures et quidem graves afferunt difficultates. Aiunt enim incertum esse, an intrusus et civilis magistratus permissuri sint catholicis, illis uti modis, incertumque etiam, num ex uno vel altero modo matrimonia fidelium civiles effectus acquirent. Sed istis difficultatibus omissis, hae, quae religionem tangunt, graviores visae sunt, ut iidem consulentes animadvertebant, proindeque ob oculos considerantius habendae. Si enim catholicus matrimonium a se contractum parocho intruso declaret, vel si matrimonium eiusdem impetrata venia coram sacerdote catholico celebret, videri posset intrusus pro legitimo parocho a fidelibus probari, quod sane fugiendum est. Sin matrimonium a se iam contractum civili magistratui declaret, videtur catholicus suam fidem eiurare, atque ad heterodoxorum partes transire, ut eorum privilegio frui possit. Nam acatholicis duntaxat Edictum regium mensis Novembris 1787 concessit, ut sua matrimonia civili magistratui si ipsi denunciarent, civilibus effectibus illa gauderent. Ut igitur ad haec omnia apta daretur norma in matrimonii celebratione servanda, idem Sanctissimus plures regulas ponendas hic iussit, quibus catholicorum matrimoniis firmitas assereretur, nulla iidem schismatis contagione polluerentur, et exteriorem quamcunque haeresis professionem devitarent. Primo igitur *fideles in Galliis debent matrimonio coniungi a suo parocho legitimo vel alio sacerdote de eius vel Ordinarii licentia;* nam matrimonium aliter celebratum nullam vim haberet, ob celeberrimam Trid. Conc. legem de clandestinis matrimoniis in illius regni parochiis iampridem promulgatam et constantissime observatam. 2. Quoniam *intrusus* minime est parochus legitimus, neque ullum habet titulum seu verum seu coloratum, *matrimonium coram eo contractum nullius certe roboris est,* qua etiam de causa fideles abstinere debent, ne parocho suo legitimo praetermisso adeant intrusum. 3. Caveant etiam fideles, qui matrimonio iuncti fuerint a parocho legitimo, ne intruso se sistant, ut ab eo ritu quovis sacro et religioso rursus

matrimonio coniungantur, vel ab eo petant veniam, qua possint ab alio sacerdote matrimonii sacramento coniungi et sacro ritu copulari. Ne id enim fiat, vetant omnino rationes iam explicatae, cum de baptismo ageretur. 4. *Numquam* etiam *licebit fidelibus declarationem edere matrimonii iam contracti magistratui civili*, si forte adstringantur aliam iniquissimam sane declarationem facere, se scilicet haud esse catholicos; quod ne accidat, vereri se dicunt Eppi consulentes eo in loco, ubi de baptismo loquuntur. 5. Sed ne fidelibus quidem permittendum, ut matrimonii iam contracti declarationem coram civili magistratu faciant, si ob istam catholici pro acatholicis habeantur, tum quia Edicti verba heterodoxos tantum expresse comprehendunt, tum quia publica hominum opinione pro heterodoxis reputantur omnes, qui civili magistratui sua matrimonia declarant. 6. Denique idem SSmus super hac re commendavit Eppis regulas traditas a Benedicto XIV in Const. ‚Inter omnigenas' diei 2 Febr. 1744 §. 8—10. Bull. eiusdem Pont. et ‚Redditae' diei 17 Sept. 1746 ad P. Simonem a S. Iosepho Carmelitam Excalc. Missionarium in Belgio. Itemque regulas commendavit, quas iam pridem tradidit Catholicis Anglicanis Paulus V in literis in forma Brevis datis tam X Cal. Oct. 1606 quam X Cal. Sept. 1607. — Romae, 26 Sept. 1791. F. X. Card. de Zelada.

Mon. 139.

Instructio S. Sedis ad Eppum Lucionensem. 1793.

Perlatae sunt SSmo Dno Nro Amplitudinis tuae literae cum literis, quas Lucionensis dioecesis parochi ad te transmiserunt. Ex his incredibile dictu est, quanto Sanctitas Sua superabundaverit gaudio in omni tribulatione fidelium Lucionensis dioecesis audiens eorum fidem ac studium in Catholica Religione tuenda, necnon patientiam in perferendis malis, quibus luctuosissimis hisce temporibus ipsi affliguntur. Hinc, ut quantocitius fieri posset, eisdem fidelibus opitularetur atque petitionibus tuis satisfaceret, eas selectae Cardinalium Congregationi examinandas commisit; quae autem a praefata

Congregatione decreta sunt, ac probata ab eadem Sanct. Sua, Amplitudini tuae me significare mandavit. Exponis itaque non ita pridem a Nationali Conventu conditum decretum fuisse, quo praescribitur, matrimonia in posterum in regno Galliarum celebrari debere coram Municipalitate, sive coram Officiali a Municipalitate delecto; a Municipalitate vero seu a praememorato Officiali recipi coram quatuor testibus debere declarationem a futuris coniugibus emittendam sub hac forma verborum: ‚declaro me sumere N. N. in matrimonium'; qua declaratione vicissim a duobus coniugibus facta ab Officiali publico pronunciandum esse, eos in nomine legis coniunctos fore; praefato autem Nat. Conventus decreto nihil cautum esse ais circa formam a Trid. Concilio praescriptam, quae profecto, si nihil aliud obstaret, in vim tantummodo praefati decreti observari ad amussim posset. At formam a praelaudato Trid. Concilio praescriptam pro coniugiis ineundis in ea parte, quae respicit parochi praesentiam, observari modo non posse a maiori parte fidelium dioecesis Lucionensis moleste fers propter legitimorum parochorum deficientiam, qua ex re mala et incommoda gravissima oboritura praevides. Hinc ut praememorati fideles in circumstantiis adeo luctuosis constituti liberi declarentur ab observantia decreti Trid. Concilii pro coniugiorum celebratione, primum animadvertis non posse certo statui, notissimum C. Trid. decretum, quod legitur Sess. 24. de ref. matr. c. 1. publicatum reapse fuisse in singulis Galliarum Ecclesiis, quam quidem publicationis formam expresse requirit Tridentinum, ut post 30 dies a publicatione facta incipiat obligare. Sed de hoc ne tu quidem nimis instas, quoniam non magni momenti esse probe agnoscis; illud potius urges, et conficere conaris, quod posito etiam, Trid. C. decretum fuisse in singulis Galliarum paroeciis publicatum, non idcirco nulla ac irrita censeri deberent matrimonia sine parochi praesentia contracta iis in locis, in quibus parochi praesentia haberi non possit. In cuius rei confirmationem et clarissimorum virorum testimonia profers, et auctoritatem potissimum S. Congregationis Concilii. Ab ea enim pluries resolutum esse adnotas, satisfieri menti Trid. Concilii, celebrando matrimonium coram testibus, ubi parochi prae-

sentia haberi nequeat. Ex quo inferre te posse arbitraris, valida censeri debere matrimonia sine parochi praesentia celebrata ab iis fidelibus Lucionensis dioecesis, qui parocho carere coguntur, quoniam in vim praememorati decreti Nat. Conventus matrimonia contrahi debent coram Municipalitate, seu officiali ab ipsa Municipalitate delecto, quodque multum interest ad id, de quo agitur, etiam coram quatuor testibus. Haec summa est eorum, quae in tua epistola continentur, atque ferme haec ipsa complectitur epistola, quam Lucionensis dioecesis parochi ad te transmiserunt.

Ut igitur iis omnibus, quae proponuntur, opportunum daretur responsum, haec, quae sequuntur, a praefata Cardinalium Congregatione constituta fuerunt: 1. *Frustra quaestionem modo moveri, num Tridentini Concilii decretum publicatum in singulis Galliarum Ecclesiis fuerit.* Cum enim certo certius constet in Ecclesiis Galliarum iam usu receptum esse, ut matrimonia celebrentur coram parocho et duobus vel tribus testibus tamquam in executionem decreti C. Tridentini, hoc profecto satis debet esse, ut praesumatur facta eiusdem decreti publicatio, sicut aperte legitur in resolutione edita a S. Congr. Conc. die 26 Sept. 1602: ‚publicationem praesumi, ubi id decretum fuerit aliquo tempore in parochia tamquam decretum Concilii observatum.' Idemque statutum legitur in alia resolutione de 30 Mart. 1669. — 2. Lucionensis dioecesis *fideles abstinere omnino debere a contrahendo matrimonio coram Municipalitate aut coram officiali a Municipalitate selecto;* cum enim tum ii, qui Municipalitatem componunt, tum officialis a Municipalitate electus sint publici functionarii, ut aiunt, iuramentum a Conventu Nationali praescriptum emiserint necessum est: quapropter tamquam *schismatici* aut adminus tamquam schismatis fautores iure merito reputantur. Ex his autem illud consequens est, abstinere omnino fideles debere a contrahendo matrimonio coram Municipalitate seu coram officiali a Municipalitate electo, ne ulla schismatis contagione polluantur. 3. Curare idcirco *fideles debere contrahere matrimonium coram testibus, et quidem, quoad fieri possit, catholicis, priusquam Municipalitati se praesentes sistant,* ut praescriptam a Nat. Conventu declarationem faciant. Et quoniam complu-

res ex istis fidelibus non possunt omnino legitimum parochum habere, *istorum* profecto *coniugia contracta coram testibus et sine parochi praesentia, si nihil aliud obstet, et valida et licita erunt*, ut saepe saepius declaratum fuit a S. Congr. C. Trid. interprete. 4. *Nihil* tamen *impedimento esse, quominus fideles, ut civilibus potiantur effectibus, praescriptam a Nat. Conventu declarationem faciant, illud semper prae oculis habentes, nullum ab ipsis tunc contrahi matrimonium, sed actum mere civilem exerceri.* 5. Demum in praefata declaratione facienda prae oculis haberi debere saluberrimas regulas, quae ea de re leguntur in Instructione iussu Sanct. Suae exarata die 26 Sept. 1791 super quibusdam quaestionibus a Galliarum Eppis propositis. — Romae, 28 Maii 1793. F. X. Card. de Zelada. — *Collectio Brevium atque Instructionum Pii VI, quae ad praesentes Ecclesiae Cath. in Gallia et aliis a Gallis occupatis regionibus calamitates pertinent. Iuxta exemplar Romae impressum.* 1800. I.

---

5. Monumenta e Sec. XIX.

Introductio. Seculi nostri Monumenta de matrimonio, signanter de Ecclesiae in illud potestate, et copiosa sunt, et magni momenti. Pro universali quippe nisu seculi, spreto religioso obtutu omnia materialiter solummodo considerandi, et cumprimis Ecclesiae Catholicae auctoritatem ubique minuendi, demum Ecclesiam ipsam a Statu separandi, factum est: ut pene ubique dè inducendo sic dicto *civili matrimonio* sermo fieret, relatione coniugii ad Ecclesiam cuiusvis conscientiae ac arbitrio relicta. Hinc tanti inter utramque Potestatem conflictus: siquidem Ecclesia Christi adversus nisum hunc, temporali non minus quam sempiternae fidelium suorum saluti oppositum, vocem suam non levare non possit. Nisus hic Civilium Guberniorum in permultis iam regnis se se manifestavit, legibusque civilibus perlatis, occasionem subministravit tum Ecclesiae Praesulibus tum ipsi Supremo Sacrorum Anti-

stiti, iura Religionis ac Ecclesiae solemniter reclamandi, et fideles providentiae suae divinitus creditos necessaria in infelici eiusmodi rei catholicae situ agendorum norma instruendi, ut, quantum fieri potest, salus fidelium absque detrimento perseveret. Ex amplissimo Monumentorum horum thesauro, qui Principum Ecclesiae zelum et fortitudinem in tuenda Dei eiusve sanctae Ecclesiae causa splendidissime manifestat, seligemus praecipua, et, ut ordinem servemus, in certas classes seu totidem sectiones Monumenta huius seculi partiemur. In prima ordine chronologico recensebimus Monumenta ex diversis Europae regnis et ex America; in altera Monumenta Gallica; in tertia Monumenta ex Sardinia et occupatis per hanc Italicis Provinciis; in quarta demum Monumenta ex Imperio Austriaco, inclusa etiam Hungaria.

a) Monumenta e diversis Europae regnis, et Americana.

A. ***Introductio.*** Anno 1802 ad postulatum Ministri *Hispanici* de concedenda Eppis facultate generali ad elargiendas dispensationes matrimoniales, negativum dedit iussu *Pii VII* Papae responsum Cardinalis a Secretis Status, inter cetera argumenta id adducens, Romanum Pontificem velut unicam ac supremam auctoritatem, quae in legibus Ecclesiae positivis exceptiones tribuere valeat, non posse generalem facultatem dispensandi concedere, quin iura sua et Ecclesiae detrimentum patiantur. (*Mon.* 140.)

Anno 1803 *Pius VII* PP. rescribens Primati *Germaniae* AEppo Moguntino et Electori de Edictis partim in Bavaria, partim alibi pro favore solvendi vinculi connubialis recenter vulgatis, pronunciat: sententiam civilium fororum de nullitate matrimonii in Ecclesia Catholica nullius esse roboris, cum e doctrina Ecclesiae causarum matrimonialium cognitio ac decisio ad Iudices Ecclesiasticos spectet; et, quantumvis nefors minetur iubeatque laica potestas, Deo magis quam hominibus obedire oporteat. In Brevi hoc admodum memorabili Summus Pontifex principia haec fusius persequitur, et sequentia insuper notatu digna quaerenti AEppo significat: casu in illo, si vel ipsi coniuges per acatholicum consistorium

vinculo coniugii soluti auctoritate Ecclesiae Catholicae matrimonium suum solvi cupiant, vel pars una eorumdem novas cum persona catholica, vivente adhuc altero divortiato coninge, nuptias contrahere velit, Iudicem Ecclesiasticum iuxta normam Benedictinam procedere debere; si vero id adiuncta gravia haud permitterent, posse quidem ab illa recedi, sed ita, ut et defensor matrimonii adsit, et actis sive iudicialibus sive extraiudicialibus res ad plenam claritatem deducatur. Porro sententias varias ab AEppo de matrimoniis haereticorum refutando, innuit Pontifex: matrimonium etiam haereticorum esse originarie indissolubile; haereticos legibus Ecclesiae etiam subiici, licet sint rebelles et transfugae; matrimonia haereticorum inter se coram ministro acatholico inita iis in locis, in quibus decretum Tridentinum vel numquam observatum fuit, vel longo temporis intervallo in desvetudinem abiit, rata et firma consistere. Demum notanda ea Papae sententia: coniuges catholicos, qui sola acatholici consistorii auctoritate excusso prioris matrimonii vinculo ad secundas nuptias coram acatholico convolant ministro, et dein admissi sceleris poenitentes veniam petunt, ad participationem sacramentorum ea sub conditione admitti posse, si, vivente primo coninge, a secundo separentur, eo autem mortuo, Eppi iudicio quoad matrimonium se submittant. In eodem Brevi etiam de mixtis connubiis identidem disserit Pontifex, quae, quoniam in alio nostro de matr. mixtis opere uberius expendimus, hic praetermittimus. (*Mon.* 141.)

A. 1804 in Brevi ad *Eppum Posnaniensem* idem argumentum pertractavit Pius VII, instruens Eppum, quod matrimonium per civile forum dissolutum neutiquam pro irrito habendum sit. (*Mon.* 142.)

A. 1805 in *Memoriali S. Sedis* super gravaminibus Ecclesiae ex edictis Electoris *Bavariae* exortis edictum de iudicatu fororum civilium in causis matrimonialibus impugnatur, quod iam in Brevi ad Primatem Germaniae 1803 dimisso perstrinxit Pius VII. ut mox insinuavimus. Ex tenore reclamationis S. Sedis perspicuum fit, *Eppum Herbipolensem* opposuisse Regimini Electorali canonem Tridentinum de causis matr. ad Iudices Ecclesiasticos spectantibus. (*Mon.* 143.)

A. 1807 per Breve ad Primatem Germaniae et *AEppum Ratisbonensem* adversus Edictnm *Badense* contra potestatem Ecclesiae in indicandis causis matr. velnti regimini Ecclesiae exitiosum, et ordinem a Deo constitutum evertens, protestatus est Pins VII : simul de dispensationibus matrimonialibus in gradibus arctioribns nnice a S. Sede et raro concedendis APraesulem admonens. (*Mon.* 144.)

A. 1808 occasione ea, qna *Codex Napoleonis* matrimonialis in *Poloniam* induci, et conventio desnper inter Reginm Ministrum et Eppum Varsaviensem iniri tentabatur, data Nnntio suo instrnctione Summus Pontifex factum istinsmodi vehementer improbavit, praeclare monens : actn Eppi Varsaviensis non modo vim et efficaciam civilium ordinationnm circa coningia Catholicorum agnosci, verum etiam Potestati Civili in ipsnm Sacramentum et disciplinam Ecclesiae ins tribui, contra omnem catholicam doctrinam; siquidem nnspiam anditum fuerit, ut in Regno Catholico Princeps subditis suis obligationem imponat, matrimonia in facie communitatnm civilium inenndi, ipsamve cansam valoris vel nnllitatis coniugii coram foro seculari prosequendi. Ad ipsum dein Eppum conversus Pontifex, enndem merito obinrgat, qnod ad tantas concessiones in praeiudicinm Potestatis Ecclesiae snum assensum praebere non dubitaverit, cnm potius in manutenenda eadem sedulus esse debuisset; monet proin nniversos Poloniae Eppos, nt fideles suos opportnne edoceant potestatem legislativam circa rem vinculi matrimonialis in Ecclesia Catholica ita uni Ecclesiae propriam esse, ut qnod ipsa hoc in obiecto statuerit, nulla civili lege enervari, vinculnmqne coniugale, quod in facie Ecclesiae initum est, nulla civili anctoritate dissolvi possit. (*Mon.* 145.)

A. 1817 in *Concordato Bavarico*, et a. 1818 in *Concordato Siculo* causarnm matrimonialinm cognitio ac decisio diserte stipulata habetur Iudicibus Ecclesiasticis. (*Mon.* 146.)

A. 1814. *Eppus Faventinus* Pastoralem snam epistolam a. 1810 de matrimonio secundum Codicem Napoleonenm ineundo vulgatam, datis ad Pinm VII Papam literis solemniter retractavit, enuncians : matr. catholicornm nonnisi iuxta C.

Trid. decreta initum esse validum, et sacramentum a contractu separari haud posse. *(Mon.* 147.)

A. 1819 in *Nota officiosa S. Sedis ad Declarationem Principum Protestantium Francofurti* 1818 congregatorum de coordinandis Ecclesiae Cath. rebus edita vindicatur Ecclesiae ius, causas matrimoniales independenter a politica potestate cognoscendi ac decidendi, eo una enunciato, quod Summus Pontifex numquam admissurus sit, ut in destructionem et annihilationem iuris canonici, et in obversum dogmaticae definitionis C. Trid. quasi cooperando iurisdictio Praesulum quoad causas matrimoniales detrimentum patiatur. *(Mon.* 148.)

A. 1823. in Bulla erecti *Eppatus Sangallensis Helvetiae* ius de cognoscendis ac decidendis causis matrimonialibus Eppo servatum est. *(Mon.* 149.)

Eodem anno 1823. *Vicariatus Fuldensis* iura Ecclesiae Cath. contra multiplices eorumdem impetitiones per legem M. Ducalem *Saxo-Vimariensem* factas fusiore Repraesentatione strenue defendens, speciatim potestatem Ecclesiae circa rem matrimonialem tuebatur. *(Mon.* 150.)

A. 1828. *Leo XII* Papa *Helvetiis*, contra morem, contrahendi coniugia non attentis legibus civilibus Helvetiae, querulantibus, rescribens, et ius Ecclesiae circa matrimonia tuebatur, et monuit querulantes, ut libertatem matrimoniorum apud concives suos sartam tectamque servent. *(Mon.* 151.)

A. 1829. *Pius VIII* Papa in prima ad Eppos orbis Encyclica de matrimonio proloquens, docet: id rebus sacris in Catholica Ecclesia accenseri, divina lege regi, Ecclesiae subiici; hancve doctrinam fideli populo frequenter inculcari commendat. *(Mon.* 152.)

A. 1832. *Gregorius XVI* Papa tum in Brevi ad Eppos *Bavariae* de matr. mixtis tum in prima ad Eppos universos Encyclica de potestate Ecclesiae quoad matrimonium in genere verba facit. In priore pro casu matrimonii inter partem catholicam et acatholicam, cuius coniux per civilem sententiam a vinculo solutus adhuc in vivis est, declarat: sententiam civilem nullius esse roboris consque, donec per Iudicem Ecclesiasticum causa ad normam canonum cognita primum coniugium ob quodpiam dirimens impedimentum pro

nullo ennnciatum non fuerit; (*Mon.* 153.) in posteriore monet, docendos esse populos, matrimoninm sacris rebus adnnmerari et potestati Ecclesiae subiici', vim et efficaciam connubii a debita executione legum Ecclesiae pendere, neque semel rite initnm humana anctoritate dirimi amplius posse. (*Mon.* 154.) Eodem anno Cardinalis a Secretis Statns ope *Memorialis ad Legatum Russicum* adversns plnres Ecclesiae Cath. vexationes protestando, commemorat etiam decretum Caesareum de avocatione causarnm matrimonialinm ad fora civilia, divortium nimis facile admittentia. (*Mon.* 155.)

A. 1833. Clerns Regni *Saxoniae* contra proiecta civilinm legum, quae cum principiis Ecclesiae componi haud possnnt, signanter libertatem coniugis catholici, post solntum per civile fornm prioris coniugii vinculum ad novas nnptias transeundi, item causarum matrimonialinm cognitionem foris civilibus assertam, egregie non minns quam fundate exposuit in sna ad Comitia Regni remonstratione discrimen, quod inter ins in sacra nni Ecclesiasticae Potestati competens, et ius circa sacra Potestati Civili attributum intercedit. (*Mon.* 156.)

A. 1834. ad propulsandam tempestatem, qnam *Conferentiae Badensis* in Helvetia habitae conclnsa, rebns ecclesiasticis summe iniqua, adversus Ecclesiam Cath. excitare videbantur, *Clerus Curatus Cantonis Argoviensis* calamum stringens, cetera inter conclusnm de cognitione causarum matrimonialium Civili Magistratui attributa impugnavit, hancve potestatem Ecclesiae vindicavit. (*Mon.* 157.) Ex eodem anno praeterire non possumus docnmentum, licet secns infaustae memoriae, pro sanctitate tamen ac dignitate christiani matrimonii sonans: *Conventionem* nempe *Borussicam* super matr. mixtis inter AEppum Coloniensem et Gubernium Civile initam. In ea enim sic dicta *civilia matrimonia* manifeste reprehenduntur ab ipso Protestantico Gubernio. (*Mon.* 158.)

A. 1835. *AEppus Friburgensis*, Provinciae Snp. Rhenanae Metropolita, literis ad Summum Pontificem directis graves exposuit difficultates, quas in negotio dispensationum matrimonialium in proximioribus gradibus experitur: Guber-

xit tum de eo, quod non modo ritus celebrandi matrimonii sit religiosus, sed ipsa natura actus ex integro sit religiosa, nec possit nisi in facie Ecclesiae legitime iniri, et ipsa conscriptio talis actus seu matrica sit actus religiosus, non civilis; tum de eo, quod actum civilem, qualem e. g. Codex Napoleonis praesefert, Ecclesia abhorreat, contractumve matrimonialem coram solo civili magistratu initum detestetur. Insuper articulos duos de mixtis connubiis, doctrinae Ecclesiae nequaquam consentaneos, perstringit piissimus Praesul. (*Mon.* 162.)

A. 1842 *Gregorius XVI* PP. per Encyclicam literam de rebus *Hispanicis* ad Eppos universi orbis directam nefaria decreta Civilis Gubernii in detrimentum rei catholicae vulgata apostolico mucrone configens, decreti de matrimonio specialem iniicit mentionem, et legem, iuxta quam impedimenta matrimonii eousque, donec Codex legum civilium inter matrimonii contractum et sacramentum discrimen ponat, Eppis unice subiici, nulla habita Summi Pontificis auctoritate, decernitur, reprobat, nulliusve roboris fore edicit. (*Mon.* 163.)

Anno eodem, 1842. *Synodus dioecesana Philadelphiensis* graviter peccare enunciavit eos, qui sacerdotum neglecto ministerio coram civili magistratu aut praecone protestantico matrimonium ineunt. Ita agentes excommunicationi obnoxios reddit Synodus. (*Mon.* 164.)

Anno 1843 *Concilium Provinciale Baltimorense V* sub poena excommunicationis prohibuit divortio civili ab invicem separatis novum contrahere matrimonium. (*Mon.* 165.)

A. 1846 *Eppus S. Ianuarii Fluminis* (Rio de Ianeiro) ad Germanos suos fideles in colonia Petropolitana degentes pastoralem dimisit epistolam: in qua exhortationes Internuntii Apostolici adversus abusum, matrimonia coram ministro acatholico ineundi, fidelibus impertitas non modo confirmavit, verum etiam uberius inculcavit, quam graviter peccent Catholici sic agentes, et matrimonia secundum leges canonicas aeque ac civiles invalida contrahentes. (*Mon.* 166.)

A. 1847 *Pius IX* PP. cum *Russico* Gubernio Conventionem ineundo, causarum matrimonialium cognitionem Consistoriis Dioecesanis addixit. (*Mon.* 167.)

Anno eodem *Eppus Moguntinus* (Kaiser) occasione discussionis novae legis matrimonialis, Potestati Ecclesiasticae iniuriosae, longiore sermone oppugnabat legem hanc, in quantum ea lex civilis potestatis iura in praeiudicium Ecclesiae Catholicae supra modum extendit. In decursu sermonis de sic dicto *civili matrimonio* plura proposuit, quae omnimodam crisim nequaquam sustinent: siquidem Ecclesia pure civilia matrimonia absolute detestetur ac reiiciat. *(Mon.* 168.)

A. 1848 dum aestus universalis ferveret revolutionis, *Consociationes Catholicae* in Germania e praeclaris viris tum ecclesiastici tum civilis ordinis coalescentes, causam Religionis et Ecclesiae Catholicae contra assultus inimicorum strenue propugnabant. Ex his *Societas Friburgensis* in Brisgovia occasione Conventus Nationalis Francofurtensis vocem suam levavit adversus conclusa eiusdem Conventus, libertati ac independentiae Ecclesiae contraria, ac praecipue adversus conclusa de matrimonio eum in sensum facta, quod valor matrimonii unice ab implemento actus civilis dependeat, et impedimentum dirimens disparitatis cultus abrogandum sit. Utrumque conclusum Societas praedicta insigniter refutat in sua ad ipsum Nationalem Conventum directa remonstratione. (*Mon.* 169.)

A. 1849 *Eppi Borussiae* in unum congregati concinnarunt ad Regem Memoriale pro tuendis Ecclesiae iuribus per inductam a. 1848 novam Constitutionem civilem laesis; in eoque praeter alia negotium matrimoniale pertractando, perstrinxerunt legem, quae cuiuslibet matrimonii coram Ecclesia incundi valorem actui civili semper praemittendo alligaverat. (*Mon.* 170.)

A. 1850 *Eppus Lausannensis ac Genevensis* ex occasione legis civilis per Rempublicam Helveticam de libris matricularibus, signanter matrimonialibus, in futurum Civili Iurisdictioni subiiciendis a. 1849 editae Circulare misit ad suum Clerum pro sustentando iure Ecclesiae circa praedictos libros. (*Mon.* 171.)

A. 1851. *Card. AEppus Mechliniensis* vulgato Decreto de Sacramento Matrimonii quaecunque de eo ex doctrina et praxi Ecclesiae tenenda sunt, succincte exposuit, et, quamvis

legis civilis praescriptis ex obtutu civilium effectuum morem geri iubeat, declaravit tamen: ex Dei et Ecclesiae lege nullum fore matrimonium, nisi coram parocho et duobus testibus contrahatur, eosque, qui solis civilibus formis adimpletis simul cohabitant, tamquam publice concubinarios habendos esse. (*Mon.* 172.) Eodem anno edita in *Synodo Dioecesana Leodiensi* Statuta clare enunciant: omnes causas matrimoniales spectare ad Iudicem Ecclesiasticum. (*Mon.* 173.) — *AEppus Mohiloviensis* in Russia in relatione ad Summum Pontificem de statu rei catholicae 1851 facta, commemorat abusum illic vigentem quoad divortia, ut quippe partes divortium cupientes, ab uno Consistorio repulsam passi, ad aliud Consistorium, quod benignius iudicaturum confidunt, se convertant; Civili Gubernio rem hanc non solum promovente, sed contemtis Ecclesiae legibus, in pertractationem divortiorum se immiscente, et inquisitiones matrimoniales respectu dirimentium impedimentorum per se ipsum peragi faciente. (*Mon.* 174.)

Eodem anno, 1851, *Pius IX* Papa opera canonica Presbyterorum ac Professorum *Francisci Vigil* in America Meridionali, et *Ioannis Nuytz* in Sardinia ope decreti condemnans, sententias utriusque de matrimonio erroneas diserte proscribit; quoad priorem quidem, quod potestatem stabiliendi impedimenta matr. dirimentia, qua Ecclesia a suo divino Institutore donata est, a Principibus terrae derivet; quoad posteriorem autem, quod asserat: matrimonii sacramentum esse duntaxat accessorium contractus ab eoque separabile, potestatem statuendi impedimenta dirimentia Civili Auctoritati competere, causas matrimoniales et sponsalia suapte natura ad civile forum pertinere etc. (*Mon.* 175. 176.) Idem Summus Pontifex eodem a. 1851 in *Concordato* cum *Hetruria* inito ius Ecclesiae quoad causas matrimoniales, penultimo Seculi XVIII decennio (ut suo loco retulimus) ab eadem violenter abstractum, vindicavit. (*Mon.* 177.)

A. 1852 *Allocutione Consistoriali* de rebus Ecclesiae in *Republica Neogranatensi* ad statum funestissimum deductis habita, dum leges civiles inde ab a. 1845 contra divinam

Ecclesiae constitutionem prolatas deplorat ac simul condemnat, speciatim legem matrimonialem reprobat, et doctrinam de eo catholicam exponendo edicit Summus Pontifex: matrimonium inter fideles dari non posse, quin simul sit sacramentum, aliamque viri ac mulieris coniunctionem praeter sacramentum, quacunque licet publica auctoritate factam, non esse nisi concubinatum, ad Ecclesiam pertinere ea decernere, quae ad matrimonium spectant. (*Mon.* 178.)

A. 1853, dum in Regno *Hannoverano* singulare pro cognoscendis causis sponsalisticis ac matrimonialibus forum catholicum e secularibus et ecclesiasticis viris a Rege coadunandum proiectaretur, *Clerus Osnabrugensis* proiecto huiusmodi tamquam anticatholico et Tridentinae sanctioni opposito, datis ad Eppum Suffraganeum literis contradixit. (*Mon.* 179.)

A. 1854 *Synodus Dioecesana Laudensis* errores de matrimonio vigentes perstringit, et inculcat: ex C. Tridentino et Bulla ‚Auctorem fidei' docendum esse populum, Ecclesiam semper gavisam fuisse potestate constituendi impedimenta, quae non tantum impediant sed nullum reddant matrimonii vinculum; sponsalia pariter haud esse mere civilem actum, sed Ecclesiae subiacere. (*Mon.* 180.) Eodem anno *Instructio pastoralis Eppi Eystettensis* in *Bavaria* ipsis Pii IX Papae verbis exprimit doctrinam catholicam de matrimonio et Ecclesiae in illud potestate, monens Clerum suae dioeceseos, ut principia Ecclesiae semper retenta et retinenda recentioribus impugnationibus opponat, et a captiosis legum eccles. interpretationibus cavere studeat. (*Mon.* 181.)

A. 1855 *Synodus Beneventana* clare enunciat: ea, quae de matrimonio laica praecipit potestas, civiles duntaxat effectus matrimonii respicere, suoque iure nec convalidare nec labefactare posse matrimonium. (*Mon.* 182.)

A. 1856 Commissio per Caesarem *Russicum* de executione Concordati nominata favorabilem de tractandis per Consistoria Dioecesana causis matrimonialibus opinionem praestitit. (*Mon.* 183.)

A. 1857 in *Würtembergico*, et a. 1859 in *Badensi* Concordato iurisdictio ecclesiastica quoad causas matrimoniales

stipulata est, iudicio de civilibus effectibus ad forum seculare remisso. (*Mon.* 184.)

A. 1858 *Synodus Tusculana* doctrinam Ecclesiae de matrimonio proponendo, iussit fidelibus inculcari: de fide tenendum venire, vinculum matrimonii esse indissolubile; porro attentis hostilibus in Ecclesiam incursibus erudiendos fideles, quod contractus matr. secundum ius naturae ita a Domino ad dignitatem Sacramenti sit evectus, ut in coniugio Christianorum sacramentum a contractu iam numquam liceat separare: tandem Ecclesiam solam legitima pollere facultate impedimenta statuendi. (*Mon.* 185.)

A. 1860 *Conc. Prov. Coloniense* succincte et cum motivis proposuit catholicam de matrimonio doctrinam, quoad quaestiones in controversiam vocatas asserendo: Ecclesiam solam, potestate propria, non a Principibus accepta, constituere impedimenta matr. dirimentia; matrimonia iuxta leges civiles inita, sed secundum leges Ecclesiae irrita, non esse veros et legitimos contractus, quum inter fideles matrimonium dari non possit, quin sit sacramentum, aliam itaque coniunctionem praeter sacramentum, merum concubinatum esse debere; causas matrimoniales ad Iudices Ecclesiasticos spectare. (*Mon.* 186.)

A. 1864 *Pius IX* Papa celebri Encyclica, qua errores plurimos aevi nostri, doctrinae catholicae et iuribus Ecclesiae oppositos confixit, errores etiam de matrimonio denuo proscripsit, quos alioquin iam prius variis oblatis occasionibus promerita notaverat censura, ut ex antecedentibus satis colligitur. (*Mon.* 187.)

A. 1865 *Synodus Prov. Ultraiectina* egregie illustravit catholicas de matrimonio propositiones. Exposita divina institutione, natura, et indissolubilitate ac sacramentali dignitate matrimonii, pronunciat: nil a christiano instituto magis fore alienum, quam matrimonium indifferenter iniri, profaneque celebrari a filiis Sanctorum. Porro edicit: ea solum forma, quam Tridentinum praescripsit Concilium, initum matrimonium esse validum, et, licet civiles quoque leges de contrahendo coram magistratu civili coniugio ob civiles effectus observari debeant, matrimonium tamen sic

nnice celebratum, et coram Ecclesia haud initum, concubinatum fore, non matrimoninm, cnius quippe validitas sola Ecclesiae lege regitnr; deniqne causas omnes, quae ad matrimoniale referuntnr vinculum, nonnisi ecclesiastica auctoritate iudicari posse. (*Mon.* 188.)

A. 1866 *Conc. Baltimorense plenarium II* in decretis damnavit errorem de divortio auctoritate legis civilis ita rumpendo, ut coniuges separati novum inire possint matrimonium; in epistola antem pastorali ad fideles dimissa praeter memoratum errorem de divortio civili, alias etiam falsas de matrimonio theorias reprobavit, utpote quod matrimoninm sit contractus civilis, quod idem coordinare ad civilem pertineat potestatem. Theorias similes et divinis eloqniis et constanti in Ecclesia doctrinae repugnare ostendunt Patres Baltimorenses. (*Mon.* 189 *a.*)

Eodem anno, 1866, S. Sedes mala et calamitates, quibus Ecclesia Catholica in *Russia* affligitur, officiose cnm documentis exponens, perstrinxit abnsum quoad indicatum causarum matr. illic vigentem, a canonica norma prorsns abludentem. Abusum hunc a. 1856 (ut snperius occurrit) ipsnm Russicnm Gnberninm agnovit, sed rem, non obstantibns S. Sedis repetitis adursionibus, ad canonicam normam exigere intermisit. (*Mon* 189 *b.*)

Anno 1867 *Synodus dioecesana Paderbornensis* instrui iubet fideles de eo, quod divortii sententia non ad Civilia Iudicia pertineat, sed ad Iudices Ecclesiasticos, de causis matrimonialibus pro suo iure cognoscentes. (*Mon.* 189 *c.*)

Eodem anno *Ordinariatus Friburgensis* in generali sua de gravaminibus Ecclesiae ad MDucale Ministerium Badense Repraesentatione contra proiectum legis de inducenda obligatoria civili matrimonii ineundi forma meritorias proponit reflexiones, et cnmprimis sequentia evolvit: matrimonium civile repugnare substantiae matrimonii, iuri actnali, et libero exercitio religionis catholicae; matrimonium non esse civile quodpiam institutum, sed morale et religiosum, ac de fide sacramentum; catholicos ins habere desiderandi, ut negotia ipsorum matrimonialia tamquam res religiosae et fornm ecclesiasticnm concernentes tractentur, et ipsi ad civilia connu-

bia contrahenda nequaquam adstringantur; matrimonium civile obligatorium esse verum praeiudicium et gravamen contra ius, moralem societatis consistentiam, et actum summe iniquum adversus Ecclesiam Catholicam. Sensa Ordinariatus sui subscripsit Clerus Dioecesanus Friburgi congregatus. (*Mon.* 190 *a.* 190 *b.*)

A. 1868. *Eppi Helvetiae* mense Aprili pro solitis Conferentiis simul congregati energicam ad Clerum et populum fidelem adversus sic dicta civilia matrimonia dimiserunt Encyclicam. (*Mon.* 191.)

B. *Monumenta.* **Mon. 140.**

Nota Cardinalis a Secretis Status ad Ministrum Regis Hispaniae de facultate Eppis concedi postulata quoad matrimoniales dispensationes. 1802.

SSmus Pater vehementissimo dolore commotus fuit, legendo desiderium Suae Mattis relate ad *matrimoniales Dispensationes*. Sua Sanctitas meminit, Hispaniam per Concordata a. 1753 et 1780 omnia Iura S. Sedis secura reddidisse. Moesto animo vidit, novas postulationes nonnisi novam denegationem producere posse. Sua Sanctitas Iuribus suis quoad substantiam renunciare, et quamdam speciem tantum illorum sibi reservare, non potest. Centrum Unitatis, incremento catholicae Religionis intentum, permittere nequit, ut iura Ecclesiae conculcentur. Numquid haec facultas Eppis in perpetuum concedi potest? Romanus Pontifex unica et suprema auctoritas est, quae exceptiones a positivis Legibus Ecclesiae indulgere potest. Pro tali Eundem catholici omni tempore habuerunt. Quae si non ita essent, visibile Caput Ecclesiae esse desineret. Si ipse a lege solvere non posset, irrestricta potestate clavium non gauderet; si alii quoque eximere possent, prima auctoritas in solo Pontifice non resideret. — In Nota Excell. Vrae dicitur: id fieri posse, quin auctoritati SSmi Patris quidpiam decedat. Quis unquam crediderit: activam potestatem irrevocabiliter atque in perpe-

tuum in inertem et iura sua non exercentem potestatem converti posse, et ex hac sui immutatione nullam prorsus laesionem suscipere? Occasione praeteritae Revolutionis, Pius VI suis Nunciis, penes diversas aulas residentibus, similem facultatem quidem concessit; verumtamen concessit illam saeviente tempestate. In Neapolitano regno, ubi Apostolicus Nuncius non fuerat, tres Eppi hanc facultatem consecuti sunt. — Motiva, quae tunc Summum Pontificem ad sic agendum determinarunt, in respectu Hispaniae non praeexistunt. — Sua Sanctitas persuasum tenet: Exc. Vram has rationes haud difficulter pro iustis agnituram. Romae 9 Ianuarii 1802. Consalvi. — Ex opere *Artaudii de Pio VII.*

Mon. 141.

Breve ad AEppum Moguntinum dd. 8. Octobr. 1803. In quo Edicta civilia pro favore dissolvendorum matrimoniorum in Bavaria ac alibi perlata perstringuntur, ac una declaratur: causas matrimoniales ad Potestatem Ecclesiae spectare, sententiamque laicorum tribunalium de nullitate connubiorum nullum in Ecclesia Catholica robur consequi posse.

Pius VII. Etsi Fraternitatis tuae literas die 16. Aprilis proxime elapsi ad nos scriptas iam pridem acceperimus, tamen iis hactenus respondere minime licuit tum propter multas easque gravissimas apostolatus nostri curas, quarum pondere in his praesertim temporum perturbationibus undique premimur, tum etiam propter magnitudinem gravitatemque rerum, quas in iisdem contineri perspeximus. Quum enim exortas isthic quasdam non leves de matrimoniis referas quaestiones, ac de iis nostrum exquiras apostolicum iudicium, quo certam ac tutam regulam omnes unanimi sensu teneant: ut maturius in re tanti momenti deliberare possemus, adhibitis in consilium nonnullis ven. fr. S. R. E. Cardinalibus, eorumque non minus, quam aliquorum theologica scientia praestantium virorum exquisitis suffragiis, easdem coram no-

bis examinandas curavimus. Ceterum religionem zelumque tuum inprimis, tuamque in hanc S. Sedem observantiam effusis ac plane debitis prosequimur laudibus, quod ex veteri more, institutoque maiorum hanc Petri cathedram consulendam esse censueris, non ignarus, antiquis regulis sancitum fuisse, ut quidquid, quamvis in remotis et longinquo positis ageretur provinciis, non prius tractandum vel accipiendum esset, nisi ad notitiam almae Sedis nostrae fuisset deductum, ut huius auctoritate, iuxta quam fuisset pronunciatio, firmaretur, indeque sumerent ceterae ecclesiae, velut de naturali suo fonte, praedicationis exordium, et per diversas mundi regiones puritatis incorruptae manerent fidei sacramenta salutis.

Atque ut ad rem accedamus, illud primo nobis in praedictis tuis literis significasti, Electorem Palatinum die 8. Nov. anni proxime elapsi Monachii pro tota sua ditione dedisse mandatum, quo protestantium matrimoniorum dissolutionem, acatholicorum conventuum sententia decretam, ubique tamquam validam habendam esse, nullumque impedimentum parti ita solutae, si catholico vel catholicae nubere velit, interponendum esse; tum vero a Marchione Badensi idem quoque mandatum decreto diei 31. Ianuarii curr. anni adoptatum fuisse tam pro terris Palatinatus inferioris ad tractum Rheni, quam pro reliqua tota sua provincia et ditione, ea tamen apposita conditione: parochum catholicum, ut secundis his nuptiis intersit, si suae religionis principiis id sibi vetitum indicaverit, neutiquam esse cogendum, sed illas inire cupientibus liberum esse, sibi per acatholicum ministrum copulationem procurandi, atque ita coniunctos potestate civili, quin eorum conscientiae foro sese ullo modo immisceat, quantum ad effectus civiles, fovendos tuendosque esse perinde ac si coram catholico parocho copulati fuissent; tum denique in eadem Badensi ditione ad istam Wormatiensem dioecesim pertinente exinde iam iterato contigisse, ut attentata per sententiam protestantici consistorii matrimonialis vinculi solutione partibusque in libertatem ad alia transeundi vota dimissis, harum una, vivente adhuc altera, novum matrimonium cum catholica parte inire contenderit, atque sacerdo-

talem benedictionem desuper expetierit. Porro, ut addebas, parochi anxio animo haerentes postulant, opportune instrui a te atque edoceri, quomodo in relatis similibusque casibus se gerere debeant. Quaerunt propterea primo: an tuta conscientia secundis illis nuptiis interesse possint? secundo: an, si hae coram ministro acatholico contrahantur, partem catholicam ad poenitentiae sacramentum accedentem absolvere, ad S. Eucharistiam admittere, prolemque inde nascituram, etiam quantum ad ecclesiasticos effectus, ut legitimam habere licite possint? De his autem concludebas ad nos scribere voluisse, ut controversiae omnes facilius et tutius iudicio nostro praeciderentur, tum in ista dioecesi, tum in aliis quoque dioecesibus atque ditionibus, ad quas memoratas leges extendi contingeret, atque ut norma seu regula quaedam generalis praefigeretur, cuius ope Episcopi uniformi congruoque sensu de secundi matrimonii valore iudicium ferre, et parochi confessariique omnem hac super re conscientiarum perturbationem amovere et privatam publicamque quietem tueri possint ac valeant. Ut ergo super praedictis ex nostro apostolicae sollicitudinis ministerio tibi opportune et cumulate respondeamus, duo hic praemittenda esse duximus, quae sane totius rei sunt veluti prima capita, quaeque, ubi praesertim agitur de matrimoniis tum catholicorum cum haereticis, tum haereticorum inter se vel ineundis vel dissolvendis, semper prae oculis haberi debent.

Atque horum primum est: catholicorum cum haereticis connubia Ecclesiam Catholicam tamquam illicita, perniciosa et detestabilia perpetuo interdixisse et reprobasse; quod innumeris possemus Conciliorum, Summorumque Pontificum decretis demonstrare, nisi abunde sufficerent ea, quae hac de re immortalis memoriae Pontifex Benedictus 14. praed. noster scripsit tum in encyclicis literis ad Poloniae Regni Primatem et Episcopos, tum in praeclaro suo opere de Synodo Dioecesana. Et licet in quibusdam regionibus propter locorum et temporum difficultatem eadem connubia tolerari contingat, id quidem ad eam referendum est aequanimitatem, quae nulla ratione approbationis et consensus cuiuspiam loco habenda sit, sed merae patientiae, quam ad maiora vitanda mala

affert necessitas, non voluntas, quemadmodum haud ita pridem fel. rec. Pontifex Pius VI. Episcopis Vratislaviensi, Rosnaviensi, et Scepusiano rescripserat.

Alterum vero est: sententiam laicorum tribunalium et acatholicorum conventuum, a quibus praesertim matrimoniorum nullitas declaratur, eorumque vinculi attentatur dissolutio, nullum robur vimque prorsus nullam penes Ecclesiam consequi posse Nam praeterquam quod ad Ecclesiasticos Iudices privative spectat de huiusmodi causis iudicium ferre, prout est a Tridentina Synodo speciali canone sancitum, neminem latet, heterodoxorum consistoria in praefatis causis expendendis et diiudicandis eas ut plurimum causas pro vinculi coniugalis solutione praetexere, quae ab Ecclesia Catholica numquam acceptae, imo a sacrosanctis Ecclesiae Conciliis atque a Tridentino praesertim expresse improbatae sunt. Ex quo sane consequitur, sententias huiusmodi tum semper tamquam irritas ob iurisdictionis defectum in iudicibus, tum saepe etiam iniustas ob damnata momenta rationum, quibus innituntur, contemni ac reiici omnino debere. Verum cum contingere quandoque possit, ut ipsi coniuges a consistorio acatholico coniugii vinculo soluti sentiant, nullam vim inesse apud Ecclesiam Catholicam istiusmodi iudicio, atque idcirco percupiant eius auctoritate matrimonium solvere: operae pretium est, significare tibi, quomodo Iudex Ecclesiasticus se gerere debeat. In hoc igitur instituendo iudicio curabit primum iudex ecclesiasticus, ut in conficiendis actis methodus illa, ordoque servetur, qui a praelaudato praedecessore nostro Benedicto 14. in Constitutione, quae incipit: *Dei miseratione*, perspicue sapienterque praescribitur. Quodsi non ferat id rerum temporumque conditio, facultatem tibi ac per te Episcopis suffraganeis tuis communicandam hoc in casu ad quinquennium concedimus et impertimur, a praedicta methodo recedendi, sub his tamen duabus conditionibus: prima, ut numquam in tractatione similium causarum deficiat matrimonii defensor, qui ex officio matrimonii, de quo est quaestio, iura et robur seu validitatem secundum canonum praescripta tueatur; altera, ut, si acta iudiciali methodo propter horum temporum calamitates confici neque-

ant, extraiudicialibus saltem atque omni alio, quo fieri poterit, modo suppleatur, ita ut nunquam desint clarae concludentesque rationes ad illustrandam confirmandamque rei veritatem omnino necessariae. Curandum etiam omnino est et summopere cavendum, ne in proferendo iudicio de nullitate aut validitate alicuius matrimonii iis iudex utatur inanibus rationum momentis, ex quibus passim acatholici pronunciant matrimoniale vinculum posse dissolvi. Haud unquam id tolerari potest, sed probandae sunt causae, quae concordi SS. Patrum sententia, Conciliorum ac Tridentini praesertim sanctionibus aptae iudicatae sunt ad nexus matrimonialis dissolutionem, quaeque sunt vel impedimentum dirimens, quod matrimonium praecesserit, nec dispensatione legitima fuerit relaxatum, vel conditiones, quae inter dirimentia impedimenta recenseri adhuc possunt, quaeque in pactum a coniugibus deductae, quae ipsius matrimonii substantiae opponuntur, quemadmodum eas in Calvinistarum praesertim matrimoniis interponi solere plurimi affirmant; qua de re egregie disserit Benedictus 14. in laudato opere de Synodo. Neque satis praeterea esset, unius duntaxat iudicii sententia totum hoc negotium absolvere. Ex memorata enim eiusdem Benedicti 14. constitutione decretum est, post primam sententiam matrimonii nullitatem decernentem ab ipsius matrimonii defensore interponendam esse appellationem, quae si deseratur per malitiam vel oscitationem vel collusionem defensoris, is, qui ex coniugibus non absoluto prius per duas sententias iudicio nuptias celebrare ausus fuerit, iis poenis plectatur, quae adversus eos, qui matrimonium contra interdictum ecclesiae contrahunt, statutae sunt, ac praesertim a cohabitatione alterius coniugis separetur, quoadusque altera sententia praecedentis confirmatoria super nullitate matrimonii emanaverit.

Quae hactenus disseruimus, eo praesertim spectant, ut, cum de matrimonii nexu dissolvendo agitur, posthabita neglectaque acatholici consistorii sententia, qualiscunque ea fuerit, novum atque integrum a iudicibus ecclesiasticis rite iudicium instruatur ac conficiatur. Restat nunc alia perpendere quaestionum capita, quae tuis literis nobis proposuisti.

Quaerebas, quid agendum sit a parochis catholicis, cum aliquis ex coniugibus per sententiam consistorii acatholici solutus a priori matrimonio ac suae libertati restitutus, si velit cum catholico aut catholica nubere, possitne parochus his nuptiis assistere et benedictionem nuptialem impertiri, quod bis tentatum fuisse in ipsa dioecesi narrabas? At tu ipse ea, qua praestas, sapientia vides, ven. frater, gravissimum commissuros scelus, suumque sacrum ministerium prodituros esse eos parochos, qui has nuptias sua praesentia probarent, suaque benedictione firmarent. Neque enim illae nuptiae dicendae sunt, sed potius adulterina connubia. Perstat enim immotumque manet impedimentum ligaminis ex vinculo prioris matrimonii, quod per sententiam acatholici consistorii relaxari ac dissolvi non potuit; quo durante ac persistente impedimento, si vir foeminae coniungitur, adulterium est. Quapropter svavibus verbis ac blandis et efficaci sermone potius a parocho adhortandus est coniux ille, ne tantum facinus committat, ac ne contra Dei legem peccet, quam idem ab ipso mundi primordio tulit dicens: Quod Deus coniunxit, homo non separet. Quodsi propositi tenax morigerum se parochi monitis praebere renuat, et turpi adulterio cum coniuge acatholica copuletur, sitque aleae ac periculi plenum, ipsique religioni fortasse noxium, ulterius obsistere et contraniti: silere quidem et tolerare tam immane facinus parochus poterit, numquam vero vel copulationi interesse, multo minus benedictionem impertiri. Iubeat, increpet, minetur laica potestas: obedire magis Deo oportet, quam hominibus. Sacerdos Dei (verbis utimur divi Cypriani) Evangelium tenens et Christi praecepta custodiens occidi potest, vinci non potest. Hanc in parochis tuis constantiam te auctore et vindice minime defuturam nobis in Domino pollicemur. Verumtamen oportet, quemadmodum abs te, Ven. frater, petimus et enixe efflagitamus, ut eos erigas, doceas atque horteris, ne ut decet ministros Christi et fideles dispensatores mysteriorum Dei, sancta canibus proiiciant; atque propterea numquam scelestis hisce nuptiis sese immisceant, imo etiam si catholicum coniugem suae professionis oblitum apud ministrum acatholicum palam et publice se copulare faciat, quoniam istud peccatum publi-

cum ac notorium cum maxima bonorum offeusione evasurum esset, illum posthabita omnis temporalis iacturae formidine a sacramentorum participatioue reiicere, prolemque ex adulterio suscipiendam quoad effectus ecclesiasticos tamquam adulterinam habere et recognoscere tenentur. Neque vero nos quae afferuntur pericula terrent, neque ab iis Principibus, qui in istis regionibus tuo spirituali regimiui concreditis imperant, quidquam formidamus, quod Parochos Christique sacerdotes in eas adigant angustias, nt vel suo muneri desint, vel Principis indignationem incurrant. Iu ditione Badensi eo edicto, cuius ab initio meminimus, vis nulla infertur parochorum conscientiae, si novis nuptiis illorum couiugum, qui a consistorio acatholico prioris matrimonii vinculo sunt liberati, interesse nolint; iu Bavarica aut Palatiua quamvis asperius quidqnam sit hac de re mandatum, haud tamen parochis catholicis praeceptum est, ut novis nuptiis intersiut, easque sua benedictione confirment. Speramus autem Ser. Bavariae Ducem Catbolicum egregiae indolis Principem suomet ingenio ac tuis etiam precibus hortatiouibusque adductum iri, nt saniora hac de re consilia suscipiat. Veremur potius, parochorum constantiam labefactari posse ab ea opinandi libertate, quae passim nunc serpit, ac plurimorum mentes corrumpit atque a servandis sanctissimis Ecclesiae legibus et praesertim huius Ap. Sedis constitutionibus abripit ac divertit. In hac ipsa, de qua agimus, causa tres inquis esse Theologorum ac Iurisperitorum sententias, diverso tamen iure suhnixas, quae conciliandis his novis nuptiis cum parochorum catholicorum praesentia favent ac suffragantur. Alii sentiunt, haereticorum matrimouia sacramenta non esse, sed civiles tautum contractus, atque adeo perpetui ac indissolubilis vinculi lege non teneri. Alii haereticos autumaut Ecclesiae baud esse subiectos neque suis legibus obnoxios, quin possint ad alia vota transire, si publica consistorii auctoritate a prioris matrimonii vinculo liberentur. Alii demum tuentur, haereticorum matrimonia coram ministro haeretico inita insito quodam nullitatis vitio infici, ac proinde si iterum nubant coram parocho catholico aut inter se aut cum catholico coniuge, hoc secundum matrimonium uti validum esse.

agnoscendum. Operae pretium ducimus delibare aliqua ad has opiniones refutandas et eliminandas; nam omnia persequi neque nostri instituti est, neque tuam doctrinam et iuris canonici peritiam fugere potest, quanta sit illarum opinionum vel perversitas vel fallacia.

Quod enim eos attinet primo loco memoratos, praetermissa quaestione illa, de qua nihil modo statuere volumus, an haereticorum coniugia coram ministro acatholico contracta sacramenta sint nec ne? illud certe, quod ad rem pertinet, exploratum est, coniugale foedus a prima sui institutione, antequam ad Sacramenti dignitatem elevaretur, divino iure indissolubile prorsus perpetuumque exstitisse, quemadmodum egregie observasse Patres Tridentinos in doctrina de Sacr. Matr. ipsemet Benedictus 14. luculenter ostendit. Et licet talis indissolubilitas matrimonii vinculo conveniat maxime, quatenus est sacramentum, tamen id etiam, quatenus est naturae officium, convenit, ut dissolvi non possit, et prolis educandae studio et aliis matrimonii bonis repugnat, ut eius vinculum sit dissolubile, quemadmodum Catechismus eiusdem Concilii Tridentini iussu editus disertis verbis nos edocet. Sed quid dicendum erit de illorum sententia, qui iactant, haereticos Ecclesiae legibus nequaquam subiici, atque inde posse illos novo coniugii foedere copulari, si primum publicae auctoritatis iudicio solutum fuerit, praepostere inferunt? adversus illam clamant Scripturae, Concilia, traditio denique universa. Omnium instar sit Tridentina Synodus, quae Sess. 24. cap. 11. non baptisatos a baptisatis distingvens illos tantum Ecclesiae iudicio proindeque legibus non subiici affirmat, cum Ecclesia in neminem iudicium exerceat, qui non prius in ipsam per baptismi ianuam fuerit ingressus. Hi baptisati ergo Ecclesiae filii — quamquam rebelles et transfugae — qui eiusdem Ecclesiae legibus subiiciuntur; quare suam in illos potestatem exercere numquam praetermisit Ecclesia, potestate sibi divinitus tradita, quemadmodum infinitis propemodum historiarum monumentis testatum est, ac idem Concilium Tridentinum non modo novissimos de matrimonio eiusque indissolubilitate errores, sed ipsos quoque errorum auctores diro anathemate percutit. Verum neque hic locus

est, vindicandi Ecclesiae ius, quo haereticos suis legibus comprehendit: neque enim de ecclesiastica lege, sed de divina agimus, quam Deus ipse tulit de matrimonii indissolubili vinculo, cui nemo refragari potest, sit ille haereticus sive etiam paganus. Tertia demum illorum opinio docentium, matrimonia haereticorum coram ministro acatholico inita generatim nulla esse, atque adeo validas fore secundas eorum nuptias, si modo coram catholico parocho contrahantur, neque undique vera est nec satis tuta, neque idcirco in praxi quibuscunque in casibus indiscriminatim sequenda. Probe enim novit Fraternitas tua, huius generis matrimonia rata et firma consistere iis in locis, in quibus Concilii Tridentini decretum vel numquam observatum tamquam eiusdem Concilii decretum, vel, si quando observatum fuit, longo deiu temporis intervallo in desvetudinem abiit. Hinc factum est, ut praefata opinio, quae matrimonia inter haereticos contracta coram ministro acatholico generatim nulla et irrita esse propugnat, adversarios semper habuerit et numero plures et auctoritate praestantissimos, adeo ut vix aliquem retinuerit probabilitatis gradum, maxime post editam a Benedicto 14. a. 1741. pro matrimoniis Hollandiae celeberrimam declarationem. Cave igitur, Ven. frater, tuoque exemplo tuisque monitis edoce Episcopos Suffraganeos tuos, ne in praefatis matrimonialibus casibus expendendis et diiudicandis pravis hisce doctrinis fallacibusque rationibus decipiantur, sed Concilii Tridentini canones et decreta ad amussim observent et sequantur. In hoc enim iudiciorum genere instituendo si quandoque coniuges ab acatholico consistorio matrimonii vinculo soluti, haud confidentes tamen levi atque infirmae auctoritati ad Ecclesiae forum confugiant, suumque matrimonium irritum declarari petunt, iterum dicimus atque mandamus, iudicem sequi debere formam conficiendi processum in methodo, quam supra descripsimus, matrimonium vero irritum minime renunciari posse declaramus, nisi ex iis causis, quas supra recensuimus, quasque utpote cum Ecclesiae doctrina et unanimi Patrum et Doctorum Catholicorum sententia consentaneas Sedes Apostolica approbavit.

Ad plenam propositae abs te quaestionis explanationem restat nunc declarandum, an ii coniuges catholicae religionis cultores, qui sola acatholici consistorii auctoritate excusso prioris matrimonii vinculo ad secundas nuptias coram ministro acatholico properaverint, deinde admissi sceleris poenitentes veniam humiliter petant, possint ad sacramentorum participationem admitti? Sed nulla in hac re potest esse dubitatio, siquidem veros poenitentiae fructus faciant, quorum primum illum esse oportet, ut a secundo coniuge separentur, si prior vivat adhuc, sin vero decesserit et uterque coniux sit catholicus, Episcopus statuat, quid factu opus fuerit, ut rite sancteque matrimonium contrahi possit; sed si catholicus alter ex coniugibus fuerit, qui cum catholico velit nuptias inire, vel in eo casu, quo vinculum prioris sui matrimonii per duplicem sententiam iudicis ecclesiastici rite ac legitime dissolutum fuerit, vel in altero, quod per mortem alterius coniugis primum matrimonium suapte natura disruptum ac discissum, tunc caute et maxima adhibita diligentia se gerant Episcopi. Huiusmodi enim matrimonia inter unam partem haereticam et alteram catholicam cum Ecclesia semper detestata fuerit et severissimis legibus interdixerit eo vel maxime, quod plerumque subest grave periculum pervertendi et abstrahendi a fide coniugem catholicum, et anceps ac dubia sit educatio prolis utriusque sexus in religione catholica, christiana caritate et svavitate, quantum fieri poterit, avertant Episcopi ac reiiciant talia coniugia. Quodsi periculum perversionis coniugis removeatur et prolis educatio catholica in tuto sit, iis adhibitis conditionibus, quas Benedictus 14. in supra memoratis literis ad Poloniae Primatem et Episcopos diligenter servari praescripsit, tuque, Ven. frater, aut Episcopi tui suffraganei a nobis petierint aliquo in casu et ex urgentissima causa dispensari, non recusabimus vestris precibus assentiri, si id religionis bonum et animarum salus postulare videatur.

Haec ad te plenius scribenda putavimus, Ven. frater, non solum ut postulatis tuis faceremus satis, sed etiam ut in iis quaestionibus, quas circa matrimonia proposuisti, certam haberes ab hac Apost. Sede regulam, quam si tenebis, facile

ac tuto eas solvere ac dirimere poteris. Ac tibi, Ven. frater, ovibusque tuis apost. benedictionem amantissime impertimur. Datum iu arce Gandulfi Alban. dioec. die 8. Octobris a. 1803. — *Ex Bullario Pii VII.*

Mon. 142.

Pius VII PP. Eppo Posnaniensi de matrimonio, quod pure per civile forum divortiatum est, nequaquam pro irrito habendo, a. 1804.

Gravissimum saue ac summi momenti negotium est, de quo tuis literis iudicium nostrum postulasti; neque eiusmodi est, ut una responsione expediri universum possit. Quaeris videlicet: „num Elisabetha Zbyewskia catholica cum Augustino Recherer acatholico in foro seculari divortiata, secluso omni scrupulo tute iuxta ritum S. Romanae Ecclesiae iu novo matrimonio cum alio viro collocari possit necne?‘ Plura hic, ut rectum emittatur iudicium, explananda sunt. Principio, ut ex tuis literis apparet, hoc matrimonium solutum videtur non ob aliquod canonicum sed ob civile impedimentum; et vero solutum laici iudicis auctoritate; utrumque autem facit, ut matrimonium irritum haberi nequeat. Nam canonica impedimenta ab Ecclesia approbata, qualia sunt metus gravis, defectus consensus, cognatio aut affinitas intra gradus vetitos, cetera similia omnem sane vim adimunt matrimonio; sed non est ita de impedimentis, quae civilia dicuntur, quoniam a civili auctoritate procedunt, qualia sunt defectus consensus parentum aut curatorum, et cetera generis eiusdem. Itaque cum matrimonium inter Elisabetham catholicam et Augustinum acatholicum tantum civile habeat, uti ex tuis literis colligitur, non autem canonicum aliquod dirimens impedimentum, manifestum est, illud incolume esse oportere, neque vivo Augustino Elisabethae licere alias nuptias conciliare. Quodsi etiam huic matrimonio officeret et obstaret canonicum aliquod dirimens impedimentum, non ideo tamen irritum haberi posset propterea, quod laici iudicis sententia et auctoritate irri-

tum declaratum est. Nam *causae matrimoniales non ad laicos, sed ad ecclesiasticos iudices pertinent; quae notissima est C. Tridentini definitio* Sess. 24. c. 12: ‚Si quis dixerit, causas matrimoniales non spectare ad iudices ecclesiasticos, anathema sit.' Quin ne omnibus quidem promiscue iudicibus ecclesiasticis huiusmodi causas eadem Synodus permissas voluit, lata lege ead. Sess. cap. 20, quae his est concepta verbis: ‚Causae matrimoniales non decani, archidiaconi aut aliorum inferiorum iudicio, etiam visitando, sed Eppi tantum examini et iurisdictioni relinquantur.' Inprimis autem, uti animadvertit Benedictus XIV de Syn. Dioec. l. 9. c. 9. n. 3. nullo Catholicorum contradicente in solo Ecclesiae foro sunt pertractandae illae matr. causae, quae versantur circa initi coniugalis foederis firmitatem. Quod aptissime quadrat in rem nostram. Non enim Elisabethae matrimonium alterum permitti potest, nisi antea Iudicis Ecclesiastici sententia definitum sit, initum ab ea coniugale foedus cum Augustino firmitatem non habuisse. Pergis porro, ven. frater, in tuis literis, atque ais: ‚Cum autem matrimonium ut Sacramentum apud catholicos nullatenus dissolvi, verum tantummodo si cum impedimento dirimente contractum fuerit, pro nullo declarari posse considerem, exindeque in praemissis opem ferre Elisabethae oratrici non valeo.' Recte quidem ac sapienter animadvertis, matrimonii consummati vinculum apud catholicos non dissolvi, sed tantum irritum declarari posse, si cum dirimente eoque canonico impedimento contractum fuerit. Quibus ex verbis intelligimus, nullum huiusmodi impedimentum obstitisse nuptiis Augustini et Elisabethae; quia si quid tale evenisset, tute ipse ea de re iudicium suscipere servata forma, quam praescribit Bened. XIV. const. ‚Dei miseratione', atque ita Elisabethae oratrici opem ferre potuisses. Quod cum ita sit, uti revera esse significas, haud sane perspicimus, ecquod a nobis adhiberi remedium possit; cum omnes sciant, summam quidem esse Romani Pontificis potestatem, sed tamen tam late patere non posse, ut e medio tollat rite recteque initum et consummatum matrimonium. An forte coniugium illud, de quo quaeritur, tantum ratum, non consummatum est, (neque enim

id explicas literis tuis) ita, ut apostolica auctoritas desideretur pro solutione matrimonii rati et non consummati? At si ita est, supplicem ea de re libellum nobis offerre oportet secundum formam a Benedicto XIV stabilitam in cit. Const. §. 15. resque omnis accurate nobis enarranda est, ac iustae patefaciendae causae, propter quas apostolica auctoritas merito adhibenda videatur. Iam igitur facile noscis, ven. frater, quid de Augustini et Elisabethae matrimonio iudicandum sit. Nimirum si ab eo dirimens abest idque canonicum et ab Ecclesia approbatum impedimentum, eius firmitas in discrimen revocari non potest; contra si hoc impedimentum adest, id a te rite acto iudicio noscendum est, ut matrimonium irritum iudicaretur servata forma laudatae Benedictinae Constitutionis; atque ut faciliori, qua fieri ratione potest, causae huius iudicium explere valeas, apostolica auctoritate facultatem tibi impertimur, in ea procedendi servata saltem in substantialibus memoratae Constitutionis dispositione. Denique si de matrimonio agitur tantum rato, quod apostolica auctoritate solvi desideras, nobis aperiendae sunt causae, ut res tanti momenti ea, qua par est, diligentia absolvatur. — Datum Romae die 23. Iunii 1804. — *Ex Regest. Vatic. Pii VII. an. V. fol. 21.*

Mon. 143.

Uberior expositio et reclamatio Sedis Apostolicae super gravaminibus ex ordinationibus Electoris Palatino-Bavari ortis, per notam ministerialem communicata. 1805.

Quoniam Apostolica Sedes Summos Principes, quos Deus populorum suorum terreno praefecit imperio, atque eos inprimis, qui S. Romanam Ecclesiam tamquam matrem et magistram agnoscunt coluntque, debito semper observantiae et caritatis studio prosequitur, cogitur ea nonnunquam eodem impellente caritatis honorique Principum consulendi studio de occultis errorum et iniquitatum laqueis illos commonefacere et paterna hortari sollicitudine, ne bonitatem animi

sui, ipsumque, quo tenentur, catholicae religionis conservandae propositum pravis quorumdam hominum suggestionibus circumveuiri patiautur, quas quidem Innocentius PP. III. immissiones per augelos malos merito nuncupavit.

In ditionibus Palatino-Bavaris non paucae per duos iam annos emanarunt Electorales ordinationes, eaque nomine et auctoritate Electoris publice gesta sunt, quae eodem tempore, quo nihil ea officere catholicae religioni certisque Ecclesiae iuribus obtenditur, gravissima utrisque ac prope lethalia infligunt vulnera, tam ambiguis videlicet verborum captionibus tamque speciosis falsisque obtentibus cuncta aut typis literisque exarata aut ipso opere perpetrata sunt.

— Alio posteriore regiminis decreto de die 23. Aug. 1803. Episcopo adimitur cognitio ac potestas iudicandi in causis spousalium, impraegnationis et separationis a thoro et mensa. Alio itidem decreto de die 18. April. 1804. interdicitur Episcopo interponere auctoritatem suam in supplendo parentum ac tutorum consensu. In his aliisque de re ecclesiastica decretis pessimum illud est errorumque caput, quod regimen Palatino-Bavaricum iudicium definitivum pronunciandi de eo, quid iuris politici, quid ecclesiastici sit, sibi soli arroget privative, nulla Ecclesiae et Conciliorum ac speciatim SS. Conc. Tridentini habita ratione. Opposuerat decretis iisdem Episcopus Herbipolensis Tridentinum canonem 12. de Sacr. Matrimonii, ac responsum tulit a regimine: non decidi a Concilio, eane iurisdictio Ecclesiae in causis matrimonialibus ex iure Ecclesiae vere competente et proprio, an potius ex iure Ecclesiae cesso a Principibus proveniat: admisso etiam, hanc fuisse PP. Tridentinorum mentem, ut de iure Ecclesiae vere competente proprioque canonem statuerent (quod tamen supposita Concilii infallibilitate admitti non potest), ob id per eam decisionem potestati territoriali praeiudicari et derogari tam parum potuisse, quam per complures alias decisiones, veluti Sess. 4. de edit. et usu SS. Libr. et Sess. 25. c. 20. de ref. Haec quidem adeo indigna sunt in ore hominum catholicorum minimeque ferenda, ut refutari hoc loco pluribus verbis non debeant. Ait praeterea regimen in responso ad Episc. Herbipolensem dato, per inductam in

mundum Christi religionem iura politicae potestatis nec Principibus secularibus ademta fuisse, nec in praesules Ecclesiae translata: nihil ergo illorum omnium ad ius Ecclesiae pertinere, quae ante Christum natum potestati Principum secularium fuissent subiecta, aut quae hodie etiam politico regimini principum infidelium vel protestanticorum subessent. Si per christianam religionem nihil detractum est de iuribus Principum, cur non etiam iubent principem suum assumere Pontificatum Maximum, quod imperatores ethnici fecerunt? Quoniam scilicet, ut S. Ambrosius ep. 20. ad Marcellinam sororem scribit, vulgo dicitur, quod Imperatores sacerdotium magis optaverint, quam imperium sacerdotes. Nihil porro dedeceret magis catholicum principem, quam contra Ecclesiae Cath. iura Protestantium se exemplo fulcire. Verum ne hoc quidem hac in re illum iuvat; quippe si principes protestantes iura ecclesiastica in subditos suos protestantes exercent, id non faciunt vi superioritatis territorialis et qua principes, sed qua episcopi ipsorum ob ea iura in se a communitate translata, quemadmodum ipsi docent protestantes: Pütter Inst. Iur. Pr. Germ. §. 423. Geor. Lud. Boehmerus Princ. Iur. Can. Gott. 1779. §. 340: causae matrimoniales non quatenus matrimonium est sacramentum, sunt ecclesiasticae, sed quatenus potestati et iurisdictioni eccles. subsunt. At Ecclesia Catholica eiusque praesules nihil eccles. iuris in causis matrim. transtulere in principes laicos, nec omnino transferre poterant, cum matrimonium secundum veritatem catholicam sacramentum magnum sit in Christo et in Ecclesia. —

Mon. 144.

Pius VII AEppo Ratisbonensi de edicto Badensi iuribus Ecclesiae adverso, et de dispensationibus matrimonialibus in gradibus arctioribus, a. 1807.

Cum legimus exemplar *Edicti* editi a *Magno Duce Badensi*, quod ad nos misisti, ven. frater, cum literis a te datis

nen. Sie werden mit uns bemerkt haben, dass mehrere Artikel des genannten Gesetzes mit den Grundsätzen und den Rechten der kath. Kirche nicht einig gehen können. Ohne hier diese Artikel einzeln anführen zu wollen, mag es genügen zu bemerken, dass das fragliche Gesetz die Kirche der Verzeichnisse beraubt, die ihr Eigenthum sind, ihre Führung der Geistlichkeit hinwegnimmt, und eine vollständige Trennung zwischen den kirchlichen und Civilverzeichnissen sanctionirt. Wir denken aber, es liegt darin eine Verkennung der Grundsätze der Gerechtigkeit, des Wesens des Katholicismus und der geheiligten Rechte der Kirche. Es ist ja wirklich die Kirche, welche die Einführung solcher Verzeichnisse in den kath. Pfarreien befiehlt, und zwar zu dem religiösen Zwecke, damit konstatirt werde: 1. dass die Taufe und die Ehe, deren Spendung, wie die aller andern Sacramente, ausschliesslich dem Kirchenamte gehört, gültig und nach den Principien des wahren Glaubens ertheilt worden seien; 2. dass die auf den Friedhöfen, welche die Gebete und Ceremonien der Religion geweiht haben, beerdigten Todten in der Gemeinschaft der kath. Kirche abgeschieden sind. Daraus ist es sonnenklar, dass diese Verzeichnisse, die rein kirchlicher Einrichtung sind, nicht bürgerliche sondern im vorzüglichen Sinne kirchliche Akten enthalten, und folglich unter die Competenz der geistlichen Gesellschaft, d. h. der Kirche fallen; ihr gehört also die Abfassung dieser Akten und die Führung der Bücher, in welchen sie niedergelegt werden, so wie das Eigenthumsrecht alles dessen, was sie in dieser Beziehung durch das Organ der Priester, ihrer Diener thut. Wir wissen, dass die weltliche Macht den fraglichen kirchlichen Büchern bürgerliche Wirksamkeit zuerkannt hat; sie hat es bis auf diesen Tag im Kanton Freiburg gethan, und sie soll es in jedem kathol. Lande thun, kraft des Grundsatzes, dass eine kath. Regierung die kirchliche Gesellschaft anerkennen und den religiösen Stand der Bürger als Grundlage ihres bürgerlichen Standes annehmen soll. Aber auch dann verlieren diese kirchlichen Akten nichts von ihrer religiösen Natur, wie sie nie etwas davon verloren haben, und sie bleiben ungeachtet aller Wirkung in Civilsachen religiöse, als solche anerkannte und

sanctionirte Acten. Wir müssen indessen bemerken, dass die weltliche Macht, so lange sie den kirchlichen Acten Gültigkeit in bürgerlichen Sachen zuspricht, das Recht hat, sich mit der geistlichen Behörde zu verständigen, um Nachlässigkeiten, Ungenauigkeiten, Mängel der Angaben in der Führung der Register zu verhüten oder dieselben zu verbessern. Dieses Recht achtend hat sich die Diöcesanbehörde immer bereitwillig gezeigt, sich zu jedem Ansuchen, das man ihr machte, herbeizulassen, und sie hat ihre Beistimmung gegeben, dass ein Abgeordneter der weltlichen Macht in Verbindung mit ihrem Bevollmächtigten die Pfarrbücher untersuche. Wenn die weltliche Behörde diese kirchlichen Acten nicht ferner anerkennen will, um dann rein bürgerliche Register einzuführen, wollen wir vom menschlichen Gesichtspunct aus den Gebrauch, welchen sie von ihrem Ansehen zu machen vorgieht, nicht beurtheilen; aber es ist gewiss, dass sie dadurch, wie wir oben zu verstehen gegeben haben, aufhört, die durch die kathol. Principien vorgezeichnete Bahn zu wandeln, und dass sie zugleich eine unglückliche Spaltung einführt, welche eben so wohl die zeitliche Wohlfahrt als die geistigen Interessen der Gesellschaft gefährden muss. Denn das System einer gänzlichen Trennung der kirchlichen von den bürgerlichen Registern, wo man sich begnügt die Geburten einzutragen, würde dem Familienvater die traurige Freiheit lassen, die Kinder der Gnade der Taufe zu berauben und bei ihrer Erziehung allen religiösen Einfluss fern zu halten; es würde die Regierung eines kath. Landes verleiten, das Sacrament der Ehe einem ganz profanen Contracte gleichzustellen; es könnte sie sogar dahin führen, die verderbliche Theorie der bürgerlichen Ehe anzunehmen, welche oft Verbindungen, die nichtig und von der Kirche verworfen sind, als rechtmässig vor dem Gesetze sanctionirt, und so wenigst indirekt das Konkubinat, den Incest und Ehebruch gutheisst. In jedem Falle scheint es uns, dass das fragliche Gesetz keine rückwirkende Kraft haben kann, dass es der weltlichen Macht kein Recht auf Bücher übertragen kann, die bis auf diesen Tag das Eigenthum der Kirche gewesen sind. Wir könnten beisetzen, dass dasselbe für den ehrw. Klerus einen Beweis

von Misstrauen enthält, welches derselbe gar nicht verdient hat, dass es seine erworbenen Rechte antastet und allen angenommenen nnd bis jetzt beständig respectirten Übungen entgegen ist. Aus diesen Gründen und um die Forderungen des genannten Gesetzes, so viel möglich, mit den Pflichten des Gewissens zu vereinigen, laden wir Sie ein, in Betreff der Auslieferung der Pfarrregister folgende Handlungsweise einzuhalten : 1. In dem Falle, wo bis jetzt die Einschreibungen nicht täglich und pünctlich stattgefunden haben, werden Sie Sorge tragen, die Lücken so bald als möglich anszufüllen. 2. Sie werden zum Voraus ein Inventarinm der Pfarrregister, welche Sie dem bürg. Funktionär zu übergeben aufgefordert werden, abfassen; in diesem Inventarinm bemerken Sie, welchen Zeitraum jedes dieser Register umfasst; Sie bemerken es besonders, wenn Sie im Falle sind, ein solches auszuliefern, von dem Sie kein Doppel haben. 3. Sie verfassen nach beigefügter Formel einen Akt, der die drei folgenden Stücke enthalten soll: a) eine Verwahrung, wie sie die Aufrechthaltung der Grundsätze und Rechte der Kirche fordert; b) das oben bezeichnete Inventarium; c) den Verbalprocess der Auslieferung der Bücher. Wenn die Bevollmächtigten der weltlichen Regierung bei Ihnen erscheinen, um die fragliche Hinausgabe zu verlangen, werden Sie diesen Akt datiren und unterzeichnen, in den drei Pfarrbüchern, wenn Sie es nicht bereits gethan haben; er soll auch von den genannten Bevollmächtigten nnd von zwei Ihrer Pfarrgenossen, die Sie als Zeugen erbeten, unterzeichnet werden. Wenn die Bevollmächtigten ihre Unterschrift verweigern, so wird auch diese Verweigerung angemerkt am Ende des Verbalprocesses, und der Akt soll in jedem Falle von Ihnen und den Zeugen unterzeichnet werden. Der genannte Akt wird auch mit gegenwärtigem Circnlar in die drei Pfarregister, welche Sie behalten werden, nach der letzten Einschreibung eingetragen; eine Copie desselben soll uns unmittelbar darauf übermacht werden. 4. Wenn die Bevollmächtigten nicht in das Pfarrhaus kommen, sondern Sie einladen, die Bücher an einen bezeichneten Ort zu bringen; so werden Sie sich dahin beschränken, die Bücher den zwei erbetenen Zeugen zu übergeben, und

diesen Umstand am Ende des Verhalprocesses anmerken; dann setzen Sie dem Akte Ihre Unterschrift bei, so wie auch die zwei Zeugen, und das in jedem der Register, die Sie ausliefern. Die Zeugen werden diese Register an den bezeichneten Ort hintragen, und von den Bevollmächtigten die Unterschrift des Aktes und einen Empfangschein für die eingehändigten Register verlangen. Dieser Empfangschein wird in jedes der zurückbleibenden Pfarrbücher eingetragen. 5. Bis auf weitere Weisung werden Sie fortfahren, die Pfarrregister abzufassen und zu führen, wie Sie bisher gethan haben, mit dem Unterschiede, dass Sie nicht mehr nöthig haben werden, dieselben doppelt zu führen. — Freiburg, den 10 Juni 1850. — *Schweizerische Kirchenzeitung.* 1850. p. 262.

Mon. 172.

Card. AEppus Mechliniensis contra civilia matrimonia. 1851.

In Congreg. Decanorum anni 1851. Cum christianae aeque ac civilis societatis magnopere intersit, ut iuxta monitum Apostoli I Thess. 4, 4. nuptiae in sanctificatione et honore habeantur, parochi confessarii ac concionatores quae in hac re officii sui sunt,cum omni diligentia servare debent: qualia praecipue sunt quae sequuntur: I. Inprimis cum Catechismo Romano diligenter animadvertant, tum S. Paulum, tum Apostolorum Principem quae non solum ad dignitatem, sed etiam ad officia matrimonii pertinebant, pluribus locis accurate scripta reliquisse. Divino enim Spiritu afflati optime intelligebant, quanta et quam multa commoda ad christianam societatem pervenire possent, si fideles matrimonii sanctitatem cognitam haberent et inviolatam servarent, contra vero ea ignorata vel neglecta, plurimas maximasque calamitates et detrimenta in Ecclesiam importari. Quare valde solliciti sint, ut quae de hoc Sacramento fidelibus scitu necessaria sint, accurate in catechismis et concionibus doceant et explicent. — 4. *Doceant servanda esse, quae de matrimonio lege civili praescripta*

sunt, ne coniuges et proles effectibus civilibus priventur. Addant vero, ex lege Dei et Ecclesiae nullum esse matrimonium, nisi coram parocho et duobus testibus contrahatur, atque adeo tamquam publice concubinarios habendos esse, qui solis civilibus formis adimpletis simul cohabitant. — *Tractatus de Sponsalibus et Matrimonio.* Mechliniae. 1861. p. 421. ss.

Mon. 173.

Statuta Dioecesis Leodiensis de iure Ecclesiae matrimoniali. 1851.

Tit. VII. c. 8. §. 217. Sciant confessarii, omnes causas matrimoniales spectare ad Iudicem Ecclesiasticum. Hinc nec maritum nec uxorem, propria auctoritate separatos, ad sacramenta admittant, nisi prius ab Officialitate vel uterque vel pars innocens licentiam separationis obtinuerit. Attamen parocho partes Officialis agere permittimus erga coniuges pauperes, ut partem innocentem ad sacramenta recipiat, si absit scandalum et civilis divortii periculum. — *Statuta Dioecesis Leodiensis in Syn. Dioec. promulgata.* Leodii. 1851. p. 167.

Mon. 174.

AEppus Mohiloviensis in Russia, de statu religionis et ecclesiae Summo Pontifici referens, attingit abusum quoad divortia illic vigentem. 1851.

— S. Sedes Apostolica a multo iam tempore edocta est de illa *divortiorum matrimonialium* clade, quae tantopere nostram regionem infestat. Eppi fidem sibi spoponderunt, iunctis viribus abolere hunc abusum, quem' etiam Imperator noster in quavis sua audientia Eppatui exprobrare in deliciis habet. *Gubernium* vero *divortiorum tutelam gerit, atque in illis, contemta lege ecclesiastica, suas partes agit.* In omni fere hebdomade adminimum duo supplices libelli in nomen Suae

Caesareae Maiestatis a catholicis porrecti leguntur in Collegio Petropolitano, ubi adspirantes ad divortium inconvenientissimo modo in Eppum vel eius Consistorium accusationem deponunt. Quodsi a Collegio ad proprium iterum Eppum remittantur, tum illi precationem in scriptis offerunt Ministro vel etiam Imperatori; qui a potestate ecclesiastica aut exigunt tantummodo rei explicationem, aut eam angustioribus adhuc limitibus cohibent. Si femina optans convolare ad novas nuptias intendit obtinere primi vinculi solutionem propter simulatum impedimentum canonicum, Eppus praevie imponit ei obligationem exolvendi exercitia spiritualia in monasterio virginum: sed regimen civile mox resistit huic ordinationi eppali, utpote in illa cernit incarcerationem personalem, quae ad potestatem civilem exclusive pertinet. *Indagationes matrimoniales respectu vis, metus, raptus, aliorumque impedimentorum Ministerium suae potestati subiiciens officialibus Politiae praecommittit*, quibus vulgo omnia sunt venalia, atque sic facta inquisitio per custodes Politiae remittitur Consistorio catholico ad ferendam sententiam iudicialem. Vel *si petitores catholici deprehendunt iudices in uno Consistorio contra se pronunciantes, tum mediante brachio civili transferunt contestationem litis ad alterum*, in quo nempe sperant ope benignorum iudicum causam suam lucrari. *Hac itaque via ipsi catholici ad varios abusus provocant civilem potestatem, quae aliunde iam semper proclivis est violandis omnibus Ecclesiae legibus.* — 10 Maii. 1851. — *Expositio S. Sedis Apost. de statu Eccl. Cath. in Imp. Russ. a. 1866 edita.*

Mon. 175. 176.

Pius IX PP. opera Iuris Can. a Francisco Vigil et Ioanne Nuytz edita damnans, specialim proscribit sententiam eorumdem de matrimonio, Ecclesiasticae Potestatis Iuribus adversam. 1851.

175. *De opere Franc. Vigil.* — Auctor licet catholicus ac divino ministerio, ut fertur, mancipatus, potestatem, qua

Ecclesia donata est a suo Divino Institutore, stabiliendi impedimenta matrimonium dirimentia, a Principibus terrae dimanare tuetur, eamque Christi Ecclesiam sibi arrogasse impie affirmat. — Romae, 10 Iun. 1851.

176. *De opere Ioan. Nuytz.* — Plura de matrimonio falsa asseruntur: nulla ratione ferri posse, Christum evexisse matrimonium ad dignitatem sacramenti; matrimonii sacramentum non esse nisi quid contractui accessorium ab eoque separabile, ipsumque sacramentum in una tantum nuptiali benedictione situm esse; iure naturae matrimonii vinculum non esse indissolubile; Ecclesiam non habere potestatem impedimenta matrimonium dirimentia inducendi, sed eam Civili Potestati competere, a qua impedimenta existentia tollenda sint; causas matrimoniales et sponsalia suapte natura ad forum civile pertinere; Ecclesiam sequioribus seculis dirimentia impedimenta inducere coepisse, non iure proprio sed illo usam, quod a civili potestate mutuata erat; Tridentinos canones Sess. 24. de matr. qui anathematis censuram illis inferunt, qui facultatem impedimenta dirimentia inducendi Ecclesiae negare audeant, vel non esse dogmaticos, vel de hac mutuata potestate intelligendos. Quin addit: Tridentinam formam sub infirmitatis poena non obligare, ubi lex civilis aliam formam praestituat, et velit hac nova forma interveniente matrimonium valere. — Compertum est, auctorem per huiusmodi doctrinam ac sententiam eo intendere, ut Ecclesiae constitutionem ac regimen pervertat, et catholicam fidem plane destruat; siquidem ne errantes in viam possint redire iustitiae, externo iudicio et potestate coërcitiva Ecclesiam privat; de matrimonii natura ac vinculo falsa sentit ac docet, et ius statuendi vel relaxandi impedimenta dirimentia Ecclesiae denegat, et civili addicit potestati. — (*Sequitur condemnatio.*) Romae, 22 Aug. 1851. — *Ex Actis Pii IX P. M.*

Mon. 177.

In Concordato cum Hetruria inito ius Ecclesiae circa causas matrimoniales stabilitur. 1851.

— *Art. IX.* Fora ecclesiastica cognoscunt causas matrimoniales iuxta canonem XII Sess. 24 Conc. Tridentini. Pariter quoad Sponsalia, de eorum valore respectu secuturi matrimonii et ceteris adiunctis ex validitate eorumdem consequentibus iudicat forum ecclesiasticum vi memorati Canonis Tridentini et Bullae ‚Auctorem fidei.' De effectibus civilibus cognoscunt tribunalia civilia. — *Ex Actis Pii IX P. M.*

Mon. 178.

In Allocutione ad S. Collegium de rebus Reipublicae Neogranatensis lex de matrimonio velut doctrinae ac potestati Ecclesiae opposita damnatur. 1852.

— Eodem mense et anno (Maio 1851) alia sancita lex est, qua ecclesiasticum forum de medio omnino tollitur, ac declaratur, causas omnes ad idem forum pertinentes — ante laicalia tribunalia ab illius reipublicae Magistratibus in posterum esse iudicandas. — Nihil dicimus de alio illo decreto, quo *matrimonii sacramenti mysterio, dignitate, sanctitate omnino despecta, eiusque institutione et natura prorsus ignorata et eversa, atque Ecclesiae in sacramentum idem potestate penitus spreta, proponebatur iuxta iam damnatos haereticorum errores, atque adversus Catholicae Ecclesiae doctrinam, ut matrimonium tamquam civilis tantum contractus haberetur, et in variis casibus divortium proprie dictum sanciretur, omnesque matrimoniales causae ad laica deferrentur tribunalia, et ab illis iudicarentur; cum nemo ex catholicis ignoret aut ignorare possit, matrimonium esse vere et proprie unum ex septem evangelicae legis sacramentis a Christo Domino institutum, ac propterea inter fideles matrimonium dari non posse, quin uno eodemque tempore sit sacramentum, atque idcirco quamlibet aliam inter christianos*

viri et mulieris praeter sacramentum coniunctionem cuiuscunque etiam civilis legis vi factam nihil aliud esse, nisi turpem atque exitialem concubinatum, ab Ecclesia tantopere damnatum, ac proinde a coniugali foedere sacramentum separari numquam posse, et omnino spectare ad Ecclesiae potestatem ea omnia decernere, quae ad idem matrimonium quovis modo possunt pertinere. Atque haec omnia omittimus propterea, quod, etiamsi hae leges ab aliquibus e Deputatorum Consilio fuere propositae, tamen plerique Deputati ac Senatores Deo bene iuvante eas leges reiiciendas esse decrevere, et horruerunt tot iam gravibus inflictis ecclesiae vulneribus alia nova imponere vulnera. — *Ex Actis Pii IX P. M.*

Mon. 179.

Repraesentatio et protestatio Cleri Osnabrugensis ad Eppum Suffr. directa adversus proiectatam legem de causis matrimonialibus per Iudicium a Rege nominandum cognoscendis ac decidendis. 1853.

Hochwürdigster etc. Dem Vernehmen nach hat die kön. Regierung der allgemeinen Ständeversammlung einen Gesetzentwurf vorgelegt, wonach künftig alle Streitigkeiten in Ehen- und Verlöbnisssachen von Katholiken vor ein Gericht zu bringen sind, das aus zwei Rechtsgelehrten und einem Geistlichen bestehen soll, die allerdings katholisch sein, aber vom Könige angestellt werden sollen. Ein solches Gericht würde, weil es seine Sendung blos vom Könige hätte, eine reinweltliche Behörde sein und stände im grellsten Widerspruch mit der Bestimmung des Tridentinums Sess. 24. can. 12: „Si quis dixerit, causas matrimoniales non spectare ad Iudices Ecclesiasticos, anathema sit." Wir Unterzeichnete zweifeln zwar nicht im Entferntesten, dass Ew. bisch. Hochw. auf die fragliche Absicht der kön. Regierung längst aufmerksam geworden sind und einer solchen antikatholischen Massregel zeitig und kräftig entgegentreten, auch, da nachgewiesenermassen die Verfassung der Kirche die Ehesachen vor den kirchlichen Richter verweiset und der kath. Kirche im §. 63. des

Landesverfassungsgesetzes ihre verfassungsmässigen Rechte ausdrücklich gewährleistet sind, in jener Massregel also eine offenbare Verletzung der Landesverfassung liegen würde, mit Erfolg entgegentreten werden. Inzwischen haben wir uns doch bei der Wichtigkeit und dem Ernste der Sache gedrungen gefühlt, Ew. bisch. Hochw. hiermit die Versicherung zu geben, dass, falls alle Bemühungen wider Verhoffen fruchtlos bleiben und sonach bedauerliche Konflikte eintreten sollten, wir treu zu unserm Oberhirten stehen, für die kirchliche Freiheit auch unsererseits mit unsern geringen Kräften gerne und freudig eintreten werden und jegliches Opfer für dieselbe zu bringen bereit sind. Mit aller Hochachtung und Hingebung Ew. bisch. Hochw. gehorsamste Geistliche der Stadt und des Dekanats Osnabrück. — *Wiener Zeitung*. 1853. p. 383.

Mon. 180.

Syn. Laudensis de potestate Ecclesiae circa matrimonium, a. 1854.

Cap. 13. De Sacr. Matr. §. 1. Magni huius Sacramenti, perennem Christi cum Ecclesia coniunctionem designantis, sanctitatem, virtutem, finem ex divina institutione, — parochi fideles edoceant. — Errores quoque nonnullos ex ignorantia et novatorum pervicacia circa matrimonii naturam, substantiam, iuraque Ecclesiae ad illud attinentia huc illucque erumpentes, scite ac fortiter profligare contendant. Inter cetera ex Tridentino, et ex Bulla Pii Papae VI. ‚Auctorem fidei' docere non omittant, Ecclesiam semper potuisse ac posse constituere impedimenta, quae matrimonium non solum impediant, sed et nullum reddant quoad vinculum; atque sponsalia proprie dicta actum mere civilem non continere, sed quasi actum disponentem ad Sacramentum subiacere sub hac ratione iuri Ecclesiae, ideoque adhuc remanere in suo robore impedimentum impediens, proveniens ex sponsalibus, et dirimens quod dicitur publicae honestatis. — *Acta et decreta Syn. Laudensis.* p. 93.

Mon. 181.

Ex Instructione pastorali Eppi Eystettensis in Bavaria, a. 1854.

Tit. XII. Sect. 1. c. 3. Nemo ex catholicis ignorat aut ignorare potest, matrimonium esse vere et proprie unum ex septem evangelicae legis Sacramentis a Christo Domino institutum, ac propterea inter fideles matrimonium dari non posse, quin uno eodemque tempore sit Sacramentum, atque idcirco quamlibet aliam inter christianos viri et mulieris praeter sacramentum coniunctionem, cuiuscunque etiam civilis legis vi factam, nihil aliud esse, nisi turpem atque exitialem concubinatum ab Ecclesia tantopere damnatum, ac proinde a coniugali foedere sacramentum separari numquam posse, et omnino spectare ad Ecclesiae potestatem, ea omnia decernere, quae ad idem matrimonium quovis modo pertinere possunt. Sic enim Ecclesia semper tenuit et adhuc tenet, cum causas matrimoniales nonnisi ad iudices ecclesiasticos spectare pro dogmate habeat, legibus a potestate civili desuper conditis nullam in matrimoniis vim inesse doceat, et quoad matrimonium suis legibus sancte accurateque parendum esse declaret, ex quarum utique executione omnino pendet eiusdem connubii vis, robur ac iusta consociatio. Itaque in praxi Ecclesia semper valida habuit matrimonia canonice contracta, quodcunque obstaret impedimentum civile, tamquam adulterina vero spectavit ea, quae cum impedimento canonico inita erant, licet civilis lex ea rata haberet. Doctrina enim fidei est, Ecclesiam iure proprio et originario impedimenta matrimonium dirimentia constituere potuisse nec unquam in iis constituendis errasse, similiter eam posse in nonnullis illorum dispensare aut constituere, ut plures impediant et dirimant. Haec Ecclesiae principia firmiter semper retenta ac sane retinenda, praemittenda esse censuimus, priusquam ad singulorum impedimentorum expositionem descenderemus, id potissimum spectantes, ut recentioribus quibusdam ss. canonum impugnationibus veram et genuinam Matris Ecclesiae doctrinam Curati nostri opponere et a captiosis legum

eccles. interpretationibus sibi cavere studeant. — *Instructio Pastoralis etc.* Eystadii. 1854. p. 272.

Mon. 182.

Synodus Beneventana. 1855.

— Si quae a laicali potestate praescribuntur (de matr.) haec neque matrimonii afficiunt substantiam, neque suo iure convalidare aut labefactare valent, sed civiles duntaxat matrimonii effectus respiciunt. — *Ex Actis Conc. Benev.*

Mon. 183.

Opinio Commissionis, quam Imperator Russorum in negotio Concordati cum S. Sede Apost. constituit, de causis matrim. a. 1856. praestita.

Art. V. Iuxta Art. 14 Concordati *causae matrimoniales* in prima instantia a concernentibus Consistoriis tractabuntur et iudicabuntur; porro virtute supplementalium Statutorum dd. 29 Nov. 1848 hae causae in secunda instantia ad Consistorium AEppale deferentur. Si autem quaedam causa matr. in prima instantia a Consistorio AEppali decisa fuisset, tunc forum secundae instantiae constituit vicinus quidam Eppus, a Romana Sede ad hoc specialiter delegandus. Ad effectum huius dispositionis Pontifex 12 Iun. 1849 duo edidit Brevia, vigore quorum spiritualis iurisdictio secundae instantiae in causis, quae in prima instantia ab AEppo Mohiloviensi decisae fuerunt, Eppo Zytomeriensi; et in causis coram AEppali Consistorio Varsaviensi pertractatis Eppo Plocensi ad quinquennium delegatur. Haec Brevia mox ut percepta erant, concernentibus Eppis communicari debuissent. Verumtamen e dilucidationibus Ministri Internorum evenit, id hucusque praetermissum fuisse. Superest igitur determinare, quid hac in re agendum sit. *Commissio* considerato eo, quod terminus quinque annorum, pro quo haec iurisdictio in Pontificio Brevi

delegata erat, iam praeterlapsus, et durante hoc tempore unus supra recensitorum Epporum, Plocensis, mortuus sit, existimat: ad Romanam Aulam recurrendum esse, ut inde nova Brevia pariter ad duos Eppos, unum in Imperio, alterum in Regno Poloniae, dirigenda obtineantur, quae Brevia ubi istuc pervenerint, mox absque protelatione concernentibus communicanda erunt. — *Expositio S. Sedis de Russia.* 1866.

Mon. 184.

Concordata: Würtembergicum, et Badense de causis matr. 1857. 1859.

Art. 5. Causas omnes ecclesiasticas, quae fidem, sacramenta, sacras functiones, necnon officia et iura sacro ministerio adnexa respiciunt, Episcopi Tribunal ad canonum normam et iuxta Tridentina decreta iudicat; ac proinde de causis etiam matrimonialibus iudicium feret, remisso tamen ad iudicem secularem de civilibus matrimonii effectibus iudicio. — *Ex Actis Pii IX P. M.*

Mon. 185.

Conc. Tusculanum de matrimonio, et Ecclesiae in illud potestate, a. 1858.

Part. II. cap. 8. Cum constet matrimonium a Deo institutum, ut Christi ac Ecclesiae sacram et inseparabilem adumbraret coniunctionem, et proinde esse honorabile connubium, teste Apostolo: summo ideo in pretio haberi debet, ac maximo cum honore contrahendum est ac celebrandum. Nihilominus his temporibus, quae nunc sunt, tam indifferenter hoc Sacramentum initur, tam profane celebratur, ut videre sit aegro animo, non infrequenter contrahi a filiis sanctorum more gentium, quae Deum ignorant. Quid mirum, si difficile sit bono peragi exitu, quae sunt malo inchoata principio? Exinde inimicus homo occasionem arripit exturbandi familiarum

concordiam; exinde recta et catholica filiorum institutio obsoleta et praetermissa manet; ipse etiam exinde socialis ordo quandoque nutat, susdeque vertitur ex filiorum vitiosa educatione. Valde itaque nostro cordi haeret et manet infixum, opem aliquam et medelam tot malis afferre, ne in nostra dioecesi hoc virus exitiale inficiat ovile, ne vitia succrescant, ne gaudeat inimicus Dei superseminasse zizania. Itaque nonnulla peculiaria edicenda credidimus. 1. Curent parochi et sedulo edoceant parochianos suos catholicam doctrinam de hoc magno sacramento, eiusque gratiam et significationem explicent. — De fide autem tenendum parochi edoceant, matrimonii consummati vinculum altero coniuge vivente esse indissolubile, et iuxta Evangelicam Apostolicamque doctrinam et Tridentini Concilii canones propter adulterium alterius coniugis matr. vinculum dissolvi non posse. Attentis praesertim hostilibus in Ecclesiam Cath. incursibus per potestates tenebrarum, erudiantur fideles, contractum matrimonii secundum ius naturae a Domino N. I. C. ita fuisse ad Sacramenti dignitatem evectum, ut in Christianorum coniugio sacramentum a contractu iam numquam liceat separare. — Inquirant praesertim parochi ante nuptias, et populos instruant animadvertere, an aliquod canonicum impedimentum inter sponsos intercedat, — et utrum impedimentum illud, quod asseritur, sit de iure naturae, divino, aut ex illis constitutis a Spiritu sapientiae Ecclesiae, quae impedimenta statuendi unice tantum pollet legitima facultate. — *Acta et decreta C. Tusculani.* Romae. 1858. p. 58.

Mon. 186.

C. Coloniense de potestate Ecclesiae statuendi imped. matr. dir. et causas matr. cognoscendi. 1860.

P. I. tit. 1. c. 37. — Ecclesia constituere potest *impedimenta dirimentia*. Sicut enim suprema potestas civilis in contractus civiles, ita Ecclesia in contractum illum, qui ad Sacramenti dignitatem elevatus est, agere potest, conditiones

nonnullas statuendo, a quibus contractus valor pendeat. *Non a Principibus hanc potestatem accepit Ecclesia.* Ut enim Apostoli nulla habita legum civilium ratione quoad matrimonii vinculum quaedam tradiderunt, ita primis iam seculis Imperatorum non accedente consensu statuta fuerunt impedimenta. Imo *sola Ecclesia hoc iure pollet.* Nam matrimonium, quod inde ab initio non mere civile sed religiosum erat, ex quo ad Sacramenti dignitatem elevatum est, soli commissum est Ecclesiae. *Synodi Pistoriensis doctrinam hac in re Ecclesiae iuribus ipsiusque matrimonii dignitati detrahentem ut haereticam a Pio VI p. m. damnatam esse novimus. Neque asseri potest, matrimonia secundum Ecclesiae leges irrita, si secundum imperii civilis leges ineantur, non quidem Sacramenti dignitate insigniri, veros tamen et legitimos esse contractus:* quum nemo ex catholicis (SS. Patris Pii IX utimur verbis) ignoret aut ignorare possit, matrimonium esse vere et proprie unum ex septem evangelicae legis sacramentis a Christo Domino institutum, ac propterea inter fideles matrimonium dari non posse, quin uno eodemque tempore sit sacramentum, atque idcirco quamlibet aliam inter christianos viri et mulieris praeter sacramentum coniunctionem cuiuscunque etiam civilis legis vi factam nihil aliud esse, nisi turpem atque exitialem concubinatum ab Ecclesia tantopere damnatum, ac proinde a coniugali foedere sacramentum separari numquam posse, et omnino spectare ad Ecclesiae potestatem ea omnia decernere, quae ad idem matrimonium quovis modo possunt pertinere. Ecclesia dum matrimonii indolem sacram ac religiosam strenue tuetur, optime sane meretur de familia totaque societate humana. Iam facile etiam intelligitur, *cur ad Iudices Ecclesiasticos spectent causae matrimoniales,* illae scilicet, quae matrimonii naturam, non vero quae effectus attinent mere civiles. Quae enim religionis sunt, Ecclesiae eique soli commissa esse novimus. Historia teste inde ab Apostolorum tempore causae huiusmodi ab Ecclesia, cuius forum vel ipsi Principes christiani adibant, iudicatae sunt. — *Acta et Decreta C. Provinc. Coloniensis,* 1860. p. 77.

Mon. 187.

Errores de matrimonio per Syllabum et Encyclicam Pii IX dd. 8. Dec. 1864. confixi.

§. 8. *Errores de Matrimonio Christiano.* 65. Nulla ratione ferri potest, Christum evexisse matrimonium ad dignitatem sacramenti. 66. Matrimonii sacramentum non est nisi quid contractui accessorium ab eoque separabile, ipsumque sacramentum in una tantum nuptiali benedictione situm est. 67. Iure naturae matrimonii vinculum non est indissolubile, et in variis casibus divortium proprie dictum auctoritate civili sanciri potest. 68. Ecclesia non habet potestatem impedimenta matrimonium dirimentia inducendi, sed ea potestas civili auctoritati competit, a qua impedimenta existentia tollenda sunt. 69. Ecclesia sequioribus seculis dirimentia impedimenta inducere coepit, non iure proprio, sed illo iure usa, quod a civili potestate mutuata erat. 70. Tridentini canones, qui anathematis censuram illis inferunt, qui facultatem impedimenta dirimentia inducendi Ecclesiae negare audeant, vel non sunt dogmatici, vel de hac mutuata potestate intelligendi sunt. 71. Tridentini forma sub infirmitatis poena non obligat, ubi lex civilis aliam formam praestituat, et velit hac nova forma interveniente matrimonium valere. — 73. Vi contractus mere civilis potest inter christianos constare veri nominis matrimonium; falsumque est, aut contractum matrimonii inter christianos semper esse sacramentum, aut nullum esse contractum, si sacramentum excludatur. 74. Causae matrimoniales et sponsalia suapte natura ad forum civile pertinent. — *Ex Actis Pii IX P. M.*

Mon. 188.

Conc. Prov. Ultrajectense de matrimonio. 1865.

Tit. IV. cap. 12. Matrimonium, magnum utique foedus, quo nullum inter homines dignitate excellentius, firmitate arctius, sanctitate inviolabilius, Deus ipse instituit, cum hu-

mani generis protoparentes coniunxit eisque benedixit. Quam divinam institutionem Salvator noster Iesus Christus apud Matthaeum commemorans, ut matrimonialis vinculi unitatem ac indissolubilitatem ab Adamo iam pronunciatam restitueret atque confirmaret: ‚itaque, inquit, iam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet.' Quamvis ipso iure naturae indissolubile sit matrimonii vinculum, longe tamen praestantius veteribus connubiis est in Nova Lege matrimonium christianum. Foedus enim ab initio institutum ad propagandum genus humanum, cum ad procreandos veri Dei ac Salvatoris nostri adoratores destinatum fuit, amplissimis gratiae suae donis Christus locupletavit et ad Sacramenti dignitatem evexit. Ea gratia, quam Christi passio hominibus promeruit, amor naturalis inter virum et uxorem perficitur et ad altiorem ordinem elevatur, indissolubilis unitas confirmatur, et coniuges sanctificantur ad filios gignendos et educandos, qui genus electum, gens sancta et populus acquisitionis futuri sunt. Quanta fiat maritalis amoris per gratiam nobilitati sanctitas ac necessitudo, Paulus Apostolus innuit, dicens: ‚Viri diligite uxores vestras sicut et Christus dilexit Ecclesiam et se ipsum tradidit pro ea,' ac mox subiungens: ‚Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo et in Ecclesia.'

Cum tanta sit matrimonii dignitas ac sanctitas, nihil sane a christiano instituto magis alienum esset, quam illud indifferenter iniri, profane celebrari, ac more etiam gentium, quae Deum ignorant, a filiis sanctorum contrahi. Sedulo itaque monendi ac erudiendi sunt fideles circa catholicam de hoc magno sacramento doctrinam. — — Ipse matrimonii contractus coram parocho proprio et duobus vel tribus testibus iuxta *formam Tridentinam* ineundus est, sub poena nullitatis. *Quemadmodum vero ea forma servata, quae a Conc. Tridentino praescribitur, validus est contractus, ita nonnisi in eo casu verum habetur sacramentum, quod inter christianos a valido contractu numquam separatur. Nihilominus ob legum necessitatem et ad plura damna vitanda, quae hominum malitia quandoque evenire possent, caveant parochi, ne eorum matrimonio intersint, qui antea coram civili magistratu civilis connubii*

actum non emiserint. Si quis autem, postquam civile connubium contraxit, matrimonium coram Ecclesia celebrare renueret, non omittant animarum curatores illum admonere de gravissimo concubinatus crimine, in quo manet, quamdiu legi Ecclesiae, a qua unice sacramentalis vinculi validitas regitur, non satisfecerit. — — Si qni essent coniuges propria auctoritate separati, illos serio monere ac redarguere parochus debet, et a participatione etiam Sacramentorum arcere, nisi aut mutuo reconcilientur, aut separationis sententiam ab Ecclesia obtineant. Etenim causa ista, sicut et *causae omnes, quae ad matrimoniale vinculum referuntur, nonnisi auctoritate ecclesiastica iudicari possunt ac debent.* — *Acta et decreta Synodi provinc. Ultrajectensis a. 1865 celebratae.* Gestel St. Michaelis. 1867. p. 176. ss.

Mon. 189 a.

Conc. Baltimorense Plenarium II. de matrimonio. 1866.

Tit. V. cap. 9. — Dolendum eam animis plurimorum ex nostratibus insedisse opinionem, posse per legis civilis auctoritatem penitus abrumpi matrimonii vinculum, ita, ut coniugibus hoc modo separatis ad novas liceat convolare nuptias. Quod quantum a veritate sit alienum, patet ex verbis Christi. Hunc pessimum errorem damnaverat iam Syn. Tridentina: verum crescente in dies hominum impurorum audacia, rursus in eum inclamavit Pius PP. IX feliciter regnans, qui in Syllabum, complectentem praecipuos nostrae aetatis errores, suo iussu editum et hunc referri voluit: ‚iure naturae matr. vinculum non est indissolubile, et in variis casibus divortium proprie dictum auctoritate civili sanciri potest.‘ Ut enim matrimonium est naturae officium, eius fines perpetuam ac individuam coniugum vitae postulant societatem. Insuper Sacramenti dignitas et gratia, qua Christus contractum naturalem decoravit, simul eius indissolubilem unitatem confirmavit, ita, ut christianorum matrimonium sanctissimi illius vinculi,

quo Christus Dominus cum Ecclesia coniungitur, sacramentum, i. e. sacrum signum sit. —

Ex epistola pastorali Concilii Plenarii Baltimorensis II. — 5. De Sacramento Matrimonii. Instar obligationis nostrae reputamus, attentionem vestram peculiari modo dirigere ad illud Ecclesiae Sacramentum, quod in allegorica sua significatione maximum est, sacramentum nempe Matrimonii. Coniunctio viri et foeminae inde a principio pro magno mysterio aut sacramento habebatur, quemadmodum a S. Paulo docemur; cum certe typica adumbratio fuerit coniunctionis Christi cum sua Ecclesia. (Ephes. 5, 32.) In nulla fors parte doctrinae influxus Spiritus Veritatis tam diserte et luculenter apparet, quam in sollicitudine Ecclesiae, qua istud „magnum Sacramentum" constanter prosequebatur, quod a multis quidem consentaneo his, quae s. Paulus praedixerat (1 Tim. 4, 3) pro illegitimo declaratum fuit; dum alii illud incompetenter supra s. Virginitatem extulissent, in obversum doctrinae Christi, (Matth. 29, 11. 12) et inspiratorum Apostolorum Eius. (1 Cor. 7, 29. 40.) Sanctitas Matrimonii christiani, sanctissimis obligationibus et officiis nostris connectitur, ita, ut absque gravissimis sequelis ne in minimo quidem gradu insuperhaberi possit. *Ecclesia* in respectu huius obiecti tantum spiritum vigilantiae et sollicitudinis praesetulit, qui solus eidem ius ad gratitudinem hominum conciliare deberet, atque efficit, ut ab omnibus instar fidelissimi custodis publicae et privatae moralitatis habeatur. *Multae innumerarum pugnarum, quas medio aevo cum secularibus Principibus habere debuit, circa defensionem stabilitatis et sanctitatis matrimonialis vinculi versabantur;* et tardioribus temporibus praetulit, *Angliam* a latere suo avelli sinere, quam voluntati Monarchae cedere, qui fidem sui regni effrenatis suis passionibus immolavit. Hoc in obiecto nullum discrimen noscit, inter communem virum et Monarcham, in obversum desiderii, ab Apologeta pessimarum cupiditatum, et atrocissimorum facinorum huius infelicis Principis, enunciati. (Froude t. 1. cap. 2. p. 132) Imo nostris quoque diebus conservativam suam auctoritatem in simili obiecto exercuit, atque iram *Napoleonis I* excitavit, cum s. mem. Pius PP. VII pro invalido declarare noluerit

Matrimonium, quod frater huius Monarchae cum acatholica foemina, e civitate, in qua nunc congregati sumus, oriunda contraxerat. Et cum idem Monarcha fidem primi matrimonii sui frangere intenderet, coactum se sensit ad abolitum iam Tribunal Dioecesis Parisiensis confugere, quod specialiter hoc scopo restitutum fuit, et postea quaestionem decidere praesumpsit, quam sapientia S. Sedis exclusive suae Iurisdictioni reservavit. Haec facta ideo revocamus in memoriam, quia eadem clarissime exprimunt principia Ecclesiae quoad matrimonium, atque ab omnibus recti cordis hominibus instar pretiosissimarum margaritarum in corona Ecclesiae considerantur. Porro in memoriam revocamus eadem, greges nostros solemni modo monere volentes, *ne aures suas falsis, atque vilissimis theoriis de matrimonio praebeant, quae ab inimicis Ecclesiae impudenter disseminantur.* Hae theoriae namque statuunt: matrimonium nonnisi *civilem contractum* esse, quem coordinare ad *civilem potestatem* pertineat, et a quo pars laesa aut discontenta, medio divortii resilire, atque novum legitimum coniugium inire posset. Atqui haec manifeste repugnant verbis Christi: „Quod Deus coniunxit, homo non separet.“ (Matth. 29, 6.) *Ecclesia, qua custos ss. legum Dei has falsas theorias damnat,* utpote e quibus successiva polygamia oritur, quae unitati et stabilitati christiani matrimonii non minus adversatur, quam polygamia simultanea, quae in dedecus Christianitatis in his regionibus recurrit. Profecto *nulla lex Status sancire potest divortia, ita, ut separati novas nuptias inire queant;* etenim huiusmodi novae nuptiae, vita comite separatarum personarum initae, crimen adulterii involverent. Dolenter commemoramus multiplicationem horum illegitimorum divortiorum, quae magis ac quaecunque alia res, fundamenta moralitatis suffodiunt, et in totalem ruinam fundamentorum, quibus societas innititur, tendunt. Quodsi tam multa matrimonia infausta reddantur, et vinculum, quod coniuges ligat, tam saepe instar gravissimi iugi appareat; id potissimum neglectis atque spretis hoc in obiecto Ecclesiae legibus attribui debet. Hae leges, quemadmodum scitis, prohibent matrimonium inter personas, quae in certis gradibus consangvinitatis vel affinitatis sibi propinquae sunt, aut

matrimonium inter personas catholicas et acatholicas. Quaecunque exceptiones a generali norma in huiusmodi coniunctionibus occurrunt, Ecclesia tamen illas in principio semper reprobavit, et quidem e gravibus motivis, quae relate ad consangvinitatem e physiologicis principiis, relate ad affinitatem vero e periculo deducuntur, quod per huiusmodi connubia concernentes personae, necessario ad fraternum nexum positae, incurrunt. In casu mixti matrimonii vero adest periculum perversionis, aut periculum defectionis a fide, cui pars catholica se ipsam, atque proles, in hoc matrimonio generandas exponit. Ceterum christiani matrimonio iungi cupientes, ut officiis suis perfecte satisfaciant, ultra observationem harum legum Ecclesiae, matrimonium concernentium, plus quoque praestare tenentur. Cumprimis semper prae oculis habere deberent sanctum characterem matrimonii, atque obligationes, quas ipsis relate ad christianam societatem imponit. Vita casta, atque inclinatio, quae melioribus et stabilioribus motivis innititur, quam impulsus passionum, sunt optima dispositio, pro ingrediendo statu, quem mors tantum mutare potest, et qui tam graves pro tempore et aeternitate sequelas importat. „Unde sufficiamus — quaerit Tertullianus — ad enarrandam felicitatem eius matrimonii, quod Ecclesia conciliat, et confirmat oblatio, et obsignat benedictio, Angeli renunciant, Pator ratum habet?“ (Tert. Ad uxorem lib. 2 cap. ult.) Si sanctitatem matrimonii, atque venerabiles ac antiquissimos ritus, in administrando hoc Sacramento adhiberi solitos, spectemus, profecto non possumus Vobis sufficienter inculcare, ut illud coram altari Dei ineatis et quidem cum Missa pro Sponsis; quo participes fieri possitis peculiaris benedictionis, quae s. hunc statum ingredientibus, pro implemento gravium suarum obligationum, tam multiplices gratias confert. — *Acta et decreta Conc. Baltimorensis Plenarii II. a. 1866 celebrati.* Baltimori. 1868. p. 171. et CXIII.

Mon. 189 b.

In Expositione S. Sedis de Ecclesia Catholica in Russia perstringitur abusus circa iudicatum causarum matrim. 1866.

— Sanctae Sedis aliud removere intererat, quod canonicis regulis apprime contrarium passim admittebatur: quod erat, matrimoniorum ac professionis religiosae causas ab ecclesiastico Petroburgi Collegio, canonice nequaquam constituto, appellationis nomine in universo Imperio et agi et iudicari. Quapropter eadem S. Sedes plures easque varias huiusmodi appellationum dirigendarum rationes Imperiali Gubernio exhibebat, hanc vero praesertim, ut in utraque ecclesiastica provincia, Mobiloviensi et Varsaviensi, tribunal apostolica delegatione erigeretur. — *Expositio documentis munita.* Romae. 1866.

Mon. 189 c.

Syn. Dioecesana Paderbornensis contra civile divortium. 1867.

Cap. 55. Inter omnes constat, matrimonium inter christianos ratum et consummatum quoad vinculum nonnisi morte solvi posse. Idcirco meminerint parochi et animarum curatores, se nullo modo, si a Iudiciis civilibus dissolutio valide contracti matrimonii attenturetur, ad id cooperari debere, proindeque istis iudiciis ne literas quidem testimoniales exhibendas esse de facto a se tentamine, coniuges inter se invicem reconciliandi. Sed divortium, id est, separatio coniugum quoad thorum et mensam ex gravibus causis fieri potest vel ad certum quoddam tempus, vel ad tempus vitae. Sed coniuges, qui de isto divortio faciendo cogitant, vel se invicem ultro iam deseruerunt, docendi et monendi sunt, eiusmodi divortium neque propria ipsorum auctoritate, neque a iudiciis civilibus, sed nonnisi per Iudices Ecclesiasticos, ad

quos causae matrimoniales spectant, licite fieri posse. — *Acta et decreta Syn. dioec. Paderbornensis.* 1867. p. 136.

Mon. 190a.

Ordinariatus Friburgensis in generali sua repraesentatione de gravaminibus Ecclesiae Cath. ad Ministerium MDucale Badense contra legem de sic dicto civili coniugio se enunciat. 1867.

— — Die II Kammer hat am 6 d. M. *ein Gesetz über die Einführung der obligatorischen Civilehe* beantragt. Von Seite des Herrn Justizministers wurde die Frage bejaht, dass die Übertragung der *bürgerlichen Standesbeamtung* an besondere bürgerliche Beamte zu geschehen habe. Es wurde dabei aber von dem Herrn Staatsminister beigefügt: ‚mit dieser Übertragung falle die Entschliessung in die Hände der bürgerlichen Behörden. Ob die Bevölkerung ein Gesetz gern oder ungern ansehen würde, darauf könne es nicht ankommen.' (Karlsruher Zeitung. N. 289. v. J. 1867.) Indessen folgt aus dem Institut einer besondern bürgerlichen Standesbeamtung nicht, dass die Ehe vor einer Staatsbehörde abgeschlossen werden müsse. Es wird auch von keiner Seite verkannt, dass nach den bei uns bestehenden Verhältnissen und da die *Nothcivilehe* in Ausnahmsfällen bei uns eingeführt ist, das Inslebentreten der *obligatorischen Civilehe* durchaus kein Bedürfniss sei. Das christliche Volk würde deren Einführung mindestens sehr ungern sehen. *Die obligatorische Civilehe widerspricht dem Wesen der Ehe, dem bestehenden Recht, und der freien Religionsübung der Katholiken.* Die Ehe an und für sich ist ebensowenig als z. B. die Geburt oder der Tod ein politisches oder bürgerliches Rechtsverhältniss. Aus den vermögensrechtlichen Folgen dieses Instituts beziehungsweise dieser Thatsachen kann die politische oder bürgerliche Natur der Ehe nicht geschlossen werden. *Die Ehe ist kein staatliches, sondern ein sittliches, religiöses Institut, nach kath. Dogma ein Sacrament.* Sobald ihr dieser ethische, religiöse Character

entzogen wird, existirt diese religiössittliche Einigung nicht mehr. *Die Ehe ist kein civilis Verhältniss*, weil der Eheconsens und die durch göttliche Anordnung geschlossene moralische Lebensgemeinschaft als solche nicht rechtlich erzwingbar ist, weil *die Ehe kein civilrechtlich klagbares Object hat* und weil den Ehecontrahenten nicht die willkürliche Disposition über das reinreligiöse Band der Ehe zusteht. Desshalb kann die Civilehe wohl dazu beitragen, das religiöse Element der Ehe immer mehr im Volke zu lockern, damit aber auch den sittlichen Familiengeist, die Basis der Familie und der Gesellschaft zu zerstören, aber *eine Ehe kann und wird sie nicht sein*. Die wahre Ehe wurzelt und regulirt sich in der und durch die Religion, welche die dazu erforderliche sittlich-religiöse Gesinnung und Handlungsweise regulirt. Gemäss dem bestehenden Recht und den die religiösen Rechte der Katholiken garantirenden völkerrechtlichen Verträgen, sowie §. 24 des III Bad. Org. Edicts vom 11 Febr. 1803 *haben die Katholiken das Recht zu verlangen, dass ihre Ehesachen, insbesondere die Abschliessung der Ehe, als religiöse vor das kirchliche Forum gehörige Angelegenheiten betrachtet, dass sie also nicht gezwungen werden, eine Civilehe abzuschliessen.* Es versteht sich von selbst, dass der bürgerliche Richter über die Civilfolgen der Ehe entscheidet. Die Kirche hat den staatlichen Bestimmungen hierüber wie über die bürgerlichen Voraussetzungen zum Abschluss der Ehe stets die gebührende Rücksicht getragen. Wie erwähnt, ist nach dem Glauben der Katholiken die Ehe ein Sacrament. Daraus folgt, dass der Staat oder ein Staatsgesetz den Glauben, die religiöse Überzeugung der Katholiken auf das Tiefste verletzen würde, falls die Giltigkeit der Ehe nicht durch den Abschluss derselben vor der Kirche, sondern lediglich vor der Staatsbehörde abhängig gemacht würde. *Die obligatorische Civilehe ist* desshalb *nicht blos eine Rechtsverletzung und eine Bedrohung der sittlichen Grundlagen der Gesellschaft, sondern insbesondere unter den obwaltenden Umständen ein feindseliger Act gegen die Kirche und die Katholiken,* welche dadurch auf dem heiligsten Gebiete des Glaubens verletzt werden. — So halten wir uns für berechtigt und verpflichtet, GH. Staatsmini-

sterium zu bitten, — 3. dass die obligatorische Civilehe — nicht die landesherrliche Sanction erhalte. — Freiburg, 14 Dec. 1867. Erzb. Ordinariat.

Mon. 190 *b*.

Idem enunciat et Clerus Dioecesanus Freiburgi congregatus in sua protestatoria declaratione. 1867.

I. *Beschwerden.* — 2. Die neueste projectirte badische Gesetzgebung will die *obligatorische Civilehe* einführen. — *Solche Gesetze sind nicht blos feindselige Acte gegen die Kirche und die Katholiken, sondern eine offene Verletzung der kath. Religionsübung.* — II. *Resolutionen.* — 19. Wir werden in dem bevorstehenden Kampfe um die Existenz der kath. Religion überall einmüthig handeln, sofort in grössern und kleinern Bezirken Versammlungen von Geistlichen und Laien halten, und über die Gefahr, welche — der Ehe — droht, Belehrung ertheilen und Beschlüsse fassen. — Freiburg, den 19 Dec. 1867. Die Versammlung der Vertreter des Klerus in der Erzdiöcese bad. Antheils. — *Anzeige-Blatt der Erzdiöcese Freiburg.* 1867.

Mon. 191.

Epporum Helvetiae Encyclica ad Clerum et fideles de matrimonio christiano et sic dicto matr. civili. 1868.

Die vereinten Bischöfe der Schweiz entbieten den Geistlichen und Gläubigen der schweizerischen Diöcesen Heil und Segen in dem Herrn! So oft der gläubigen Heerde Gefahren drohen, sehen sich die Bischöfe der Kirche unter schwerer Verantwortlichkeit angewiesen, ihre Stimme laut und furchtlos zu erheben, um die Unwissenden zeitig zu belehren, die Schlafenden aufzuwecken, die Guten zu stärken, und das unveräusserliche Erbgut der Religion gegen alle Angriffe muthig zu vertheidigen. Dafür hat der göttliche

A. 1829 *S. Romana Poenitentiaria* ad quaestionem Parochi ex Gallia, num liceat parocho desiderare, nt fideles prius, quam coram Ecclesia matrimonium celebrent, actum civilem expleant? respondit: admittendos esse fideles ad matrimonium etiam post contractum civilem, sed simul docendos esse eosdem de iis, quae tradit Ecclesia de sacramento matrimonii. (*Mon.* 204.)

A. 1844 *Card. AEppus Lugdunensis* in decreto, per quod Ius Canonicum *Dupinii* proscripsit velnt Potestati Ecclesiasticae summopere adversum, sententiam quoque eiusdem de matrimonio, quasi hoc contractus foret essentialiter civilis, eoque ipso Civili Potestati unice subiectus, fusius castigat. (*Mon.* 205.)

A. 1849—1851 celebrata Concilia Gallica tam Provincialia quam Dioecesana doctrinam Ecclesiae de matrimonio, et ius Ecclesiae tum constituendi impedimenta dirimentia, tum causas matrimoniales cognoscendi inculcant, fidelesque a civili matrimonio dehortantur; simul tamen disponunt, ut ad obtinendos civiles effectus ea, quae lex praescribit coram magistratu agenda, perficiant. In hunc sensum sonant decreta Conciliorum: *Remensis* a. 1849; (*Mon.* 206.) — *Avenionensis* a. 1849; (*Mon.* 207.) — *Burdigalensis* a. 1850; (*Mon.* 208.) — *Bituricensis* a. 1850; (*Mon.* 209.) — *Aquensis* a. 1850; (*Mon.* 210.) — *Tolosani* a. 1850 (*Mon.* 211.) — *Rothomagensis* a. 1850; (*Mon.* 212.) — *Albiensis* a. 1850; (*Mon.* 213.) — *Senonensis* a. 1850; (*Mon.* 214.) — *Avenionensis* dioecesani a. 1850. 1851; (*Mon.* 215.) — *Auscitani* a. 1851; (*Mon.* 216.) — *Ambianensis* a. 1851. (*Mon.* 217.)

A. 1860 *Pius IX* Papa post annexionem provinciae *Cameriensis* et *Niciensis* Imperio Gallico, Breve dimisit ad Eppos harum provinciarum super extensione Concordati Gallici anni 1801 ad has provincias: in eoque reprobavit legem

de civili matrimonio velut Cath. Ecclesiae doctrinae et iuribus adversam. (*Mon.* 218.)

A. 1863 *Eppus Montis Regalis* in Gallia ad Sedis Apostolicae supremum iudicium detulit complures Theses per nonnullos theologos propositas, una cum censura, quam cuilibet thesi adiecit. Comparent in numero earumdem 5 propositiones de matrimonio, signanter de legitimitate familiae unice a lege civili repetenda, de conditionibus essentialibus vinculi coniugalis ad nutum Guberniorum et opinionum nationalium immutandis, de abolitione indissolubilitatis matrimonii, de causis matrimonialibus non ad ecclesiasticos iudices spectantibus, de emancipatione uxoris a subiectione viri; quas omnes theses Eppus tamquam haereticas notavit. (*Mon.* 219.)

B. *Monumenta.* Mon. 192.

Instructio Card. Legati in Gallia de matrimoniis sic dictis civilibus nulliter initis. 1803.

Nos Ioannes etc. Undique accipimus innumera prope connubia existere nulliter inita, partemque unam saepe saepius renuere in faciem Ecclesiae se sistere, ad copulationem suam ratam validamque coram Deo reddendam, quamvis pars altera recte disposita id velit et satagat. Animadvertentes, quot mala quotque discrimina tum fidelium animabus, tum familiarum tranquillitati ex hoc irreligioso renuentium ingenio, agendique ratione immineant, in amaritudine animi nostri lacrymas fundere cogimur, et miserrimo innocentium compartium statui, in quo aegre versari coguntur, merito compatimur. Iamdiu officii nostri sollicitudo premitur, et plurium Epporum consultationes et innocentium postulata ad nos undique perveniunt. Verum res difficultatibus obnoxia est: pertimescimus enim, ne dum bonum operari nitimur, aliquid mali exoriatur. Sed ut bonum assequamur et imminentia mala praecaveantur, hanc Instructionem emittendam ducimus, qua Ordinarius in

casibus particularibus huiusmodi se haud difficile expedire et opportune providere poterit.

Prima Instr. pars: quoad matrimonii renovationem, si uterque contrahens recte disponatur. 1. Qui civiliter, sive coram quocunque extraneo sacerdote, duobus saltem testibus praesentibus, aut duntaxat coram duobus testibus, consensum mutuum de praesenti exprimentes matrimonium inierunt tunc temporis, cum ad proprium parochum seu superiorem legitimum aut ad alium sacerdotem specialiter et notorie ab alterutro licentiam habentem, quique a catholica unitate non recesserant, aut nullatenus aut nonnisi difficillime seu periculosissime recursum habere potuerant, moneantur sic contrahentes de huiusmodi matrimonii validitate, et tantummodo hortentur, ut nuptialem benedictionem a proprio parocho recipiant. 2. Qui vero ita contraxerunt, sed tunc temporis, cum absque gravissima difficultate seu periculo recursus patebat ad unum ex sacerdotibus praefatis, quive matrimonium quomodocunque inierunt cum aliquo dirimente impedimento absque legitima dispensatione aut eum dispensatione defectu legitimae potestatis irrita, matrimonium servata forma C. Tridentini denuo contrahant. 3. Si contrahentes communiter habeantur pro legitimis coniugibus, et ipsimet fortasse ex ignorantia invincibili sint in bona fide, et absque gravis scandali seu perturbationis periculo certiorari nequeant de nullitate matrimonii, hisce in circumstantiis in bona fide relinquendi sunt, quemadmodum per ss. canones disponitur. 4. Si contrahentes in mala vel dubia fide versentur, aut si in bona fide existentes de nullitate matr. certiorari possint absque gravis scandali seu perturbationis periculo, unde locus detur matrimonii renovationi, eorum matrimonium in facie Ecclesiae celebrandum est iuxta modum inferius praescriptum. 5. Si praeter clandestinitatis aliud eccles. iuris obstet impedimentum, dispensatio praemittatur iuxta indultum inferius exaratum. 6. Si nullitas matrimonii occulta sit, seu communiter ignoretur, matrimonium coram parocho proprio adhibitis saltem duobus testibus confidentibus secreto ad vitanda scandala contrahendum est, adnotata deinde particula in secretorum matrimoniorum libro. 7. Si vero nul-

litas publica sit, ad scandalum removendum matrimonium publice servata forma S. Concilii celebrandum est; quodsi Ordinarius ob peculiares circumstantias expedire iudicaverit, ut secreto coram proprio parocho et duobus testibus potius celebretur, secreto celebrari poterit, dummodo tamen publicum scandalum alia ratione removeri possit et quamprimum removeatur.

Altera Instr. pars: quoad rationem convalidandi matr. si eiusdem convalidationem pars una petat, et altera renuat. 8. Si huius renuentia proveniat ex indispositione ad Sacramentorum Poenitentiae et Eucharistiae susceptionem, paternis monitis curandum est, ut renuens rite disponatur. 9. Quatenus pars indisposita ad Sacramentorum susceptionem ita adduci non possit, et aliunde matrimonii renovationi assentiatur, non erit illicitum ad matrimonii celebrationem procedere non obstante illius indispositione; pars enim innocens et instans attentis circumstantiis licite utitur iure suo, Ecclesiae minister eidem innocenti directe ac licite reddit ius suum, et indigna renuentis susceptio eius duntaxat indispositioni tribuenda est. 10. Si renuentia oriatur ex ignorantia vel aliquo errore contra leges aut doctrinam Ecclesiae circa impedimenta matrimonium irritantia, renuens debita cum prudentia et in caritate instruatur. Et quatenus adhuc renuat matrimonium suum in facie Ecclesiae convalidare, tunc 11. Satagendum est, ut specialem procuratorem constituat, qui eius matrimonium de more contrahat, aut saltem expresso consensu de praesenti per epistolam directam proprio parocho vel alteri sacerdoti Ordinarii aut parochi licentiam habenti matrimonium renovetur. 12. In huiusmodi matrimonii celebratione ratio quoque habenda est tum existentiae alicuius impedimenti, tum matrimonii nullitatis sive publicae sive occultae, et servandae sunt regulae superius traditae nn. 5—7.

Tertia Instr. pars. Si hactenus praescripta obtineri nullatenus possint, et pars una ad celebrationem matrimonii iuxta superius tradita faciendam adduci nequeat, dummodo de praesenti exhibeat consensum remanendi in matrimonio, mature perpensis urgentibus circumstantiis, et attentis serva-

tisqne conditionibus et forma inferins praescriptis, ne obstet publicitas fornicariae copulationis et non iusti matrimonii, ad dispensationem in radice matrimonii, sen ad matrimonii sanationem in radice in casibns particularibns deveniri posse indicamns, ut ita saltem innocentis partis animae saluti, prolis legitimitati, et familiarum tranqnillitati omnino consultum sit, et qnamprimnm etiam rennentis animae saluti provideri possit. 13. Ordinarius nti poterit facnltate, Apostolica auctoritate inferins demandanda, dispensandi scilicet in radice matrimonii, seu matrimoninm in radice sanandi, postquam tamen per indubias duorum saltem testium depositiones, ant per renuentis testimonium in scriptis exaratum, ant per einsdem assertionem etiam oretenns factam ipsi Ordinario, sive alteri eccles. personae ab eo specialiter deputatae, et in scriptis statim redigendam constiterit, non solum renuentem in consensn de praesenti permanere, sed etiam huiusmodi renuentiam ab extrinseca causa ita manare, ut nihil nnquam ex ea deduci aut praesumi possit contra ipsius actualis consensus permanentiam. 14. Si matrimonii nullitas occulta sit, Ordinarius ad sanationem seu dispensationem in radice, ad evitanda scandala secreto deveniat. 15. Si vero nullitas publica sit, ad publicum scandalnm removendum eiusmodi dispensatio sen sanatio notorie perficiatur; aut etiam secreto, si ad aliquam praecavendam perturbationem ita Ordinario in Domino visum fuerit, dummodo tamen locus sit evulgationi peractae matrimonii sanationis seu dispensationis, qua pnblicum scandalum congrne removeatur. 16. Si evulgationi einsmodi dispensationis locus non sit, ob imminentis gravis scandali aut perturbationis periculnm, praelandatns Ordinarius per eiusmodi secretam matrimonii sanationem sen dispensationem innocentis compartis animae salnti provideat, onerata eiusdem Ordinarii conscientia, nt perpensis circumstantiis et pro sua prndentia modum exquirat, quo etiam publicum scandalnm ex matrimonii nullitatis pnblica notitia existens qnamprimum removeatur. Monitis interim parochis, ut donec einsmodi publicum scandalum sublatum sit, in admittendis innocentibns coningibns ad Sacramenta, ne nlla scandali praebeatur occasio, iis utantur

circumspectionis regulis, quae cuique exploratae sunt. 17. Si praeter clandestinitatis impedimentum aliud iuris eccles. forsitan obstet, legitima super eo praemittatur dispensatio, prout etiam cautum est nr. 5. 18. Si unus vel uterque contrahens per divortium separatus sit a respectivo coniuge adhuc vivente, tradita instructio et sequens facultatum decretum executioni nullatenus demandentur, nisi prius et prout de iure constiterit de nullitate respectivi primi matrimonii proveniente ex aliquo canonico impedimento, et nisi prius eiusdem nullitatis declaratoria sententia ab Ordinario lata fuerit. 19. Serventur tandem cetera de iure servanda, quae praesenti Instructioni non adversantur.

Decretum facultatum Apostolicarum pro praemissis. De speciali gratia et apostolica auctoritate a SS. D. N. Papa Pio VI nobis benigne concessa venerabili in Christo Patri Eppo — sive eius Vicario in spiritualibus generali, infrascriptas facultates communicamus, quibus etiam per aliam personam ecclesiasticam in casibus particularibus specialiter deputandam uti valeant in utroque foro, et ad annum duntaxat a die datae praesentis computandum, cum omnibus et singulis Christifidelibus in propria dioecesi degentibus, et quando agitur de matrimoniis nulliter quomodocunque contractis usque ad diem 15 Aug. 1800, servatis forma et tenore praecedentis Instructionis, et facta expressa mentione Apostolici Indulti: 1. Absolvendi a censuris et poenis ecclesiasticis tam a iure quam ab homine latis ad effectum duntaxat apostolicae gratiae consequendum. 2. Absolvendi pariter a censuris et poenis eccles. ob matrimonii attentatum et incestus reatus incursis, et ab attentatis et incestus reatibus et culpis huiusmodi cum gravi poenitentia salutari. 3. Dispensandi super quibuscunque impedimentis iuris ecclesiastici, etiam primi affin. gradus in linea collaterali, et secundi primum attingentis cons. gradus, exceptis impedimentis ex sacro ordine et castitatis voto solemniter emisso, et ex crimine machinationis in mortem coniugis cum effectu provenientibus. Et quatenus mulier rapta fuerit, dummodo extra potestatem raptoris in loco tuto consistat. Servatis in singulis casibus

conditionibus de iure servandis. 4. Dispensandi in radice matrimonii, seu matrimonium in radice sanandi periude ac si contrahentes, qui ad matrimonium ineundum inhabiles fuerant, et consensum illegitime praestiterant, ab initio habiles fuissent et consensum legitime praestitissent. 5. Prolem sive susceptam, sive suscipiendam legitimam decernendi et nunciandi. Praesentes denique et cetera documenta ab Ordinario aut praesentium executore exquirenda et habenda, ut supra praescriptum est, necnon dispensationis decreta et commissiones ab Ordinario emittendae in Eppali Archivo diligenter asserventur. Insuper quatenus matrimonii celebrationi locus detur, iuxta regulas superius traditas, matrimonii particula in parochiali libro de more referatur, facta expressa mentione Apostolicae dispensationis, ut pro omni et quocunque futuro eventu constare possit de matrimonii validitate et prolis legitimitate. Datum Parisiis die 2 Maii 1803. Ioan. Bapt. Card. Caprara Legatus. Vincentius Ducci, a Secretis in Ecclesiasticis. — *Mandements, Lettres pastorales etc.* Liege. 1851. I. 148.

Mon. 193.

Idem Cardinalis Legatus S. Sedis in Gallia ad Eppum Leodiensem pro iure exclusivo Summi Pontificis dispensandi in impedimentis matrimonii. 1803.

Perlatum mihi est, a Curia Eppali ista tua emissas fuisse dispensationes quasdam matrimoniales in gradibus quarto, tertio, et tertio mixto secundo, in quarum syngraphis nulla mentio facta sit auctoritatis apostolicae, cuius vigore dispensationes huiusmodi concessae sunt. Minime quidem dubito, quin inscio Te aut minus advertente factum id sit errore et indiligentia administrorum tuorum; siquidem ea mihi est opinio fidei, religionis ac reverentiae tuae erga Apost. Sedem, ut certus sim, si id animadvertisses, minime te fuisse passurum. Quae quidem perspecta mihi probataque voluntas tua fecit, ut maiori quadam cum fiducia, quod muneris mei partes exigunt, de hoc te esse duxerim admonendum, ut auctoritate

ac providentia tua remedium huic rei quam citissime afferatur. Et tibi quidem vigore facultatum mihi a Summo Pontifice concessarum Indultum datum est sub die 3 Iunii praeteriti a. 1802, quo tibi ad sex menses facultas facta fuit exercendi iuxta casuum exigentiam easdem extraordinarias facultates, quas s. m. Pius Papa VI AEppis, Eppis, et Dioecesium Galliarum administratoribus impertitus fuerat per apostolicas in forma Brevis literas 19 Mart. et 13 Iun. 1792 datas, servata tamen forma et tenore earundem concessionum, quod postea Indultum sub die 31 Dec. eiusdem anni ad totum currentem annum 1803 confirmatum est. At in apostolicis huiusmodi literis diei 19 Mart. in quibus facultas dispensandi in gradibus supra relatis continetur, inter ceteras conditiones a delegatis observandas, ea praesertim apposita reperitur, ut AEppi, Eppi, et Dioecesium Administratores in exercitio cuiuscunque ex commemoratis facultatibus expresse declarent, illas ab ipsis concedi tamquam a Sedis Apost. delegatis, quae declaratio in ipso actus tenore inserenda erit; atque haec quidem conditio cum semper ab Apost. Sede apponi consuevit in huiusmodi facultatibus delegandis, tum conformis inprimis est declarationi ab Antistitibus Gallicanis factae suis literis ad eundem Pontificem datis diebus 16 Dec. 1791 et 8 Ian. 1792, quibus literis amplioribus pro illorum temporum difficultate se se instrui facultatibus postularunt, nempe, nullam ex facultatibus per Sedem Apost. concedendis a se vel a subdelegatis exercendam esse absque praevia declaratione in ipso actus tenore inserenda, nimirum se virtute potestatis ab Ap. Sede delegatae procedere, prout in citato Brevi refertur. Minime propterea dubium est, quin ad dispensationum a te emittendarum *validitatem* conditiones servandae sint a s. m. Pio Papa VI indulto suo appositae, quibus explendis obstrictus es per illam decreti mei clausulam „servata forma et tenore earumdem concessionum," inter quas clare ac distincte relata fuit illa, in ipsis scilicet dispensationum actibus mentionem expresse fieri debere apostolicae delegationis. Tu vero non is profecto es, qui minime videas, huiusmodi declaratione omissa quod Apost. Sedis auctoritati vulnus infligatur, quae et quam gravia damna sollicitudini

tuae commissis fidelibus parentur. Nam cum illud sequi debeat, ex omissione ipsa omnes credituros, iure proprio concedi a te dispensationes, hoc facto S. Sedes suo spoliaretur iure, cuius usum ad eam solam pertinuisse Ecclesiae consvetudine et consensu fuit agnitum, cuiusque exercendi ab antiquissimo tempore semper tenuit non interruptam, sed constantem receptamque in Ecclesia possessionem; qui certe, ut alias animadversum fuit, tam inveteratus possessionis titulus, etiamsi alia decssent in suo Primatu constituta fundamenta, valere per se ipsum plurimum apud omnes deberet. Ob eandem praeterea omissionem altera ex conditionibus deficiente, qua non impleta Sedes Apostolica prohibuit dispensationes a delegatis suis, ne ipsis quidem a Latere Legatis exceptis, dari, dispensationes ipsae omni robore destituuntur, nullique propterea suffragari possunt. Hinc cum neque valida coram Deo et Ecclesia futura sint matrimonia earum vigore inita, neque legitimae soboles ex illis oriturae, vides, quam inde gravis animarum pernicies sequatur, quanta Ecclesiae reique ipsi publicae perturbatio hanc ob causam possit afferri. Non haec quidem eo dicuntur a me, ut pro dispensationibus hoc modo, si vera mihi relata sunt, hucusque emissis in eas angustias coniicere conscientiam tuam velim, quibus liberare te difficile possis: scis enim me necessariis a SS. D. N. esse facultatibus instructum, quibus ea, quae hactenus peracta sunt, opportune omnique remoto strepitu sanari possint. In id praecipue respicit sollicitudo mea, ut malum hoc prudentia tua in posterum diligentissime praecaveatur. Atque illud ab administrorum curiae tuae ratione alienum esse puto, ut ullo Leodiensium Epporum usu sese fulciri posse credant dispensandi in aliquibus gradibus absque Sedis Apost. facultatibus. Primum enim Eppis omnibus, qui ante Leodiensis Ecclesiae suppressionem a SS. Domino factam eam Ecclesiam rexerunt, dabantur a Sede Apost. per organum S. Congr. de Propaganda fide de quinquennio in quinquennium facultates formulae, quae dicitur tertia, qua in formula expressa est potestas sub n. 3: dispensandi in 3 et 4. etc. — Numero autem 7 additur: hae vero dispensationes matrimoniales non concedantur nisi cum clausula, dummodo mulier etc. et in

dispensationibus huiusmodi declaretur expresse illas concedi tamquam a Sedis Ap. delegato, ad quem effectum etiam tenor huiusmodi facultatum inseratur cum expressione temporis, ad quod fuerint concessae, alias nullae sint; ultimo vero Eppo Leodiensis Ecclesiae praeter supradictas formulae tertiae facultates in locis Imperii et Hollandiae exercendas, amplior etiam eiusdem numeri tertii formula data est pro dioecesis suae locis dominio Austriaco subiectis, in qua facultas dispensandi in 3, 4 simplici et mixto ad id etiam extenditur, ut super iis gradibus cum nobilibus et divitibus in contrahendis dispensare posset. Illud praeterea certissimum est, nullum tibi ipsorum Antistitum usum, privilegium nullum suffragari nunc posse, postquam a SS. Dom. nostro per apostolicas sub plumbo literas incipientes ‚Ecclesia Christi' suppressus, annullatus, et perpetuo extinctus fuit titulus, denominatio, totusque status antiquae Ecclesiae Leodiensis, et nova Leodiensis Ecclesia eius auctoritate per easdem literas fuit de novo erecta, et instituta, diversisque ac antea est limitibus circumscripta. Harum dispositionum vigore neque tu antiquae Leodiensis Ecclesiae antistitum successor, sed primus Leodiensi Ecclesiae a primaeva eius erectione vacanti Eppus praefectus es apostolica auctoritate; neque suppresso titulo et extincta Ecclesia ullum superesse aut transmitti ius vel privilegium potest, quae cum titulo et ecclesia aeque suppressa atque extincta sunt. Quodsi secus se res haberet, neque ius ordinarium tuum validum esset; legitimus enim titulus ac validum ius tuum est, quoniam per suppressionem antiquae Ecclesiae extinctus titulus et deletum ius est postremi legitimi eius Eppi, et interdictum ei fuit exercitium omne cuiuslibet ecclesiasticae iurisdictionis. Quae cum ita sint, pro certo habeo, curaturam pro certo fore Rev. Dom. tuam, ut alia in huiusmodi negotio in eppali Curia sua in posterum ratio ineatur, mecumque consilia sua ituram ad ea, quae acta sunt, prudenter et opportune componenda. Quo debito obstrictus sim pro munere meo tuendi Apost. Sedis iura, a qua legatione fungor, explendisque partibus Sanct. Suae in sollicitudine Gallicanarum Ecclesiarum, ignorare non potes. Quanti momenti res agatur, videt profecto probe-

que sentit sapientia tua, neque vero religio, qua polles, pati potest, eam incuria administrorum tuorum tantum in discrimen adduci. Me itaque excusatum habebis, si longa hac epistola curas angere tuas non dubitarim, persvasumque habebis esse me eximio animi studio, atque ea qua decet reverentia. — Parisiis, 18 Nov. 1803. I. B. Card. Caprara. — *Mandements, Lettres Pastorales, et autres Documents.* Liege. 1851. I. 174.

Mon. 194.

In Concordato Italico anni 1803 potestas Ecclesiae statuendi impedimenta diserte recognoscitur.

Art. 14. Nemo ex Parochis adigi poterit ad administrandum sacramentum matrimonii cuipiam, qui obstrictus sit aliquo ex canonicis impedimentis. — *Ex Bullario Pii VII PP.*

Mon. 195.

Breve Pii VII ad Imperatorem Napoleonem de matrimonio fratris Hieronymi in America inito, et auctoritate Pontificia rescindi petito, dd. 27. Iunii 1805.

Caes. et Reg. Maiestas! Velit Maiestas Vestra tantillum tardiorem cursoris dimissionem non alteri causae adscribere, quam desiderio, quo — quantum in nobis est — omnia media adhibere cupivimus, ut postulatis in literis Eiusdem, *) et

*) Epistolae Napoleonis, quoad quaestionatum matrimonium textus sequens erat: „Saepe loquebar Sanctitati Vestrae de fratre, 19 annorum iuvene, quem navi bellica ad Americam misi, et qui — exhausta ibidem unius mensis mora — quamvis minorennis, Baltimore matrimonium cum protestante filia cuiusdam mercatoris Unitorum Statuum inivit. Redux iam, gravitatem sui erroris ipse persentiscit. Dominam Patterson, sic dictam uxorem eius, ad Americam remisi. Secundum nostras leges hocce matri-

acclusis documentis expressis, et per eundem cursorem nobis submissis, satisfaciamus. Quantum ad id, quod in potestate nostra situm est, impenetrabile quippe secretum observandum, attinet: honori Nobis ducimus urgentibus precibus Maiestatis Vrae maxima cum accuratione respondere; quapropter examen petitionis quoad depromendum de quaestionato matrimonio iudicium, Nobis ipsis reservavimus.

In medio immensae molis laborum, quorum onere ferme opprimimur, omnem sollicitudinem adhibuimus, omniaque studia exantlavimus: ut Nos ipsi e cunctis fontibus hauriamus, rem exactissimo scrutinio subiiciamus, videamusque, num nostra apostolica potestas nobis suppeditare possit quoddam medium, quo desiderium Maiestatis Vrae, — cui, ex obtutu finis, obsecundare nobis pergratum fuisset — adimplere valeamus. Sed quomodocunque rem expendissemus, conatuum nostrorum is fuit effectus: ex omnibus motivis, quae adducta erant, aut quae nos ipsi invenire possemus, nec unum quidem adesse, quo suffragante Maiestati Vrae, — ut cupivimus — annuere et nullitatem dicti matrimonii enunciare Nobis licet.

Cum documenta a Maiestate Vra nobis submissa principiis sibi oppositis innitantur, eadem se mutuo elidunt.

---

monium invalidum est. Quidam hispanus Sacerdos officii sui tantopere immemor extitit, ut huic matrimonio assisteret. Hinc desiderarem Bullam a Sanctitate Vestra obtinere, quae hoc matrimonium pro irrito declaret. Plura quoque documenta Sanctitati Vestrae submitto, inter quae illud Cardinalis Caselli non exignam lucem rei affundet. Illud quidem Parisiis quoque levi negotio rescindi facere possem, cum Ecclesia Gallica huiusmodi matrimonia pro invalidis habeat. Interim magis expedire censeo, ut id Romae fiat; ex obtutu etiam exempli, membris regnantium Familiarum, quae matrimonium cum persona protestantica contractura sunt, statuendi. Velit id Sanctitas Vestra absque strepitu facere. Quod ad me attinet, ego tunc tantum, dum scivero, Sanctitatem Vestram id facturam, civilem cassationem matrimonii procurabo. Multum interest, pro ipsa Gallia quoque, ne protestantica filia mihi tam propinqua sit; neque periculo vacat, si insignis iuvenis, 19 annorum, huiusmodi seductioni contra tenores civilium legum, et adversus omne genus decoris exponatur. — Die 24-a Maii 1805. Napoleon.

Primum, — quod omnia cetera dirimentia impedimenta insuperhabet — statuit : duo tantum esse, quae casui, de quo hic agitur, applicari possent, nimirum : cultus contrahentium disparitatem, et defectum praesentiae Parochi penes celebrationem matrimonii. — Alterum, quod utrumque hoc impedimentum reiicit, duo alia, e defectu consensus Matris et cognatorum Sponsi minorennis, — item e raptu, qui nomine seductionis expressus est, deducit. — Tertium secundo non cohaeret, et adinstar unicae causae nullitatis adfert defectum consensus Parochi sponsi, qui — ut asseritur — necessarius fuisset, cum sponsus domicilium suum non mutaverit, et iuxta normam Concilii Tridentini consensus proprii Parochi ad matrimonia absolute requiratur.

Ex analysi harum contradictoriarum opinionum patet : impedimenta, quae adferuntur, numero quatuor esse; dum tamen eadem singillatim examinassemus, ne unum quidem reperire potuimus, cuius fundamento nobis in praesente casu, iuxta principia Ecclesiae nullitatem rati et iam consummati matrimonii enunciare liceret. Et primo quidem, disparitas cultus, quam Ecclesia adinstar dirimentis impedimenti habet, haud subversatur inter duas personas baptisatas, quamvis una illarum a communione catholica separata sit. Hoc impedimentum in illis solum matrimoniis occurrit, quae inter Christianum et infidelem contrahuntur. Matrimonia autem inter Protestantes et Catholicos contrahi solita, Ecclesia quidem detestatur, pro validis tamen agnoscit. — Nec recte dicitur : legem Galliae, quae matrimonia emancipatarum et minorennium prolium, absque consensu parentum et tutorum contracta respicit, illa ratione sacramenti quoque invalida facere. Ipsa namque legislativa Potestas Civilis, erga repraesentationes Congregationis Cleri anno 1629 declaravit : Legislatores, nullitatem horum matrimoniorum sanciendo, de civilibus dumtaxat effectibus matrimonii loqui voluisse, neque huic legi alium sensum, aut aliam interpretationem a secularibus Iudicibus attribui posse. Etenim Ludovicus XIII auctor huius declarationis apprime noverat : civili Potestati nullum ius dirimentia impedimenta matrimonii, — qua Sacramenti — statuendi competere. Reipsa Ecclesia tantum abest,

ut matrimonia, absque consensu parentum aut tutorum contracta, ratione vinculi pro invalidis declaret; — ut potius haec matrimonia tunc quoque, dum eadem reprobavit, semper, et cumprimis in Concilio Tridentino, pro validis agnoverit. — Tertio, principiis Ecclesiae pariter adversatur, nullitatem huius matrimonii a raptu aut seductione repetere. Impedimento raptus tunc nonnisi locus est : dum matrimonium contrahitur inter raptorem et personam raptam, priusquam posterior perfectae libertati restituatur. Cum vero in saepe fato casu violenta abductio non occurrat, id, quod in memorato documento nomine „raptus et seductionis" insignitur, illud idem denotat, quod defectus consensus parentum, unde seductio minorennis deducitur; neque dirimens impedimentum ratione vinculi constituere potest.

Omnem postea attentionem convertimus ad quartum impedimentum, scilicet impedimentum clandestinitatis, seu absentiae Parochi. Impedimentum istud statuitur a Concilio Tridentino; verumtamen dispositio huius Concilii in illis dumtaxat regnis vigorem habet, ubi celebre Decretum Sess. XXIV cap. 1 de ref. matr. publicatum fuerat, et in hoc casu etiam pro illis tantum personis, pro quibus publicatum fuit. Cum summopere desiderassemus, omnia exquirere media, quae ad praefixum nobis scopum conducerent, hinc omnem conatum eo impendimus, ut cognoscamus: num praedictum Decretum Concilii in urbe Baltimorensi palam et publice annunciatum fuerit? Hoc scopo tabularia Instituti de propaganda Fide, et Inquisitionis — in quibus notitiae de huiusmodi publicatione inveniri debuissent, — pervestigari curavimus. Sed vero nullum praesto est eiusmodi documentum; imo ex aliis relationibus, et inprimis e perlecto decreto Synodi, a moderno Episcopo Baltimorensi convocatae, conclusimus: hanc publicationem neutiquam factam fuisse. Ceterum vix supponi potest, id in regione, quae semper haereticis suberat, evenisse. Post factorum disquisitionem, omni e parte expendimus, num absentia Parochi, iuxta principia iuris ecclesiastici causam nullitatis suppeditare posset. Interim certum tenemus, hanc invaliditatis causam non existere. Reipsa haec non subversatur ex obtutu domicilii sponsi. Nam

etsi supponamus, eundem proprium domicilium eo loco, quo normae a Concilio Tridentino pro matrimoniis praescriptae observantur, retinuisse; innegabile nihilominus principium est: ad valorem Matrimonii sufficere leges domicilii alterutrius partis sponsorum observare, praesertim si neutra domicilium suum fraudulenter deseruerit; — unde consequitur: observatis legibus domicilii sponsae, ubi matrimonium contractum fuit, necessarium haud fuisse, se legibus domicilii sponsi, — ubi matrimonium initum non fuit — conformare. Neque vero e domicilio sponsae causa nullitatis adstrui potest; et quidem ex adducta iam causa, quod, cum Decretum Concilii Tridentini ibidem publicatum non fuerit, dispositio eiusdem quoad praesentiam Parochi obligans neutiquam sit; — item ex illa consideratione: quod — etiamsi publicatio Decreti locum habuisset — (cum de regno originarie catholico sermo sit) haec nonnisi in catholicis parochiis fieri potuisset; quapropter nullitas matrimonii mixti inter catholicum et protestantem, in respectu cuius publicationem factam supponere non licet, inde nunquam deduci potest. Principium istud Praedecessor noster Benedictus XIV mediante Decreto, de mixtis matrimoniis, quae in Hollandia et Belgio confoederato contrahuntur, stabilivit. Cum hoc decretum novum Ius non inducat, sed, — quemadmodum titulus eius docet — explanationem (expositionem videlicet illius: quid haec matrimonia reipsa sint) constituat; hinc facile perspici potest, idem principium talibus quoque matrimoniis applicandum esse, quae inter Catholicum et haereticum, in regno haereticis obnoxio contrahuntur, etiamsi dictum decretum, Catholicis ibidem existentibus solemniter promulgatum fuisset.

His Maiestati Vrae exponendis ideo tantisper immorati sumus, ut Eidem ostendamus, atque comprobemus, quantopere doleamus nos nullum motivum invenisse, quod Nobis ius tribueret, sententiam invaliditatis huius matrimonii enunciandi. Ipsa quoque circumstantia, quod illud coram Episcopo, — vel ut Maiestati Vrae dicere placuit — Sacerdote hispano celebratum fuerit, qui — velut omnes huius, nationis filii — statutis Concilii Tridentini stricte adhaeret novo argumento est: ut hoc matrimonium cum omnibus

solemnitatibus, quibuscum matrimonia in hoc regno valide contrahuntur, celebratum fuisse credamus. Profecto de veritate huius magis convicti sumus, dum nobis occasio affulsisset Acta Synodi a Catholicis Baltimorensibus celebratae inspiciendi. Unde Maiestas Vra abunde perspiciet: enuntiationem sententiae nullitatis, fundamento motivorum, quae Nobis hactenus praesto sunt, omnem potestatis nostrae sphaeram excedere. Quodsi praeter allatas circumstantias aliae adhuc superessent, e quibus factum, dirimens impedimentum involvens, deduci posset; nulli moraremur sententiam nostram huic facto superstruere, decretumque edere, conforme praeceptis Ecclesiae, a quibus in ferendo de nullitate matrimoniorum, — quae iuxta ipsum Dei eloquium a nulla humana potestate dissolvi possunt — iudicio Nobis recedere non licet. Arrogando enim Nobis potestatem, qua minime pollemus, detestandi abusus sacri ministerii nostri, coram Tribunali Divino et coram universa Ecclesia reos Nos faceremus. Nec ipsi Maiestati Vrae, pro suo iustitiae studio gratum foret, si sententiam ferremus, testimonio conscientiae nostrae, et immutabilibus Ecclesiae principiis oppositam. Quapropter tuto confidimus, Maiestatem Vram sibi persvasuram: quod desiderium nostrum, quoad annuendum, quantum in Nobis est, votis Eiusdem animamur, — inprimis spectato intimo nexu, quo illa excelsam Maiestatis Vrae personam et familiam tangunt — in praesenti casu, e defectu potestatis, adimplere nequeamus; Eandemque ipsam hanc declarationem instar luculenti testimonii paternae nostrae adhaesionis habituram. Cui Apostolicam Benedictionem cum effusione cordis impertimur. — Pius PP. VII.

P. S. Hae literae heri, 26-a Iunii expediri debuissent, interim Cardinalis Lugdunensis dimissionem cursoris ideo differri petiit, quod novas quasdam observationes nobis substernendas habeat. Reipsa exhibuit nobis illas, quas serio examinavimus, cupientes in illis reperire modum, quo intentionibus Maiestatis Vrae, absque laesione praeceptorum Dei et Ecclesiae favere possemus. Verumtamen pro maximo cordis nostri dolore convicti sumus, Nobis non suppetere potestatem dissolvendi matrimonium, cuius nullitas ex adductis

observationibus nequaquam resultat, quemadmodum id solidis argumentis in nostro ad Cardinalem responso demonstravimus. Dum igitur enunciamus, Nos e defectu potestatis, non autem e defectu voluntatis desideriis Maiestatis Vrae deesse: Eadem longe iustior et sapientior est, quam ut ortum inde animi nostri dolorem non perspiciat, aut circa promptitudinem nostram — si id effectu possibile fuisset — quodpiam dubium foveat. — Pius PP. VII. — *Artaud Histoire du Pape Pie VII.*

Mon. 196.

Pius VII PP. in Allocutione ad S. Collegium 16 Mart. 1808 super rebus Gallicis habita contra leges civiles matrimoniales in Gallia protestatur.

— Compertum est vobis, et quoties et quam graviter conquesti simus tum de legibus matrimoniorum atque divortii, tum de compluribus aliis et ab Evangelio abhorrentibus, et contra ecclesiasticas constitutiones piaque instituta latis, incredibili et religionis et eccles. disciplinae, et auctoritatis huius S. Sedis ac Epporum detrimento, contemtu. — *Ex Bullario Pii VII PP.*

Mon. 197.

Pius VII Eppos Galliarum amplioribus circa dispensationes matrimoniales facultatibus providet. 1809.

Vix nova a nobis Gallicanarum dioecesium peracta circumscriptione per nostras literas datas tertio Kal. Dec. a. 1801, quarum initium ,Qui Christi Domini' atque AEppis et Eppis ipsarum canonice institutis, prudentiae et caritatis plenam praedecessorum nostrorum inprimisque S. Leonis M. oeconomiam imitati, qui licet severissimus ss. canonum veterumque institutorum custos et vindex, scribens tamen ad Rusticum Narbonensem Eppum pronunciavit multa esse, quae aut pro necessitate temporum, aut pro consideratione statuum

oporteat temperare, singulis AEppis et Eppis Galliarum, numero sexaginta, extraordinarias quasdam concessimus facultates, easque deinceps de anno in annum ad hoc usque tempus prorogavimus. Instaurandis enim Ecclesiis, animarum morbis medendis, fidelium conscientiis tranquillandis, scandalis reparandis earum usum opportunum ipsis atque adeo necessarium pro misera illa temporum conditione indicavimus. Aliquot vero iam annis ab extincto teterrimo schismate elapsis, diem tandem advenisse putabamus, cum rebus omnibus satis iam compositis atque ordinatis, spirituali fidelium bono consultum, atque antistitum desiderio satisfactum foret concessione facultatum formulae decimae nuncupatarum, quas Apost. Sedes Galliarum Praesulibus impertiri iamdiu consueverat. Factum propterea hinc est, ut, cum vestrum nonnulli appropinquante iam die, qua pristinae facultates a nobis per nostrum in Galliis Legatum concessae cessare deberent, apud nos institissent pro nova facultatum concessione, eisdem formulam ipsam decimam transmitti iusserimus. Verum postea multi ex vobis datis ad nos literis plura adhuc eaque gravissima obstacula interponi asseruerunt, quominus pristina sacr. canonum severitas iam nunc revocari posset, allatisque multiplicibus maximisque dioecesium suarum necessitatibus amplioris indulti concessionem ab Ap. Sedis clementia enixis precibus efflagitaverunt. Nos igitur, qui ut longe ab eo absumus, ut disciplinae vigorem ab Ecclesia, divino docente ac dirigente Spiritu constitutae, effroenatis aut perpetuis poene relaxationibus enervare, sanctissimasque eius leges humanis vicissitudinibus ac placitis subiicere velimus, sic immenso studio quaerimus salutem ovium domus David ne pereant: matura ac diligenti consideratione perpensis omnibus, quae nobis per vestras literas significavistis, habitaque insuper ratione precum vestrarum, quas tanto cum fervore ad nos detulistis, multo ampliorem facultatum concessionem, quam quae formula decima continetur, impertiri vobis in animum induximus; firmam habentes spem, apostolicam hanc indulgentiam nostram arctioribus vinculis vos huic Cathedrae Petri communione consociaturam, atque elapso tempore, quod huic facultatum exercitio satis longum a nobis praefinitum

est, religionis negotium in Galliis zeli vestri sollicitudine sic restitutum iri, ut ecclesiastica disciplina hac etiam in parte ad pristinam severitatem revocari queat. Quem quidem exoptatissimum finem ut assequi nos tandem possimus, plurimum certe instructiones atque exhortationes proderunt vestrae, quarum studiose augendarum inducta non ita pridem systemata quaedam, ab Ecclesiae Catholicae sensu et doctrina omnino aliena, (quae ut removerentur, neque expostulationes, nec preces, nec lacrymae profuerunt nostrae) summam vobis necessitatem imponunt, quo vera atque orthodoxa de venerabili praesertim matrimonii sacramento doctrina pura in fidelium mentibus conservetur, fidelesque ipsi ad docilitatem, Dei Ecclesiae legibus debitam, revocentur, ut, dum reddunt quae sunt Caesaris Caesari, quae sunt Dei Deo reddere non praetermittant. De consilio igitur selectae ven. fr. nostr. S. R. E. Cardinalium Congregationis vobis mittimus *generale indultum facultatum* hisce nostris literis adiunctum, quo pro tempore et modo in eodem expressis uti possitis; ex eo, sicuti ex duobus aliis, quae ad vos pariter dirigimus, animadvertetis, propter infirmitatem ovium curae vestrae concreditarum, agnoscentes nos erga eas debitores sollicitudinis amplioris, eidem infirmitati quoad fieri potuit remedium aptasse, atque in favorem fidelium Gallicanae nationis, quos in caritate D. N. I. C. vehementer diligimus, multo largiores in concessione facultatum fuisse vobiscum, quam cum ceteris aliarum nationum, etiam a nobis remotiorum, Eppis unquam fuerimus. Voluimus quippe, ut vel iis incommodis et malis curatu difficilioribus provisum esset, quorum remedia utpote plane extraordinaria et exquisitae considerationis Apostolica sibi semper Sedes reservavit. *Indulgentes* propterea vobis, *ut quodam casuum numero*, in quibus speciales circumstantiae iudicio vestro concurrunt, quae huiusmodi dispensationi, stricte adeo a ss. canonibus vetitae, satis idoneam causam praebeant, *etiam super secundi gradus impedimento dispensare possitis.* In qua quidem facultate concedenda vobis, dispensandi nempe in secundo gradu, ideo satis amplum praefinivimus casuum numerum, ut dioecesibus etiam illis provisum esset, quarum fines longius protenduntur maiorique constant fidelium multi-

tudine. Curavimus quoque rationem praebere vobis, qua tot errantes ac perditas oves in ovile Domini revocare facilius possitis, *potestatem vobis facientes, tot matrimonia ob canonicum aliquod dirimens impedimentum nulliter inita revalidandi, ac in difficilioribus quibusdam casibus in radice etiam sanandi.* Preces insuper, quae a nonnullis e vobis porrectae sunt, prae oculis habentes, non neglеximus. ecclesiasticis viris paupertate et senio confractis, ac seminariis dioecesanis subsidia, quae potuimus comparare, concedentes scilicet, ut in eorum utilitatem mulctae illae a vobis convertantur, quae ad resarciendum aliqua ratione vulnus, quod ex dispensationum matrimonialium concessione eccles. disciplinae infligitur, et ad matrimonia inter personas cons. vel affin. vinculo invicem coniunctas rariora ac difficiliora reddenda iuste ab Ecclesia salubriterque constitutae sunt. Quod quidem seminariorum institutum tam utile, tam necessarium, tam sanctum, non possumus non incenso quodam animi studio vobis commendare, ut in iis sana doctrina, puritas morum, perfectaque totius eccles. disciplinae ratio diligentissime constituantur.

Videtis ergo nos non in eo, quod praesumus, utilitatem nostram attendentes, sed eorum, quibus ministramus, rationes nostras ipsas magna ex parte neglexisse, omne detrimentum nostrum lucrum putantes, modo omnes possimus Christo lucrifacere. Licet enim in tantis nunc aerarii angustiis difficultatibusque versemur, ut tot expensis, quae pro administratione universalis Ecclesiae et fidei christianae propagatione nobis sustinenda sunt, vix ac ne vix quidem pares esse possimus, taxarum tamen omnium, quae Datariae nostrae debitae sunt pro singulis dispensationibus matrimonialibus, quarum concedendarum vobis facimus potestatem, iacturam libentissime subimus. Quod vero ad dispensationes illas, quas omnino nobis et huic S. Sedi reservamus, spondemus vobis, indulgentiam nostram in earumdem taxarum solutione Datariae nostrae facienda sic ad ea quoque protendendam, ut nemo de acerba exactione conqueri possit. Quodsi tanta licet largitate vobiscum usi, desideriis tamen vestris omni ex parte satisfacere fortasse non valuimus, persvasum sit vobis, maximi ponderis rationes, easque non tam huius Cathedrae S. Petri

praerogativas ac iura, quam potius Ecclesiae, cui praesidemus, disciplinam rectamque administrationem spectantes, largiori nos uti indulgentia prohibuisse, memores nimirum, quod si nos sumus praepositi, rationem reddemus Deo de dispensatione nostra. — *(Post ea, quae adhuc circa matrimonia clericorum, item matr. mixtae religionis profert Summus Pontifex, quaeve nos in aliis nostris Operibus vulgavimus, sic prosequitur et concludit:)* — Etsi vero non omnium plane Gallicanorum Antistitum literae ad nos pervenerint, quibus novam a nobis facultatum ab Ap. Sede iis iam concessarum prorogationem postulaverint, cum tamen rationum momenta a plerisque Galliae praesulibus, quorum literas accepimus, nobis proposita non possint dioecesibus Galliae omnibus non esse communia, idcirco universis Gallicanis Eppis easdem facultatum formulas ducimus esse transmittendas. Quamquam dissimulare non possumus, non parum nobis admirationi fuisse, quod plurium Galliae Antistitum literae minime ad nos perlatae fuerint; tanta enim facultatum necessitas, quanta premi sese tot alii eiusdem imperii praesules nobis exposuerunt, omnes certe ad novam earum concessionem implorandam svadere et propemodum impellere debuisset. Coniicimus quidem nonnullorum, qui ad nos scripserunt literas, aut nondum perlatas ad nos, aut fortasse etiam fuisse deperditas; *nollemus tamen, quod certe non sine gravi suspicamur indicio, Epporum aliquos idcirco facultatum prorogationem ab hac S. Sede non postulasse, quod perversam periculisque plenam opinionem imbiberint, posse se iure proprio in iis dispensare aut absolvere, quae generatim Conciliorum sanctionibus, Summorum Pontificum decretis, diuturno usu per universam Ecclesiam reservata sunt; et quidem viderint, si forte, quod absit, id sibi arrogaverint vel arrogent, quid egerint quidve agant.* Nos autem fidelium eorum curae concreditorum necessitati ac saluti, quantum in nobis est, prospicere cupientes, easdem et Eppis istis, quas ceteris Galliae Praesulibus facultates ultro communicamus atque transmittimus. Praeterire demum silentio nolumus, non mediocri solatio nobis in tantis acerbitatibus fuisse, quod plurium ex vobis literae plenae essent studii in nos, veteremque illam reverentiam et devotionem erga hanc

B. Petri Apost. Principis Cathedram mirifice praeseferrent, qua Gallicani omnium actatum Antistites semper emicuerunt. Levantes in coelum manus nostras, agimus gratias Deo, qui consolatur nos in omni tribulatione nostra, vosque semper in corde habentes hortamur, ut impleatis gaudium nostrum, idem sapiatis, eandem caritatem habentes, unanimes, idipsum sentientes, loquimini omnes quae decent sanam doctrinam, verbum sanum, irreprehensibile, custodientes depositum, bonum certamen fidei certate, state in uno spiritu unanimes, collaborantes fidei Evangelii; orate demum sine intermissione pro nobis, qui apostolicam benedictionem paternae caritatis nostrae pignus vobis gregibusque curae vestrae creditis amantissime impertimur. Datum Romae die 17 Febr. 1809. — *Ex Bullario Pii VII PP.*

Mon. 198.

Vicarius Eppi Gandensis instructionem dat Parochis circa actum civilem matrimonii iuxta legislationem Gallicanam desideratum. 1815.

Cum Iurisprudentia Gallicana circa matrimonia christianorum incestis, adulterinis, aliisque scandalosis nuptiis latam portam aperuisset, institerunt iamdudum Belgii Antistites apud Ser. Principem Arausicanum, ut leges in hac materia latas revocare, vel tali saltem ratione modificare dignaretur, quae dictis scandalis viam praecluderet.

Aequitatem postulationis sibi factae princeps agnovit; et quamvis non duxerit expedire, ut formalitatem, codice gallicano praescriptam, abrogaret, aut matrimonii celebrationem in facie ecclesiae eidem praeire permitteret, arresto tamen suo de 21 Octobris anni 1814 decernere dignatus est, ut nullus exinceps catholicus ad contrahendum civiliter matrimonium admitteretur, nisi munitus existat testimonio Pastoris sui, alteriusve Presbyteri, auctoritate eius vel ordinarii nixi, quo constet, partes nullo impedimento canonico irretiri.

Statutum hoc, licet intentione optima, ut plus vice simplici declaravit princeps, in favorem religionis catholicae latum, haud placuit nonnullis vicinarum dioecesion theologis existimantibus declarationem praefatam a Pastoribus dari non posse sine influxu in matrimonium civile, contrahendum iuxta leges, quas contrarias credunt doctrinae sacrosancti Concilii Tridentini, circa potestatem Ecclesiae in matrimonium christianorum. Difficultatem auxerunt expressiones quaedam, contentae in circulari praenobilis Domini Intendentis Scaldeos, de 16 Decembris 1814, quae, si enuntiassent intentionem legislatoris, maiorem longe natae erant parere perplexitatem.

Quare de novo ad Serenissimum Principem supplices facti sumus, ut mentem suam circa difficultates exortas aperire dignaretur. Id autem a bonitate eius consecuti sumus, ut litteris, per ministrum negotiorum interiorum, die 26 Decembris ad nos directis, expresse declaret, e mente sua nullatenus fuisse, ut clerus in contractu civili partem aliquam habere teneatur; quin potius officialem civilem isti subiecerit formalitati, quae sola, donec mutabitur codex gallicanus, ministris religionis catholicae asserere possit iura quae reclamarunt. Addit autem, promptam sibi esse voluntatem revocandi vel conservandi arrestum suum, prout favorem, quem clero praestare voluit, in pretio ab illo haberi vel non haberi intellexerit. In literis quippe istis habentur sequentia :

„Vous reconnaîtrez encore, en cette occasion, une nouvelle preuve de la sollicitude de S. A. R.; et vous vous souviendrez sans doute, qu'ayant obtempéré aux demandes réitérées du clergé, elle avait consenti à un changement que la tenue des registres de l'état civil ne rendait nullement désirable, puisqu'il était tout simple de laisser les choses comme elles étaient, jusqu'à la réforme du code. C'est donc le clergé seul qui a été écouté; et bien loin de lui faire prendre aucune part dans le contract civil, on a au contraire soumis l'officier civil à la seule formalité qui pouvait garantir aux ministres de la religion, les droits qu'ils réclamaient."

Sentiet facile quivis aequus rerum aestimator, in eam nos partem abire non potuisse, ut suppressionem arresti cum

tot tantisque incommodis cuperemus. Quare, re coram Deo serio examinata, unanimiter nobiscum censuerunt amplissimi de concilio nostro viri, nihil ulterius impedimento esse debere, quominus declaratio, iuxta formulam, infra positam, chartae, signo publico notatae, inscripta, ab omnibus Pastoribus eorumve vices gerentibus subministretur, non tamen ante solitas bannorum proclamationes.

Neque moram cuiquam facere debet metus influendi in actionem malam; nam in praeambulo arresti sui expressis terminis princeps dicit, ideo se modificasse leges gallicanas in hac materia, quia principia religionis catholicae earum executionem non patiuntur. Addit, formalitates illas conservatas esse pro celebratione matrimonii, *in quantum est contractus civilis;* neque neglectum earum importare asserit nullitatem matrimonii, sed solum effectuum civilium, quos illic enumerat, legalem probationem procreationis prolis, legitimitatem eius, et ius haereditarium.

Sed licet haec alicui dubia viderentur, certum interim est, quod Pastor, dans declarationem, quidquid sit de eius influxu in actionem parochiani sui, non tamen influat in actionem sive legislatoris sive magistratus, neque alterutram, qualiscunque ea sit, approbare censeatur.

1-o. Quidem non influit ex intentione legislatoris, cum contrarium princeps authentice declaraverit.

2-o. Non etiam ex natura rei: nam saltem amplius nihil facit Pastor, quam quod faceret, si parochianus, pressus ab usurario, a quo, necessitate urgente, mutuum accepit sub usura, peteret summam pecuniae necessariam ad solvendas usuras. Quis negabit, eam a Pastore dari posse? Dicet quippe quilibet vir sensatus, quod influat quidem in actionem pauperculi parochiani sui, quae bona est; negabit autem, quod influat in actionem malam usurarii.

Actionem autem parochiani, sistentis se coram magistratu civili pro obtinendis civilibus matrimonii sui effectibus, bonam esse inficiari nemo poterit, nisi et sanae theologiae principiis, et Sanctae Sedis auctoritati contradicere voluerit.

Etenim notum est omnibus, quomodo de christianorum matrimonio, sub initium revolutionis gallicanae, sentiret conventus nationalis; et tamen Pius VI constanter respondit, *nihil impedimento esse, quominus fideles, ut civilibus potiantur effectibus, praescriptam a nationali conventu declarationem faciant, illud semper prae oculis habentes, nullum ab ipsis tunc contrahi matrimonium, sed actum mere civilem exerceri.*

Neque est quod quis existimet, id solum locum habere posse, dum caeremonia civilis matrimonium, in facie ecclesiae contractum, subsequitur, non autem ubi praecedit; contrarium quippe resolvit Ben. XIV in brevi dato die 17 Septembris 1746, ad Patrem Simonem a S. Iosepho, Carmelitam Discalceatum, missionarium in Belgio; ubi, postquam dixit *ad eiusmodi* (de quibus locutus fuerat, nempe incontinentiae), *vitanda pericula, consultius utique fore, ut catholici, nonnisi matrimonio iam antea in faciem ecclesiae inter se legitime celebrato, ad illam explendam civilem caeremoniam, magistratum seu haereticum ministellum adirent: sed quoniam*, inquit, *ex vestris litteris deprehendimus, id non sine periculo et perturbationibus posse adimpleri, id saltem pro viribus satagite, ut postquam reipublicae morem illi gesserunt, non diu differant ecclesiae legibus parere, et coniugale foedus, iuxta praescriptam a Tridentino normam, rite et sancte inire.*

Accedit auctoritas theologorum probatissimorum. Citasse sufficiat DD. *Dens*, praesidem Seminarii Mechliniensis, tract. de matrim. n. 113. *Danes*, in Institutionibus, quas scripsit ubi praeses erat Seminarii Iprensis, p. 1. sect. 2. cap. 25. in nota ad q. 17. *Perin*, praesidem Seminarii Namurcensis, tract. de matrim. q. 4. art. 6. *Dictata Semin. Brugensis*, de imped. matrim. §. 29. *Steyaert*, Dioec. Buscod. Vic. Apost. in Aphor. de matrim. §. 5. n. 8. *Daelman*, de matrim. q. ultima, observ. XIV. *Collet*, contin. Tournelii tom. IV. de dispens. in specie, p. 1. cap. 13. q. 4. etc.

Restat autem non levis ponderis monitum, quod verbis Ben. XIV, in supradicto Brevi, vobis observandum damus: ut nempe *sciant catholici, curae vestrae concrediti, cum civili magistratui...., matrimonii celebrandi causa, se sistunt, actum se mere civilem exercere, quo suum erga leges et instituta princi-*

pum obsequium ostendunt: caeterum tunc quidem nullum a se contrahi matrimonium. Sciant, nisi coram ministro catholico et duobus testibus nuptias celebraverint, nunquam se, neque coram Deo, neque coram ecclesia, veros et legitimos coniuges fore: nec si interim coniugalem inter se consuetudinem habuerint, eam gravi culpa carituram. Sciant denique, si qua ex huiusmodi coniunctione oriretur soboles, eam, utpote ex non legitima uxore natam, in oculis Dei fore illegitimam; et, nisi coniuges consensum, ex ecclesiae praescripto, renovaverint, illegitimam perpetuo futuram, etiam in ecclesiae foro.

Erit porro officii vestri, haec omnia, cum commoda se obtulerit occasio, atque ea, quam rerum circumstantiae vobis adhibendam suaserint, circumspectione et cautela, singulis explicare prolixius; simulque omnes commonere, ut, siquidem regionis consuetudini et terreni principis sanctionibus obtemperare coguntur, faciant illi quidem, sed religione salva, potioresque ducant sanctissimas Ecclesiae leges, quibus fidelium matrimonia constringuntur. Illud praeterea vobis curandum est, ne, etiamsi duo catholici civilem illam, ac mere politicam. . . . caeremoniam peregerint, nimium inter se familiariter agant, aut sub eodem tecto in communi habitent, nisi se prius veris et legitimis nuptiis, ex norma Tridentini, alligaverint; quamquam enim ea familiaritas esse possit sine flagitio, flagitii certe periculo et suspicione non vacut: utrumque autem probis et bene moratis Christi fidelibus cavendum est.

Haec sunt, Rev. Domine, quae ad instructionem subiecti nobis cleri communicanda iudicavimus; exhortantes unumquemque vestrum in Domino et, quantum opus est, omnibus iniungentes, ut tenori praesentium sese conforment, donec Sedes Apostolica, cuius iudicio praesentem ordinationem subiecimus, aliter forte ordinaverit. Plenam autem habemus in vobis fiduciam, futurum, ut superiorum vestrorum vocem audiatis ea docilitate, qua illam audistis, ubi difficillimis temporibus, obiiciendo vos *murum aereum* pro domo Dei, fortitudinis vere sacerdotalis specimen exhibuistis. Sic erit ut *unum dicatis omnes, et non sint in vobis schismata:* et siquidem, iuxta monitum sapientis, *frater, qui adiuvatur a fratre,* sit *quasi civitas firma,* ita clerus adunatus Pastori suo,

cni nihil tam solemne est quam sarta-tecta servare iura Dei et Ecclesiae, cuius minister est, non poterit loqni nisi victorias. — Gandae, 2 Ian. 1815.

Formula declarationis. Nous, soussigné Curé de la paroisse de . . . . . . certifions par les présentes, que N . . . . . et N . . . . . s'étant présentés pour contracter mariage par-devant nous, et nons ayant demandé si nous avions découvert par les pnblications de leurs bans quelqne empêchement canonique andit mariage, lenr avons déclaré qu'il ne nous en était parvenne aucune connaissance, et les avons invités en conséqneuce à venir coutracter incessamment par-devant nons leur scule union légitime, conformément à la loi établie pour cet effet par le saint concile de Trente. — *Ex Pastoralium Epp. Gandensis collectione.*

Mon. 199.

Idem Vicarius ad Decanos contra matr. civile et divortium. 1817.

Inter mala, quae ex temporum acerbitate in disciplinam ecclesiasticam mnlta proflnxere, illud sane unum ex summis est, nostros inter dioecesanos hinc inde audire fornicatores, incestuososque, qni maritaliter vivunt, nullo coram Ecclesia matrimonio coutracto. Cumque tepescere non possit boni pastoris zelus, donec superest tantum exstirpaudnm malnm: non possumns, quin vestram sedulitatem vocemus in subsidinm, per eamqne excitemus in commonitione sinceram mentem RR. DD. tui districtns Pastorum, ut instando opportune, importune, arguendo, obsecrando, partes ad officialitatem anlae eppalis remittendo, oves suas, si qnas sic aberrantes habent, in viam salutis factis faciendis qnantocius reducere suscipiant. Nulla antem gratia nobis maior erit, quam ut inaudiamns exacta tna relatione, ante festum Assumtionis B. M. V. optimis DD. Pastorum cnris procuratum feliciter esse, ut via sive separationis sive ecclesiastici matrimonii tanta scandala e vestro decanatu, si hactenus ibi substiterint,

plane sint sublata. Quodsi, quod Deus avertat, suorum pastorum monitis obtemperare pervicaciter noluerint, horum velis ad nos nomina perscribere, quatenus, ut expedire in Domino videbitur, validiora nos ipsi remedia tantae corruptioni animarumque iacturae applicare valeamus, sicque lapsis argumentum saltem praebere, quomodo nihil subtrahamus utilium, quominus annunciemus eis. Punctum adiungimus alterum, nec illud levis momenti. Divortia namque, quae a tempore subversae potestatis Ecclesiae in matrimoniis, proprio partium ausu frequenter fiunt, graviter sane scandalisant, principiaque et perantiquum usum miserum in modum convellunt. Causae excitatae aut super validitate sponsalium, aut super iure instituendi divortium quoad thorum et cohabitationem ad solum Iudicem Ecclesiasticum deferuntur, ait Benedictus XIV conformiter ad C. Tridentinum. Quare obligationem hanc vere gravem omnes animarum directores ob oculos habeant, et iis omnibus, quos res contingit, repraesentent, quatenus eiusmodi causae deinceps omnes ad tribunal D. Officialis evocentur, casu quo partes per ipsos DD. Pastores ad mutuum consortium reduci non possint. — Gandae, 1 Iunii 1817. — *Ex collect. Pastoralium Epp. Gandensis.*

Mon. 200. 201.

De matrimoniis iuxta sanctiones Ecclesiae initis, licet cum impedimento civili, pro validis habendis declarationes Romanae Poenitentiariae. 1824. 1826.

200. *Decl. a. 1824.* Ad quaestionem Eppi *Vivariensis*: *utrum valeat tamquam sacramentum matrimonium coram proprio parocho absque praemisso contractu civili celebratum?* responsio s. Poenitentiariae de 1. Iun. 1824: Sacra Poenitentiaria perpensis expositis Ven. in Chr. Patri Eppo Vivariensi respondet, primum matrimonium a Petro contractum in forma Ecclesiae consveta absque impedimento canonico, sed tantum cum impedimento civili, validum esse. Ita enim eruitur ex Instructione a Suprema Inquisitione per S. Congr.

Concilii Organum ad Eppnm Brexinonensem a 1804. transmissa : *matrimoniis fidelium, quibus nullum obstat canonicum impedimentum, suam quoad maritalem nexum inesse vim et valorem, eorumque vinculum indissolubile manere, qualiacunque tandem fuerint impedimenta a seculari Potestate, Ecclesia non consulta nec probante, perperam ac nulliter constituta.* Quo posito clare patet, secundum matrimonium a Petro attentatnm nullum et irritum fore, ac propterea nullo modo posse parochum eidem benedictionem tribuere.

201. *Decl. a. 1826.* Ad quaestionem Eppi *Aniciensis: utrum valeat in foro conscientiae matrimonium initum coram legitimo parocho et testibus, quod non praecesserat contractus civilis coram magistratu, vel aliis verbis, utrum lex civilis nunc vigens in Galliis, quae nulla declarat et irrita matrimonia, quae non fuerunt inita coram magistratu et, ut gallice appellantur, enregistres a la Mairie, obliget in conscientia?* responsio Poenitentiariae dd. 7. April. 1826: Sacra Poenitentiaria, mature perpensis expositis, respondendum censuit: matrimoniis fidelium coram Ecclesia contractis etc. *ut supra*; in reliquis consulendam Constitutionem Benedicti XIV, cuius initium ‚Redditae snnt nobis', necnon responsum ad Eppum Lucionensem a. 1793. iussu Pii VI missum. — *Martin de potestate dirimendi matr. Ecclesiae soli propria.* Paris. 1844. II. 517.

Mon. 202.

Leo XII Papa ad Vicarium Leodiensem de civilibus coniugii formis. 1824.

Minime novae accidunt nobis angustiae, in quibus locorum Ordinarii in Regno isto versantur ex eo, quod leges fidelibus obligationem imponunt civiles coniugii formas coram Magistratibus implendi, antequam matrimonium contrahere valeant iuxta eam formam, quae a S. Trid. Concilio decreta est. Tantam hanc calamitatem in regno isto et in aliis amarissime deploramus. Scimus enim quam gravia mala inde

exurgant, et quam ingentia pericula animarum saluti ad hoc veluti fonte dimanent. De hoc itaque rerum statu merito doles tuis literis die 20 Dec. superioris anni datis, nosque in iis religionis zelum, quo praestare te scimus, apprime recognoscimus. Quod vero ad nos scribis, *Card. Poenitentiarium Maiorem nostrum dispensationes in favorem pauperum relaxare nolle, nisi constet ex testimonio Ordinarii, quod matrimonium dictum civile coram magistratu iam contraxerint*: perinde ac si coniugium civiliter attentatum tamquam necessariam conditionem ad relaxandas dispensationes exigeret, ac quoddam veluti meritum ad eas consequendas agnosceret et haberet, id falsum omnino esse tibi significamus. Haec enim agendi ratio a spectatissimo Cardinali illo, nobis probantibus inhaerentibusque tenetur. Peculiari inprimis ac multo maiori quam erga ceteras nationes indulgentia utitur, cum de dispensationibus fidelium istius regni agitur, ac si, quantum ad matrimonia in gradibus primi affinitatis lineae collateralis, aut primi et secundi consangvinitatis civiliter inita, facilem in dispensando se praebet, aegro admodum animo id facit, imo vero conditiones gravis ac diuturnae poenitentiae atque eleemosynae pro viribus erogandae in literis dispensationis appositae probant, factum civilis contractus acriter illum improbare ac detestari. Adhuc tamen considerans nullam esse rationem, ut qui vinculo illo incaute aut malo se animo constrinxerunt, ab eo se expedire valeant, utpote quod regni leges insolubile reddunt, piae matris Ecclesiae misericordia iis poenitentibus subvenit, qui admissum facinus agnoscunt et detestantur, ut sese Deo et Ecclesiae reconcilient, neve ceteri pravum illorum exemplum sequantur, gravibus ab hoc eos poenitentiis deterret. Quodsi in concedendis gratuito praesertim in primo affinitatis gradu dispensationibus absque urgenti et gravissima causa difficilem se praebet, ad id stricte impellitur obligatione illa, quae Sanctae huic Sedi incumbit, ne in destructionem potius quam in aedificationem apostolica cedat auctoritas et indulgentia. Ita enim accideret, si facilitas dispensandi leve esse primi affinitatis gradus vinculum demonstraret, et scandalosis huiusmodi coniunctionibus multiplicatis, machinationibus in coniugum vitas, aliisque crimi-

nibus fraenum facile laxaretur. Uno verbo Apostolicae huius Sedis oeconomia haec est, ut civili nexu constricto, necessitati invita subveniat, re vero integra abusui periculi pleno voluntarie nolit cooperari. Probe autem cognoscimus, permultos adesse, qui contemta auctoritate Ecclesiae ac spe freti eam flectendi ad dispensationem elargiendam, facili negotio a Gubernio impetrant veniam, cum consangvineis et affinibus civiliter contrahendi, atque ita diu in incestuoso scandalique pleno concubinatu vivunt. Atque hoc quidem gravissime nos angit; videmus enim, a perversis huiusmodi Ecclesiae filiis, qui ad eius leges infringendas paratum animum afferunt, parum aut nihil utilitatis expectari posse. Indicamus tamen, indulgentia nostra ulterius protracta meliores fructus et familiarum catholicarum conservationem polliceri nobis non posse, quandoquidem qui magnum matrimonii sacramentum tam pravo animo ac voluntate suscipiunt, fructus benedictionis difficile admodum producturi erunt. Haec ad tuas literas rescribimus, et cum praecipua caritate tibi ac fidelibus curae tuae concreditis apostolicam benedictionem impertimur ex corde. Datum Romae die 11 Febr. 1824. — *Mandements, Lettres Pastorales et autres Documents.* Liege. 1851. II. 437.

Mon. 203.

AEppus Rothomagensis in Epistola Pastorali ad Clerum contra sic dicta civilia matrimonia. 1825.

— Parochi inculcabunt suis fidelibus: matrimonia, quae secundum leges Ecclesiae nulla sunt, talia esse etiam coram Deo; *vera matrimonia iuxta decretum Conc. Trid. unice in praesentia parochi contrahi posse; sic dicta civilia connubia,* ab eo inde tempore inita, quo parochis munus suum libere exercere licuit, *coram Ecclesia nulla ac irrita, merosque concubinatus esse,* secundum ss. canones tractandos; iis, qui huiusmodi matrimonia ineunt scopo obtinendae facilius dispensationis in prohibitis gradibus (per civilem legem sublatis,)

declarandum esse, quod numquam sint obtenturi dispensationem, sed secundum praescriptum C. Trid. ab invicem separari debeant; eos, qui civiliter iuncti benedictionem Ecclesiae consequi cupiunt, ad tempus separandos, et monendos esse, ut datum scandalum opportune reparent. — *Allgem. Kirch. Zeitung.* 1825. p. 473.

Mon. 204.

S. Poenitentiariae Rom. rescriptum ad parochum in Gallia de matrimonio, quod coram officiali municipali contractum est, a. 1829.

Petitio parochi. Eminentissime etc. Lege civili adhuc in Galliis vigente graviter vetitum est, ne quis sacerdos matrimonium inter fideles celebret, priusquam actum civilem coram officiali municipali expleverint; quam quidem legem suis presbyteris — ille ipse, ad cuius dioecesim pertineo, Eppus — imposuit. Verum haud mediocriter huiusmodi statuto gravatur conscientia fidelium; qui cum ex Concilio Tridentino matrimonium contrahere non debeant nisi praesente parocho et in facie Ecclesiae, coguntur profana in domo coram homine seculari per verba de praesenti contrahere. Neque etiam videtur veritati seu iuri ecclesiastico consentaneum, quod officialis municipalis in nomine legis fideles declaret matrimonio iunctos, antequam Ecclesiae limen adierint. Atque huc accedit, quod clarissimae memoriae Cardinalis ‚Zelada' literis a. 1793. die vero mensis Maii octava et vigesima datis Eppo Lucionensi responderit: ‚Curare fideles debere contrahere matrimonium coram testibus, et quidem, quoad fieri possit, catholicis, priusquam Municipalitati se praesentes sistant, ut praescriptam a Nationali Conventu declarationem faciant.' Quae cum ita sint, Sanctitas Sua dignanter respondere velit postulanti: 1. an liceat presbytero animarum curam gerenti id exigere, ut fideles actum civilem prius expleant, quam ad celebranda eorum matrimonia in facie Ecclesiae procedat? 2. Si licitum illud non sit, parocho quid tandem agendum?

num tenetur instruere fideles sibi commissos de obligatione contrahendi matrimonium primum in facie Ecclesiae? 3. Anne potius expediat tacere de obligatione huiusmodi, nihilque interea facere, quo fideles in errorem inducantur? — Anno 1829 die 26. Nov.

Responsum S. Poenit. Sacra Poenitentiaria perpensis expositis Parocho oratori respondet: *quod* ipse *admittat ad celebrationem matrimonii etiam post contractum civilem; doceat tamen sponsos doctrinam catholicam circa matrimonii sacramentum.* Romae die 24. Dec. 1829. — *Le Memorial Catholique.* Paris, 1830. I. 109.

Mon. 205.

Ex Epistola pastorali Card. AEppi Lugdunensis, in qua opus Dupinii, iuribus Ecclesiasticae Potestatis adversum proscribit. 1844.

— Articulo XXXI, qui de actibus, extra iurisdictionem Papae, eiusque Delegatorum sitis, tractat, sub nota sequentia verba auctoris „Manualis“ legimus: „Hodie Matrimonium contractum essentialiter civilem constituit.“ Hanc falsam sententiam catholico Dogmati adhuc magis adversa ratione evolvit D. Dupin in sua „Refutatione assertionum D. Comitis de Montalembert.“ Nos nentiquam praetendimus, ut Terrae Principes partem, quam civilis Iurisprudentia in matrimonio tenet, penitus Ecclesiae cedant: imo Nos prohibemus, ne Sacerdotes illis benedictionem nuptialem impertiantur, qui legitima et conveniente forma non docerent, se in respectu civilis actus coram Officiali civilis Iurisdictionis stitisse. Verumtamen matrimonium nunc tam parum, quam antea, est contractus *essentialiter civilis.* Cum contractus matrimonialis, inde ab annunciato Evangelio, apud Christianos in spiritualem scopum institutus, per Dominum ac Salvatorem nostrum originali suae sanctitati restitutus, imo ad dignitatem Sacramenti novae Legis elevatus sit, — posteaquam per polygamiam gentilium diutissime pollutus fuisset; — ex his rationibus idem

contractus omnibus, pure civilibus coutractibus excelsior est, atque sub hoc respectu quoad omnia, quae valorem, legitimitatem,sanctitatemque foederis coniugalis concernunt, auctoritati, quam Ecclesia a suo Fuudatore accepit, subiicitur. Quomodo praesumitur vilissimis contractibus, qui in publicis foris concluduntur, comparare actum, de sublimibus praerogativis participantem, quibus matrimonium — abstrahendo etiam ab eiusdem charactere sacramentali — inde ab exordio insignitum fuerat? Huiusmodi praerogativae matrimonii sunt: quod virtute divinae institutionis ante omnem civilem societatem fundatum sit; quod imaginem unionis Iesu Christi cum Ecclesia indelebili charactere exhibeat; quod sacrum vinculum, duas personas coniuugens indissolubile reddat; quod manifestationem mutui atque intimi consensus, quem nulla humana Potestas supplere potest, inevitabiliter deposcat; quod denique inter christianos ideo institutum sit: ut societas illorum, qui in spiritu et veritate adorant, propagetur. Hae sunt distiuctivae notae matrimonii, quae contractum, de quo sermo fit, adeo spiritualem reddunt, ut in Catholica Ecclesia vinculum matrimonii omui contractu sublimius reputetur. Hoc thema sequentibus verbis evolvit P. Drouin: „Licet inter gentes — iuquit — quae Deum iguoraut, matrimonium in contractibus mere civilibus numeratur, non tamen in Ecclesia Dei, in qua contractus ipse divini Sacramenti materia est, ad gratiae productionem accomodati; ea itaque ratione de matrimonio iudicare, eique modum necessarium ponere ad Ecclesiam pertinet.“ Atque haec ratio est, cur Potestas civilis, quae interdum contractus, etsi validos abrogare, imo defectus a contrahentibus admissos in certis adiunctis supplere potest, in respectu matrimonii simile ius exercere non possit, nec uuquam potuerit. Id expressit Pius VI in suo Brevi dd 11 Iulii 1789 ad Eppum Agriensem directo, declarando: matrimonium esse contractum, divino iure ante omuem civilem societatem institutum et approbatum, et per hoc differre matrimonium ab omni alio coutractu. Ergo matrimonium, ab ipso Deo in paradiso institutum, divinam atque immutabilem suam naturam coustanter retinuit. Insuper semper proprium fuit eidem exclusivum atque prorsus peculiare ius unitatis

atque indissolubilitatis, quo humani atque civiles contractus nequaquam gaudent; utpote qui secundum voluntatem contrahentium ineuntur et dissolvuntur. *Matrimonium est contractus essentialiter civilis!* Hanc propositionem retundimus auctoritate Concilii Tridentini, quod, Sessione 24 pro nullo ac irrito declaravit matrimonium, quod coram proprio Parocho et duobus testibus contractum non fuit; quod eadem Sessione anathema pronunciavit tam in illos, qui dicerent: matrimoniales causas ad ecclesiasticos Iudices haud pertinere; quam contra illos, qui praetenderent: Ecclesiae non competere ius dirimentia impedimenta matrimonii statuendi. Quodsi in oculis Catholici Gallicani decisio Oecumenici Concilii sufficienti vigore non polleret, nos hanc propositionem per edictum regium dd 15 Iunii 1697 refelleremus; per hoc quippe executio decreti Concilii Tridentini relate ad clandestinitatem, praescribitur. Nos reiicimus illam, cum Benedicto XIV declarante: Matrimonium, contra dispositionem Concilii Tridentini initum, nec qua contractum, nec qua sacramentum validum esse; illosque, qui tali modo contrahere praesumerent, pro legitimis coniugibus haberi non posse. Reiicimus illam cum Pio VI, qui in Bulla: „Auctorem fidei" qua haereticam damnat sententiam Synodi Pistoriensis, asserentem: „ad supremam civilem potestatem *dumtaxat* originarie spectare, contractui matrimonii apponere impedimenta, quae ipsum nullum reddunt, dicunturque dirimentia." Principia de matrimonio in „*Manuali*" enunciata et in ‚*Refutatione assertionum*' evoluta doctrinae catholicae Ecclesiae non consonant, et si quidam sponsus Sacerdoti iuxta placita D. Dupin responderet, Gallicanus quidem, ad normam Richerii et Pithouvii esse posset, Catholicus tamen non esset. Non possumus a nobis impetrare, quin huiusmodi catholicis, qui pro suo arbitrio hanc vel illam essentialem doctrinam Ecclesiae acceptant, aut repudiant, cum Propheta dicamus: „Si Dominus est Deus, sequimini eum, si autem Baal, sequimini illum." De sacris canonibus pro libitu disponere, nemini integrum est. D. Dupin infundate attribuit S. Thomae et Scoto quamdam haesitationem in asserendo: doctrinam de sacramentali dignitate matrimonii, dogma fidei esse. Ceterum inde, quod ex

gr. S. Thomas non dicat nudis terminis: dogma fidei est, Eucharistiam esse Sacramentum, — minime sequitur, hunc S. Doctorem enunciare ausum non fuisse, quod hic articulus dogma fidei constituat. Angelus Scholae demonstrat tantum: Iesum Christum Sacramentum Eucharistiae instituisse. Adhuc clarior est Scotus, Doctor subtilis, dum de Eucharistia loquendo dicit: quod in Ecclesia semper dogma fidei fuerit, Iesum Christum sub specie panis praesentem esse, quemadmodum semper articuli fidei fuerunt veritates, quas Ecclesia de sacramentis proponit. Iam autem Scotus matrimonium Sacramentis novae Legis annumerat. — Lugduni, 21 Nov. 1844. — (*Integrum decretum extat in nostris Monumentis Catholicis pro indep. Pot. Eccl.* VI. 263.)

Mon. 206—217.

Concilia Galliae pro iure Ecclesiae quoad matrimonia, et contra sic dicta matr. civilia. 1849. ss.

206. **C. Remense** a. 1849. *Tit. XI. cap. 1.* Cum matrimonium in Lege Evangelica veteribus connubiis per Christum gratia praestet, merito inter novae Legis Sacramenta annumerandum ss. Patres, Concilia, et universalis Ecclesiae traditio semper docuerunt: adversus quam impii homines huius seculi insanientes non solum perperam de hoc venerabili sacramento senserunt, sed de more suo praetextu Evangelii libertatem carnis introducentes multa ab Ecclesiae Cath. sensu et ab Apostolorum temporibus probata consvetudine aliena scripto et verbo asseruerunt, non sine magna Christifidelium iactura; quorum temeritati cupientes occurrere, statuimus: de Sacramento Matrimonii, quaecunque decreverunt Patres Tridentini, Summique Pontifices, in omnibus ac singulis Ecclesiis religiose observari. — *Cap.* 2. Ecclesia semper potuit et potest in christianis matrimoniis iure proprio impedimenta constituere, quae non solum impediant, sed et nullum reddant quoad vinculum. Cum aliunde causae matrimoniales spectent ad iudices ecclesiasticos, docemus ea nulla esse et

invalida non solum quoad sacramentum sed etiam quoad vinculum seu contractum naturalem matrimonia, quae cum impedimento dirimente canonico contrahuntur. Declaramus autem tamquam valida habenda esse, quaecunque fiunt iuxta sanctiones canonicas. Nihilominus a Parochis curandum est, ut serventur quae lege seculari praescripta sunt ad contractum matrimonialem, ne matrimonium careat effectibus civilibus.

---

207. **C. Avenionense** a. 1849. *Tit. IV. c. 8.* Multi pessimum errorem pristinorum haereticorum contra indissolubile matrimonii vinculum renovantes, vel etiam coniugii tyrannidem, ut aiunt, proclamantes, fornicationis, divortii, adulteriique praedicatores fieri non erubescunt. Unde multa oriuntur mala; nam cum absque indissolubili matrimonio familia subsistere nequeat, cumque societatis publicae familia sit fundamentum, necesse est, everso fundamento domus ipsa corruat. Quapropter nos illorum, quibus Christus ipse Dominus matrimonii firmitatem sancivit, memores verborum ‚quod Deus coniunxit, homo non separet', necnon decretis ss. Tridentinae Synodi cohaerentes, vehementer animarum rectores hortamur in Domino, ut summo zelo matrimonii sanctitatem et indissolubilitatem tueantur atque defendant.

---

208. **C. Burdigalense** a. 1850. *Tit. III. c. 8.* Profitemur Ecclesiam semper potuisse ac posse in Christianorum matrimoniis iure proprio impedimenta constituere, quae matr. non solum impediant, sed et nullum reddant quoad vinculum, quibus christiani obstricti teneantur etiam in terris infidelium, in eisdemque dispensare. — Ne matrimonium effectibus civilibus careat, volumus, ut ea omnia serventur, quae lex coram magistratu fieri praecipit; parochis tamen commendantes, ut publicis et privatis monitionibus, omni ope et opera, fideles avertant ab ineundo praemature et pericu-

lose actu illo civili ante diem, quo nuptiae coram Ecclesia sunt celebrandae.

---

209. C. **Bituricense.** a. 1850. *Tit. V.* Gratiam, quae coniuges sanctificat, ipse Christus venerabilium Sacramentorum institutor atque perfector sua nobis passione promeruit. Itaque parochus apprime curet, ut fideles de Sacramenti dignitate rite edocti, ad illud suscipiendum pie accedant, sancta enim res est matrimonium sancteque tractanda. — Decretum C. Tridentini de parochi praesentia in matrimonio fidelibus explicent animarum pastores et animo inculcent, non sufficere nec rationem veri coram Deo matrimonii ullatenus habere, contractum civilem, matrimonii nomine immerito decoratum. — Attendant parochi ad ea, quae lege civili praescripta sunt ad contractum matrimonialem, ne matrimonium careat effectibus civilibus.

---

210. C. **Aquense** a. 1850. *Tit. VII. c. 8.* Quoniam hisce luctuosis temporibus non pauci sunt, qui verbis vel scriptis multa moribus et doctrinae evangelicae contraria asserant, veritatem catholicam circa hoc sacramentum strenue vindicent parochi, populosque accurate doceant: 1. Matrimonium in se spectatum ex primaria institutione esse quid sanctum et a Deo ipso institutum; cum vero ad dignitatem sacramenti a Christo Domino evectum fuerit, coniugium christianorum veteribus connubiis sanctitate sicut et gratia praestare, ideoque maxime esse honorabile in omnibus. 2. Fide catholica certum esse, Ecclesiam semper potuisse ac posse in christianorum matrimoniis iure proprio impedimenta constituere, quae matrimonium non solum impediant, sed et nullum reddant quoad vinculum; ideoque cum decretum C. Tridentini irritos nullosque statuens contractus connubiales non initos coram parocho alterutrius contrahentium proprio et tribus vel duobus testibus in Galliis promulgatum fuerit, matrimonia catholicorum apud nos inita coram civili tantum magi-

stratu neque in ratione sacramenti neque in ratione vinculi sustineri aut ullo pacto valida reputari posse. 3. Matrimonium ex primaeva sua institutione et speciatim ob rationem sacramenti ipsi a Christo collatam ita esse indissolubile, cum ratum simul et consummatum fuerit, ut nec a coniugibus ipsis, nec ab ulla potestate humana dissolvi possit. 4. Cum plura extent impedimenta canonica, quibus irrita vel illicita reddantur christianorum matrimonia, de his, quantum prudentia permiserit, doceant populum sibi commissum parochi, et ubi de matrimonio in sua cuique parochia contrahendo agitur, sedulo attendant, ut omnia ad normam canonum informentur. 5. Curent speciatim, ne ullum matr. absque sacerdotali benedictione contrahatur. Curent pariter, ut ea serventur, quae a potestate seculari praescripta sunt, ne matr. effectibus civilibus careat.

---

211. C. **Tolosanum** a. 1850. *Tit. 3. c. 1. §. 73.* Sollicite occurrant Pastores perniciosae huius seculi contagioni, quae carnis libertati favens Sacramentum Matrimonii vel spernit vel maculat, et totis viribus nitantur, ut qui nubere volunt, in Christo nubant. — *§. 77.* Mandamus ac praecipimus sub excomm. poena omnibus, qui civili tantum matrimonio iunguntur, ut quamprimum societatem suam canonico matrimonio ratam faciant. Fideles moneant parochi de hac censura quotannis Dom. III. Quadragesimae. Patres Concilii fausta quaeque precantur eximiae laicorum societati, quae sub patrocinio S. Francisci Regis tollendis huiusmodi scandalis Tolosae sese devovit; eam hortantur ad zelum ingeminandum, et omnes Ecclesiasticos monitos volunt, ut fidenter ad eam recurrant, eique vicissim occasione data operam libenter praestent.

---

212. C. **Rothomagense** a. 1850. *Decr. XX.* 1. Parochi diligenter et prout ipsis expedire videbitur, fidelibus exponant sanctitatem matrimonii. — 2. Omnibus in memoriam revocent: coniunctionem mere civilem ad bonum conscientia

salutemque animarum nihil proficere, imo pro concubinatu merito habendam esse. — 6. Ne matrimonium effectibus civilibus careat, serventur quae lex coram magistratu fieri praecipit; curent tamen parochi, ne praemature actus ille perficiatur.

---

213. C. Albiense a. 1850. *Decr. IX. Tit. 6.* Parochis praecipiunt Patres Synodi Albiensis, ut de matrimonio, cuius sanctitas tantopere confert ad societatis bonum et salutem animarum, sacram doctrinam saepius ab Ecclesia traditam in memoriam fidelium revocent. Eos sedulo moneant cum Gregorio XVI in Encyclica a. 1832: ‚Matrimonium rebus sacris adnumerari, et Ecclesiae proinde subiici; praestitutas de ipso eiusdem Ecclesiae leges habendas esse ob oculos, eisque parendum sancte accurateque, ex quarum executione omnino pendet eiusdem connubii vis, robur, ac iusta consociatio; infelices exitus habitura esse connubia, quae vel adversus Ecclesiae disciplinam, vel non propitiato prius Deo, vel solo aestu libidinis iunguntur, quin de Sacramento ac de mysteriis, quae illo significantur, ulla teneat sponsos cogitatio.' Pastores igitur et alii quilibet, ad quos spectabit, Christifidelibus eam doctrinam studeant ingerere, ut probe intelligant omnes, illegitimum et prorsus nullum esse quodcunque matrimonium in facie Ecclesiae non contractum, nec secus ac concubinatus reos et peccatores publicos habendos esse eos, qui coram solo magistratu civili contrahere praesumunt. Quapropter fideles coniugium inituros avertere satagant ab adeundo magistratu ante diem, qua sese Ecclesiae ministro sistere debent, ne forte primo illo contractu inito se connubio iunctos haberent, et ad veram matrimonii celebrationem procedere negligerent.

---

214. C. Senonense a. 1850. *Tit. III. c. 8.* Matrimonium, magnum utique foedus, quo nullum antiquitate venerabilius nec firmitate inviolabilius, Deus ab initio instituit, cum humani generis protoparentes coniunxit, illisque benedixit. In

Ecclesia autem et in Christo magnum est Sacramentum, quo gratia coniugibus confertur, ut per fidem, sanctitatem, indissolubilitatem et prolem unionem Christi cum Ecclesia repraesentent. Quos de matrimonio contrahendo cogitare noverint parochi, sedulo moneant, ut in re tanti momenti se Deo, in cuius manibus sunt sortes nostrae, commendare, et piis precibus vitaeque innocentia divinam benedictionem impetrare curent: filii quippe sanctorum sunt, et non possunt coniungi sicut gentes quae ignorant Deum. Tob. 8, 5. Doceantur insuper fideles, impedimenta matrimonii propter bonum societatis et religionis sapienter ab Ecclesia fuisse constituta, nec super his nisi gravi de causa dispensari.

---

215. C. **Avenionense dioecesanum** a. 1850. 1851. *Tit. XVII. §. 147.* Attento praesenti rerum ordine in Galliis matrimonium coram Ecclesia non celebretur, priusquam exhibuerint partes testimonium scriptum et authenticum consensus, quem praestiterunt in conspectu magistratus civilis. *§. 148.* Quando vir et mulier, qui matrimonium inire attentarunt tantum coram Magistratu civili, adeunt parochum, ut legitime contrahant in facie Ecclesiae, matrimonio non iungantur, quin certo quodam tempore ad praescripta iuris communis habitaverint in Parochia. —

---

216. C. **Auscitanum** a. 1851. *Tit. III. c. 1. §. 7.* Cum inter christianos matrimonium magnum sit in Christo et in Ecclesia Sacramentum, lugenda valde est multorum temeritas, qui sacrum illud foedus e manibus Ecclesiae penitus eripere sunt conati, illudque inter profanas res pro mutabili hominum nutu pleno iure regendas non sine ingenti morum et totius societatis periculo annumerare ausi sunt. Ut huic impietati secundum Evangelii documenta et Ecclesiae universalis traditiones occurramus, et ut in celebrandis nuptiis omnia fiant secundum ss. Ecclesiae regulas, haec declarat Auscitana Synodus: Tamquam morum corruptelam summopere detestamur quaecunque prodiere systemata, quibus vel

virginitas et coniugalis fides deturpantur, vel pauperes a nuptiis contrahendis avertuntur. Nullam aliam carnis cohonestationem agnovimus praeter continentiam christianam, vel honorabile connubium. Ecclesia iure proprio impedimenta dirimentia constituere potest, haec autem ecclesiastica impedimenta solius Ecclesiae potestati subiiciuntur quoad abrogationem, extensionem, restrictionem et dispensationem. Profitemur, illa omnia et sola rata et valida coram Deo esse matrimonia, quae secundum canonicas sanctiones celebrantur.

217. **C. Ambianense** a. 1851. *V.*— Declaramus tamquam valida habenda esse matrimonia, quaecunque fiunt iuxta sanctiones canonicas. Nihilominus a parochis curandum est, ut serventur quae lege seculari praescripta sunt ad contractum matrimonialem, ne matr. careat effectibus civilibus. — Moneantur fideles, eos, qui aliter quam praesente parocho vel alio sacerdote de ipsius parochi vel Ordinarii licentia et duobus vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt, ex C. Tridentini decreto ad sic contrahendum omnino inhabiles esse, irritosque et nullos esse huiusmodi contractus. — *Ex Actis et Decretis Conciliorum Gall.*

Mon. 218.

Pius IX PP. in Brevi ad Eppos Provinciae Camberiensis vigorem Concordati Gallici anni 1801 ad hanc provinciam extendens, civile matrimonium reprobat. 1860.

— Optime etiam noscitis, a vobis executioni esse mandanda illa duntaxat, quae in praedicta Pii VII Conventione sunt constituta. Quocirca, veluti iam Gallico Imperiali Gubernio declarandum curavimus, in istis Sabaudiae et Nicaeae provinciis eidem Guberuio nunc subiectis nullum unquam locum habere poterunt nec articuli organici, contra quos haec Apost. Sedes constanter reclamare et protestari haud

omisit, nec lex de civili matrimonio, nec alia quaevis dispositio, quae Catholicae Ecclesiae doctrinae eiusque iuribns quovis modo adversetur. — Datum Romae die 31 Dec. 1860. — *Ex Actis Pii IX PP.*

Mon. 219.

Theses ad Sedem Apostolicam delatae per Eppum Montis Regalis (in Gallia), cum censuris per nonnullos Theologos propositis. 1863.

— — 42. Societas domestica seu familia a lege tantnm civili suae existentiae legitimitatem derivat. *Censura* : Falsa, contraria iuri naturali et divino; quatenus vero intelligatur de societate seu familia christiana, haeretica.

43. Ad societatis christianae bonnm est universim admittendum, conditiones essentiales coniugalis vinculi immutari debere ad Guberniorum et opinionum nationalium nutum. *Censura* : Haeretica.

44. Progressns socialis inducere debet abolitionem indissolubilitatis vinculi coniugalis. *Censura* : Haeretica.

45. Causae matrimoniales non spectant ad iudices ecclesiasticos. *Censura* : Haeretica.

46. Praeceptum ab Apostolo promulgatum de subiectione uxoris viro suo adversatur legitimae emancipationi feminae : quod si praeteritis temporibus bonum extitit, non item dicendum de futuris. *Censura* : Impia et haeretica. — (*Ex collectione Encyclicarum Gallicarum de a. 1863. et 1865.*)

c) Monumenta ex Sardinia et regnis Italicis eidem annexis.

A. ***Introductio.*** Iam in Opere nostro ‚de Monumentis Catholicis pro independentia Potestatis Ecclesiasticae ab Imperio Civili' identidem observavimus, in Sardinia per de-

cursum diuturni Pontificatus Pii IX permulta evenisse ex parte Civilis Gubernii, quae iuribus Potestatis Ecclesiasticae summum intulere praeiudicium, et tam Summum Pontificem quam Eppos Regni ad reclamationes protestationesque pro tuenda Ecclesiae libertate ac potestate Gubernio Civili faciendas provocavere. Reapse anni regiminis Pii Papae IX seriem fere ininterruptam exhibent contradictionum huiusmodi in permultis disciplinae Ecclesiae item independentiae ac autonomiae capitibus: siquidem Ministri et Parlamenta Sardiniae fere cunctas institutiones ecclesiasticas usu diutino consecratas, pactisque ab utraque Potestate sancitis roboratas nihili ducendo, leges iuribus ecclesiasticis oppido adversas proponere, ordinationes in positivum auctoritatis sacrae contemtum tendentes promulgare, Sacrorumve Antistites aeque ac inferioris ordinis sacerdotes, pro doctrina, disciplina, iuribusque Ecclesiae strenue pugnantes gravibus iniuriis lacessere non sunt veriti. Nec Matrimonio in Ecclesia Catholica obvenit alia sors: nam Regimen Sardinicum, quod vigesimis Seculi nostri annis (1821. et 1822) adversus leges Genevenses de matrimonio ad normam legislationis Gallicanae conditas repetitis vicibus protestabatur, et Ecclesiae Catholicae de Sacramento matrimonii doctrinam strenue tuebatur, inde ab anno 1852 contrariam assumsit positionem, spretisque Ecclesiae iuribus, prout de aliis, ita de matrimonio quoque secundum recentiora systemata et civiles codices ordinando ac constituendo, suaeque potestati subiiciendo cogitavit, perlatisque sensim legibus intentionem suam in effectum deduxit, legesve huiusmodi inde ab a. 1859 occupatis ab se Italicis regnis ac provinciis communes fecit. Dici et hic potest: inde ab a. 1852, quo primum matrimonio Catholicae Ecclesiae bellum Sardinia indixit, seriem pene ininterruptam protestationum et contradictionum ex parte Ecclesiasticae Potestatis evolutam fuisse. E combinatione porro documentorum advertere licet, Gubernium Sardinicum prout in aliis ad S. Sedem relationibus, ita etiam in hac de matrimonio cum eadem Sede instituta tractatione minus sincerum semet exhibuisse.

Initium tractatus de matrimonio inter S. Sedem et Sardinicum Gubernium anno, ut diximus, 1852 factum est, licet proiectum condendae novae legis matrimonialis iam 1851 Romae per Plenipotentiarium Sardiniae exhibitum foret. Tractatum inchoavit *Plenipotentiarius S. Sedis* per officiosam Notam ad Ministrum Sardinicum directam, occasionem praebente proiecto legis, Parlamento per Ministros Regios proposito. In Nota reflectit Plenipotentiarius Ministrum Sardinicum super differentia, quae inter proiectum Parlamento exhibitum et illud, quod 1851 S. Sedi praesentatum fuit, intercedit; siquidem in posteriore declaratum esset, unice de effectibus civilibus matrimonii fore sermonem, in priore autem proponatur lex de ipso matrimonii vinculo solvendo, et de coniugiis, quae coram Ecclesia sunt valida, civiliter irritandis. Adversus legem huiusmodi protestatur Nota Plenipotentiarii S. Sedis, velut principio catholico de inseparabilitate matrimonii a sacramento in Ecclesia adversam. (*Mon.* 220.) Cum autem Plenipotentiarius Sardinicus in suo responso praeter diplomaticas reflexiones ad meritum rei parum vel nihil proponeret: (*Mon.* 221.) Plenipotentiarius S. Sedis in altera Nota denuo attentum reddidit Sardinicum Ministrum ad principia catholica, iuxta quae res matrimonialis tractari debet. (*Mon.* 222.) Post primas has de proiecto novae legis matrimonialis velitationes diplomaticas, Rex ipse communicavit cum Summo Pontifice observationes sui Ministerii de praevia lege, co tendentes, ut tum necessitas ferendae huius legis demonstretur, tum potestas Status civilis vindicetur, tum argumentorum contra proiectum legis ex obtutu Ecclesiae ac Religionis adductorum vis minuatur. (*Mon.* 223.) Verum quum observationes Ministerii contra ipsam doctrinam Ecclesiae eiusve potestatem circa matrimonium dirigerentur, lexque Parlamento Sardinico proposita omnem pene religiosum typum matrimonio adimeret, id ceu merum contractum civilem spectaret, cognitionemque causarum matrimonialium a iurisdictione Ecclesiae avellere niteretur: *Summus Pontifex* de manutenendo Ecclesiae iure sollicitus, et ad occurrendum malis, per legem illam, si reapse sanciretur, indubie sequuturis opportuna media quaerens, familiarem exaravit ad Regem

Sardiniae epistolam, qui ipse Pontificem super dicta lege consuluerat. In epistola Pontifex pleno cum candore proponit Ecclesiae de matrimonio doctrinam: iuxta quam matrimonium ad dignitatem sacramenti elevatum neutiquam ceu accidens quodpiam contractui superadditum, sed tamquam ad ipsam essentiam matrimonii pertinens, apud christianos tantummodo qua sacramentum legitime consistere potest, secus purus manet concubinatus; lex proin civilis, quae sacramentum a contractu seiungendo ipsum valorem matrimonii regulare intendit, doctrinae Ecclesiae contraria est, iuraque Ecclesiae usurpat. Obtestatur Regem, ut legi eiusmodi sanctionem suam tanto certius subtrahat, quanto graviora sunt mala, quae e lege illa in effectum deducta consequi necessum est. (*Mon.* 224.) Sed et *Praesules* ditionum Regis Sardiniae proiectum legis per suas repraesentationes impugnabant, et instructionem opportunam Clero Curato pro norma agendi impertiebantur. E repraesentationibus eius generis notandae sunt cumprimis duae: altera *Epporum Subalpinorum et Liguriae* ad Senatum Regni, altera *Epporum provinciae Camberiensis*. Prior omni ex obtutu expenso proiecto legis, plurima profert pro eo argumenta, quod lex eiusmodi, matrimonium civile inducens, irreligiosa, immoralis, et perniciosa sit; oratque Senatum, ne nationem tam infausto discrimini exponat, et onus gravissimae responsionis in se assumat, sed potius eo enitatur, ne proiectum tam deplorandum, et malorum pro Ecclesia aeque ac Statu gravissimorum scaturigo, vim legis nanciscatur. (*Mon.* 225.) Posterior in forma declarationis exhibet proiectum tamquam inconstitutionale, immorale, antisociale, et anticatholicum; tum enunciat: quemvis catholicum, alia quam per Ecclesiam statuta forma matrimonium ineuntem, eoipso maiori excommunicationi obnoxium fore, a participatione sacramentorum, et sepultura eccles. exclusum, proles vero illegitimas. (*Mon.* 226.) Ex *Instructionibus* ea, quam Praesules provinciae *Taurinensis* in forma Pastoralis epistolae edidere, maximam meretur attentionem. Nam ea non modo completam ob oculos ponit doctrinam Ecclesiae, verum etiam de potestate ac iure solius Ecclesiae quoad impedimenta dirimentia tum ex historia tum natura

rei, et divinis eloquiis ac Ecclesiae sensu uberiorem complectitur discussionem; et in fine declarationi prius memoratae similem adiiciens ad fideles exhortationem, diserte simul pronunciat: per nullius civilis legis vim ac potentiam posse circa sacramentum matrimonii unquam innovari, mutari, aut annullari, quod per Ecclesiam sancitum, ordinatum, definitumque habetur. (*Mon.* 227.) — Proiectum legis a. 1852 per Senatum reiectum fuit.

Lege matrimoniali a. 1852 per Senatum reiecta, aliquot annis proiectum eiusdem in scriniis Ministerialibus delituit: sed e somno excitatum, post annum 1859, dum provinciae Italicae Regno Subalpino annecti seu potius violenter occupari coepere, rursum discussionis Parlamentaris evasit obiectum, eo cum effectu, ut paulo post sanctione Regia muniretur, lexque evaderet. Quae hoc sub obtutu post annum 1852 ex parte S. Sedis et Epporum Regni ac occupatarum Provinciarum evenere, ad haec revocantur.

In *Expositione officiosa Sedis Apostolicae* de rebus Sardinicis cum concernentibus documentis a. 1855 vulgata perstringitur memoratum legis matrimonialis proiectum, et series tractatus a. 1852 instituti summarie recensetur, facta provocatione ad documenta, quae iam analisavimus. (*Mon.* 228.)

A. 1856 in Constitutione de sic dicta *Monarchia Sicula* Summus Pontifex tum circa dispensationes matrimoniales, tum de processu canonico super vinculo matrimonii qualiter instituendo congruas fecit provisiones: priori respectu vetans ullum a Regimine Civili poni impedimentum, quominus fideles directe ad S. Sedem recurrant, si voluerint; posteriore autem Constitutionem Benedicti XIV ‚Dei miseratione' accurate servari iubens. (*Mon.* 229.)

A. 1860 *S. Poenitentiaria Romana* quoad matrimonia in locis per Pedemontanum Gubernium occupatis ineunda consulta, respondit: matrimoniis eorum, qui in censuras ecclesiasticas inciderunt, etiamsi reconciliatio cum Ecclesia ob gravia rerum adiuncta non perficiatur, posse cum indultu Ordinarii assistentiam per parochos praestari, exclusa tamen semper Missae celebratione. (*Mon.* 230. 231.)

Eodem anno, 1860, postquam Gubernium Pedemontanum in *Umbria* ab se occupata civiles matrimonii ineundi formas praescripsisset, aliaque decrevisset, quorum ductu matrimonium pene ex toto Ecclesiasticae subtrahitur Potestati, *Pius IX* in Allocutione Consistoriali 17 Dec. habita adversus decreta huiusmodi vocem suam levavit, et quidquid contra Ecclesiae iura actum fuit, ageretur que in posterum, damnavit ac reprobavit. *(Mon.* 232.)

Inde ab a. 1861, quo quaestio de sic dicto *civili matrimonio* in Parlamento Pedemontano, vulgo Italico, denuo discussa ac subin etiam contra doctrinam iuraque Ecclesiae decisa fuit, serie continua sese excipiebant protestationes Epporum contra idmodi legem, partim in forma Instructionum Pastoralium ad Clerum, partim in forma literarum ad Regem vel ad Ministros Regis interpositae. Documenta haec summi sunt momenti : siquidem conspicua sint praeclari zeli ac roboris Praesulei in vindicandis Ecclesiae iuribus testimonia. Ex iis praecipua inter Monumenta recensemus.

Instructio Epporum Provinciae Mediolanensis dd. 5. Ianuar. 1861 evolvit religiosum matrimonii characterem, et ostendit, ipsum nec in statu naturali, multo minus post suam sublimationem ad dignitatem sacramenti potestati mere civili subiectum fuisse, sed, quocunque ex obtutu consideretur, ad solam ecclesiasticam potestatem principaliter et essentialiter pertinuisse. Porro de matrimonio civili asserit et probat, legem eius intuitu condendam fore iniquam, irreligiosam, et foecundum semen disordinis ac scandali. Tandem impugnat et evertit argumenta pro matr. civili et iure Status in matrimonium proferri solita. (*Mon.* 233.)

Instructio Praesulum Hetruriae mense Martio 1861 edita, dum religiosum matrimonii characterem pariter ac praecedens Instructio explicat, potissimum momenta rationum refutat, quae per Ministros Italicos et Parlamenta pro sustendanda lege sua civili in medium proferebantur : et demonstrat, legem hanc esse illogicam, oppressivam, libertati conscientiae contrariam, doctrinae catholicae adversam, nec alio ex fundamento egressam, quam statolatriae et secularisationis. *(Mon.* 234.)

Declaratio Epporum Umbriae mense Iunio 1861 facta praemisso, quod reformatio matrimonii christiani Italica non sit merae formae innovatio, sed ipsius principii et veri momenti religiosi eversio, proiectum Ministeriale de matr. civili docte non minus quam uberrime perstringit, ostendendo eius incompatibilitatem cum professione catholica, seu proiectum illud in suo conceptu, seu in origine et motivis, sive in principalibus dispositionibus, et practicis sequelis consideretur. In epilogo autem evolvit praefata declaratio, quod reformatio isthaec matrimonii necessario importet violationem dogmatis et oppressionem conscientiarum; tum quod Status Civilis officia quoad matrimonium in extrinsecis solum relationibus consistant, quae civilem respiciunt societatem. (*Mon.* 235.)

Instructio Praesulum Marchiae de 15 Aug. 1863 satis prolixe tractat de natura ac indole sacramenti matrimonii, de exclusiva Ecclesiae in illud potestate, de absurditate et funestis sequelis matrimonii civilis: et solenniter protestatur contra qualemcunque legem de civili coniugio, declaratque: ex parte Epporum non aliam de matrimonio proponendam fore doctrinam, quam Ecclesiae Catholicae. (*Mon.* 236.)

Remonstratio Praesulum Neapolitanorum ad Regem dd. 15 Aug. 1863 tum matrimonium civile in genere impugnat, tum Circulares Ministerii de matrimoniis Acatholicorum, eo sensu editas, ut liceat iis a praescripta per antiquiores Pedemontii leges forma Tridentina recedere. Ex hoc incidenti Eppi uberius excurrunt ad vindicandas vetustiores, sanctionibus canonicis conformes leges, quibus etiam acatholici quoad matrimonia sua subiecti erant. (*Mon.* 237.)

Protestatio Epporum Aemiliae et Marcarum ad Regem directa mense Novembri 1836 civile matrimonium iisdem verbis impugnat, quae in celebri epistola Pii IX P. M. ad Regem Sardiniae a. 1852 dimissa continentur. (*Mon.* 238.)

Eppus Acerratensis in R. Neapolitano 1864 idem pertractat argumentum, quod Eppi Neapolitani collective evolverant a. 1863, et literas suas immediate ad Ministrum dirigit, videlicet de matrimonio acatholicorum et de civili coniugio. (*Mon.* 239.) *Eppus* porro *Recinetensis* et *Lauretanus* in prima Pastorali epistola 1864 egregie proponit ac vindicat

doctrinam et iura Ecclesiae de matrimonio, huicve soli tribuit potestatem quoad impedimenta dirimentia et causas matrimoniales; de lege autem civili, quae matrimonium civile statuit, asserit: eam omni vi carere, in Deum impiam esse, ac matrimonium evertere. (*Mon.* 240.)

Eppi Neapolitani a. 1864 nova ad Regem adornata repraesentatione ex doctrinae catholicae principiis refellebant civile matrimonium novae discussioni Parlamenti propositum. (*Mon.* 241.)

Repraesentatio Epporum e Provinciis Taurinensi, Vercellensi, et Genuensi ad Senatum Regni 1864 directa, et facundia et ubertate se commendans, cumprimis pro indissolubili vinculo matr. pugnat, et quaevis argumenta pro divortio et matrimonio civili adlata evertit. (*Mon.* 242.)

Protestatio Epporum Hetruriae altera ad Regem 1864 missa, tum contra civile matrimonium, quod nomine ‚concubinatus lege sanciti' insigniunt Praesules, tum contra alias leges Ecclesiae iniquas denuo vocem attollit, verbaque energica ad Regem dirigit. (*Mon.* 243.)

Eppi provinciarum Taurinensis, Vercellensis, et Genuensis (Iannensis) a. 1865 ad Commissionem Centralem Senatus Regni novam eamque duplicem direxerunt repraesentationem contra civile matrimonium. In utraque refutant argumenta, quae pro sustinendo novo proiecto partim in Commissione Senatus, partim extra illam proferebantur. (*Mon.* 244. 245.)

Declaratio Praesulum Umbriae a. 1865 facta non modo refellit rumores de eo sparsos, quod illic inde ab a. 1860 matrimonium civile pacifice introductum habeatur, verum etiam ostendit, e mente Umbrorum resultata funestissima civilis matrimonii esse: quod errores in materia religionis ac fidei ingeneret, quod fallat et conturbet conscientias Catholicorum, quod campum aperiat concubinatui et publicae immoralitati, quod detrimentum inducat concordiae et stabilitati nuptiarum. (*Mon.* 246.)

A. 1866 *S. Poenitentiaria Romana* generalem dedit Eppis Italiae instructionem de matrimonio civili: in qua enucleatius proponitur, quid de hoc matrimonio sit tenendum. Nimirum dogma esse Ecclesiae, quod matrimonium sit unum

e septem Ecclesiae sacramentis, ac proin unice ad Ecclesiam, cui Dominus divinorum mysteriorum suorum dispensationem credidit, directio illius pertineat; porro absque forma Tridentina in locis, ubi ea promulgata fuit, matrimonium valide contrahi non posse; civilem actum coram Deo eiusve Ecclesia nedum ut sacramentum, sed nec ut contractum haberi posse, civilemque potestatem prout ligandi fidelinm quemquam in matrimonio incapacem, ita nec solvendi capacem esse; coniugem, qui sententia laicac potestatis abutens novum contraheret coniugium, verum fore adulterum, prout verus est concubinarius, qui vi tantum civilis actus in matrimonio persisterc audet; ad vexationes vitandas et ob bonum prolis opportunum et expediens fore, ut fideles, postquam matrimonium legitime contraxerint coram Ecclesia, sistant se civili magistratui, actum legc decretum expleturi, ea tamen intentione, ut duntaxat civilem ceremoniam exequantur; si tamen adiuncta gravia deposcerent, ut actus civilis matrimonio coram Ecclesia ineundo praemittatur, omni diligentia utendum esse, nt matrimonium quamprimum coram Ecclesia ineatur, et interea contrahentes ab invicem seiuncti maneant. (*Mon.* 247.)

A. 1867 *S. Congregatio Concilii* duplicem edidit circa matr. civile resolutionem: primam, dum Praesules orbis catbolici pro centenaria festivitate martyrii SS. Petri et Pauli App. Romam confluxerant; alteram ex incidenti casus eidem S. Congregationi de baptismo prolium e civili matrimonio genitarum propositi. In priore resolutione continentur puncta nonnulla de disciplina Ecclesiae, quorum intuitu Epporum expetitur opinio: ac inter ea occurrunt tria de matrimonio, quippe de forma probandi libertatem status in contrahendo matrimonio, de civili matrimonio qualiter impediendo, de modo exercendi potestatem in cognoscendis causis matrimonialibus. (*Mon.* 248.) In posteriore resolutione sive instructione ad Eppnm qnempiam missa declaratur: eos, qui matrimonii civilis contractu iuito commune fovent contubernium, quin sacramentale foedus coram Ecclesia celebrent, habendos esse ut publicos concubinarios, eorumve proles ut illegitimas, hasve baptisandas in loco sacro ceremoniis per Ritu-

ale praescriptis, sed sinc populi concursu et siue orgaui aut aeris campani sonitu, nbi hic secus adhiberi consvevit, dum legitima proles baptisatur. (*Mon.* 249.)

Anuo eodem, 1867, *Pius IX* Papa in Constitutioue, per quam abrogavit sic dictam *Monarchiam Siculam*, ius et potestatem Ecclesiae de causis matrimonialibus in sensu canonum cognoscendi diserte vindicavit. (*Mon.* 250.)

Monumentis Italicis subnectimus duas in Italia, siguanter *Romae* et *Taurini*, a. 1867 vulgatas *dissertationes de matrimonio civili*: quae dum argumentum hoc iuxta doctrinam Ecclesiae et Instructiones per S. Sedem ad Eppos Italiae freqnentins dimissas rite ac ubertim pertractant, simul pro usu Cleri et directioue conscriptae existimari debent. Prior, eaque brevior dissertatio pro nsu Parochorum Romae et Taurini edita, cumprimis id evolvit: quod matrimonium sit quidem contractus, in quantum ad conseqnendos civiles effectus iuxta leges reipnblicae iuiri debet, sed contractus sit cum naturali lege ita counexus, nt quoad substautiales suas proprietates omnimode depeudeat a lege naturali, et hoc ipso quasvis positivas leges et instituta humaua praecedat, nec possit dirigi secuudum leges civiles quoad suam naturam ac essentiam; demum quod hunc ipsum naturalem contractum Christus Dominus ad sacramenti dignitatem evexerit, haecque sacramenti ratio non extriusecam et accidentalem coutractui superadditam qualitatem efficiat, verum iusita sit ipsi matrimouiali coutractui, solique Ecclesiae tamquam iuris naturalis iuterpreti, et materiam sacramenti a Domino institntam fidelibus proponenti subiaceat. (*Mon.* 251.) Posterior, eaque fusior dissertatio Taurini edita est: ,dogmatico-historico-practica disquisitio de formis et impedimentis civilibus matrimonii iu Italia, pro usu Parochorum et Confessariorum coucinnata.' Argumentum alterius huius dissertatiouis est idem quod prioris, sed nonnihil uberius evolutum et de singulis impedimentis civilibus in Italia stabilitis tractaus. In parte dogmatica ostendit errare eos, et nil nisi falsum atque alieuum a fide catholica docere, qui contendunt, matrimonium esse pure humanum contractum, ad potestatem Ecclesiae non spectantem; unius Ecclesiae proprium esse et

impedimenta dirimentia constituere et causas matrimoniales definire; leges civiles circa matrimonia christianorum in ordine solum civili ratas esse, nec eas unquam ad vinculum matrimonii pertingere posse; in Nova Lege inter coniugium naturale et sacramentum nullam intercedere differentiam, unumque cum altero penitus identificari; nec in contractu seu civili seu naturali consistere sacramenti materiam, verum in contractu ad praescriptum legum eccles. celebrato. In parte historica recenset impedimenta civilia et cum canonicis comparat, negando ius Secnlari Potestati, impedimenta canonica abrogandi. In parte practica proponit plures casus, qui quamdam collisionem inter duas potestates praeseferunt, et puncta directiva suggerit pro evitando conflictu. (*Mon.* 252.)

Subiicimus postremo casum civilis matrimonii coram *S. Congregatione Concilii* 1867 ventillatum, ubi praecesserunt sponsalia cum defloratione sponsae, a defloratore, interea civile matrimonium cum alia sponsa contrahente, derelictae. S. Congregatio decidit iuxta praxim in similibus casibus adhibitam: ut sponsus damna primae sponsae illata compenset, prolem alat, et ad S. Sedem recurrat pro relaxatione impedimenti sponsalium. (*Mon.* 253.)

B. *Monumenta.* Mon. 220.

Nota officiosa Plenipotentiarii Pontificii ad Plenipotentiarium Sardiniae Com. de Sambuy dd. 15 Iulii 1852, in qua ratio differentiae inter proiectum legis matrimonialis, et inter declarationes Gubernii intercedentis, deposcitur.

D. Marchio Spinola, antea negotiorum reg. Gubernii penes S. Sedem Procurator, posteaquam Emmo Antonelli, tunc Pro-Secretario Status Suae Sanctitatis, mediante Nota dd. 2 Maii 1851 proiectum, varios articulos continens, — qui pro basi ineundi cum S. Sede tractatus, de abolitione decimarum in Sardinia, proponebantur, — exhibuisset, eidem Purpurato nonnulla folia consignavit, in quibus, praeter alia, *expressum*

fuit desiderium Gubernii, effectus civiles matrimonii, ope ferendae legis stabilire. De hoc obiecto in iisdem foliis sequentia dicebantur: „S. Sedes nihil obmovere poterit, *si effectibus pure civilibus matrimonialis contractus* per legem prospectum fuerit, quae principio separationis, atque indepeudentiae utriusque Potestatis, Ecclesiasticae et civilis, ab invicem effectum procurabit. Quamvis autem reg. Gubernium certum teneat, huiusmodi legem inomisse necessariam esse, ex obtutu obligationis suae, iura omnium subditorum suorum, absque discrimine religionis aequaliter tuendi: nihilominus tamen, in hoc obiecto quoque nihil, *inscia S. Sede* statuere voluit, unde concludi posset: Gubernium velut custodem art. 1 Statuti, *Religionem Catholicam pro Religione Status declarantis, in respectu civilis contractus matrimonii quocunque demum modo imminuere velle momentum religiosi principii, quod tam salutarem influxum in pacem et tranquillitatem familiarum et prosperitatem futurarum generationum exercere debet.* Quapropter Gubernium Regis, hac occasione intentiones tantum S. Sedis quoad hoc obiectum cognoscere cupiens, *sibi reservavit, opportuno tempore communicare proiectum,* cui elaborando Commissio, hoc scopo nominata insudat." In primis conferentiis, quas Exc. Vra, qua Plenipotentiarius S. M. Regis Sardiniae, cum infrascripto Secretario S. Congr. Ecclesiasticorum negotiorum extraordinariorum et Plenipotentiario Suae Sanctitatis duplici scopo habuit, ut nimirum vigentes discordiae componantur, et quoad decimas Sardiniae conventio ineatur, — Eadem pares declarationes, in respectu illaese servandorum Ecclesiae iurium, per hanc legem civilem matrimonialem, fecit; atque positive affirmavit, Gubernium eo modo rem instituisse, ne seu vinculum sacramentale, seu causae matrimoniales, iuxta definitionem S. Concilii Tridentini ad forum Ecclesiae exclusive pertinentes, quoquo modo attingantur; et haec quidem tanta cum certitudine nullius collisionis futurae legis, cum iuribus Ecclesiae asseveravit, ut non dubitaverit declarare: hoc argumentum extra sphaeram nostrarum tractationum mansurum. Post huiusmodi declarationes, omni iure expectandum fuerat: proiectum legis matrimonialis sic

omniuo conformaudum fore, nt, Ecclesiae iuribns iu salvo relictis, huic exclusive permittatur de valore contractus matrimonialis ac de effectibus, e vinculo procedentibus, iuxta *religiosum principium* decernere, in respectu cnius ipsum Gubernium declaravit: *se illud nullo modo imminuere velle, utpote quod tam salutarem influxum in pacem et tranquillitatem familiarum* christianarum et signanter catholicarum exercet, quae profecto non possunt agnoscere aliam validitatem, nisi illam Sacramenti, a matrimonio iuseparabilis, cum istud per Divinum Fundatorem Ecclesiae ad dignitatem Sacramenti elevatum fuerit; — atque pari modo credendum erat, Gubernium dispositiones suae legis *pure ad effectus civiles* restrictarum, quemadmodum in supra memoratis foliis enunciatum fuerat. In obversum huiusmodi expectationis Camerae legislativae exhibitum est proiectum legis, quae ins, de valore contractus, quoad ipsum vinculum, decernendi sibi arrogat; ita, ut nonnulla matrimonia, quae in facie Ecclesiae valida forent, a potestate civili pro invalidis haberentur, et vice versa, cum omnibus consectariis, ex huiusmodi lege derivandis, quae valorem matrimonialis contractus independenter ab essentia religiosa admittendo, insuperhabet principium, vi cuius matrimonium apnd christianos, ab essentia Sacramenti independenter et separatum subsistere neqnit. Quoad declarationem supra attactam, Exc. Vrae de limitibus, intra quos haec lex matrimonialis versari deberet, infrascriptus obtutus suos in officiosa Nota dd 28 elapsi Februarii exposnit, cuius principale obiectum constituebant nonnullae interpellationes, a quibus continuatio occeptarum pertractationum dependet, et ad quas infrascriptus hucdum nullum responsum obtinuit; haec circumstantia infrascripto obligationem imponit, rationem deposcere differentiae, quae inter proiectum legis, atque declarationes, a Gubernio factas intercedit, idque eo magis, ne per silentium suum implicite admittere videatur quamdam consensionem facti, cum praecedentibus declarationibus. — Romae, 15 Iul. 1852. Santucci.

Mon. 221.

Epistola fiducialis Plenipotentiarii Sardiniae ad Rssmum D. Santucci Plenipotentiarium Pontificium dd. 29 Iulii 1852, ad Notam praecedentem responsoria.

Officio mihi duco, Excellentiae Vrae Rssmae referre: me Notam, quam Eadem sub 15 curr. mensis ad me dirigere dignata est, ad notitiam regii Gubernii mei pertulisse, eo scopo, ut subin adaequatum officiosum responsum dare possim. Insuper obligatum me sentio Exc. Vrae Rssmae repetere, quod in nostris conferentiis iam saepius declaraveram: a regio Gubernio nullatenus admitti posse indebite factam a D. March. Spinola communicationem nonnullorum foliorum instructionis, quae idem pro sua directione, eo cum praeciso mandato accepit: ut ex illis solummodo proiectum conventionis, in XI articulos divisum, atque depostas pro insula Sardiniae reformationes concernens, extrahat et S. Sedi exhibeat. Profecto haud de alia re loquitur Nota, per hunc Procuratorem negotiorum ad Emmum D. Card. Antonelli dd. 2 Maii 1851 dimissa. Non nego quidem, eundem postea suam instructionem S. Excell. Rssmae in fiducia communicasse; nihilominus tamen certum teneo, Gubernium Suae Mattis exceptionem formaturum contra quodlibet argumentum, quod in nexu huius indebitae communicationis, de qua nonnisi per recentissimam Notam Exc. Vrae Rmae edoctum fuit, proponeretur. Porro intellectui obvium est: haud necessarium fuisse, ut proiectum legis matrimonialis per regium Repraesentantem S. Sedi praevie exhibeatur, posteaquam utraque pars agnoverat ac declaraverat: hanc rem obiectum nostrarum pertractationum neutiquam futuram. Ceterum, etiamsi ex saepe allato facto Procuratoris negotiorum quaepiam hac in parte obligatio deduci posset; (quod tamen nego et reiicio) haec eo ipso cessare debuisset, utprimum lex de contractu civili matrimonii e nostris pertractationibus exclusa fuit. In reliquo intimum meum dolorem, inde conceptum, quod proposita Parlamento Sardiniae lex S. Sedi accepta

non sit, — tantisper lenitum fuisse observo, dum ex Nota Exc. Vrae Rmae intellexissem: Plenipotentiarium a Beatissimo Patre designatum, ut mecum de componendis infaustis dissensionibus tractet, isthoc argumentum attingere, unde praesupponere possum: eundem, huic materiae intentum, atque suas observationes pro opportunitate enunciantem, omnino impediturum, ne haec lex, ubi adoptata et promulgata fuerit, obiectum eidem oppositorum actorum et censurarum constituat. Persvasum teneo, Ministros Suae Mattis eundem mecum fovere sensum complacentiae, videndo, quod hae reflexiones exprimantur per organa respectivorum Plenipotentiariorum, et quod iidem illam prosequantur agendi rationem, quae sola utilem fructum producere, atque ad scopum conciliationis, cui utraque pars studiose adlaborat, conferre potest. Hac persuasione, atque notitia sensorum Suae Mattis Regiae, augusti Monarchae mei, eiusdemque Gubernii, ductus, eam spem nutrio, fore: ut Gubernium exponendis eidem observationibus magnum momentum attribuat, et cum solatio experiatur, ad discussiones Senatus introduci illas modificationes proiecti saepefatae legis, quae salvis commodis (interessi) et dignitate Potestatis civilis adoptari, — hancque legem S. Sedi acceptabilem reddere poterunt. Propterea, quin solutionem interpellationis ab Exc. Vra Rma propositae Taurino adexspectarem, Eandem fervidis precibus oro: ut scopo conciliationis, in quem plenipotentiae nostrae tendunt, insistens, mihi exponere velit, quinam articulorum proiecti sint seriis reflexionibus obnoxii, et quales sint desideratae illorum modificationes? quo sic Guberninm Sardiniae, difficultates, a S. Sede obmotas, atque fundamentum, cui eadem insistit, cognoscens, illis e medio tollendis suo influxu adlaborare, ac per id novum documentum suae erga S. Sedem reverentiae, suique S. Patri complacendi studii exhibere possit. Quodsi autem, ab opposito, haec tractatio cum Exc. Vra Rma non hunc haberet scopum, et si per eandem non occurreretur malis, quae tollenda sunt: tunc dubitandum mihi esset, an Gubernium Suae Mattis optet: ut declarationes, ad nullum promptum utilemque effectum conducentes faciam. Cum itaque mihi videatur, Notae Exc. Vrae Rmae longe sublimi-

orem magisque proficunm scopum, quam investigationem in errorem Marchionis Spinola, et praetensam differentiam inter proiectum legis, measqne declarationes intercedentem, attribuendum esse; enm videlicet, ut augmentum difficultatum et inimicornm conatnum impediatur: hinc blandior mihi fore, ut Eadem, ad praesentes faventer responsnra, pro sna sapientia suoqne influxn co adlaboratnra sit, quo saepefata lex meliore ratione modificetur atque tam Ecclesiasticae, quam civili auctoritati accepta fiat. — Romae, 29 Iul. 1852.

M o n. 222.

Nota altera Plenipotentiarii Pontificii dd 8 Augusti 1852 ad Ministrum Sardinicum de proiecto legis matrimonialis.

Exc. Vra in pretiosa litera dd. 29 Iulii me informare festinat: se, scopo impertiendi adaequati officiosi responsi, meam Notam, dd. 15 eiusdem mensis ad notitiam regii Gubernii pertulisse; nihilominus tamen, responsnm istnd praeoccupando, nonuullas quaestiones evolvere pergit. Primo quidem dicit: quod, quamvis D. Marchio Spinola S. Sedi in fiducia exhibuerit nonnulla folia, e quibus aliquae obligationes Gubernii erga eandem derivari possent, ex hac communicatione (qnae isti Gnbernio dnmtaxat e recentissima mea Nota innotnisset) nullnm prorsus argumentnm desumi qneat pro qnadam obligatione, erga S. Sedem tunc contracta; cnm haec communicatio, iudicio Eiusdem, indebita fnerit. Hinc in ea quoque hypothesi — quam tamen reiicit — si ex huiusmodi commnnicatione quaedam obligatio deduci posset, secundum opinionem Exc. Vrae, Gubernium proiectum civilis legis de matrimonio praevie commnnicare non debuit, quamprimum *ex utraque parte recognitum et declaratum fuerat: hoc obiectum e pertractationibus nostris exclusum esse.* Inde, quod in mea Nota differentiam, qnae inter proiectnm legis et praecedentes declarationes Gubernii snbversatur, attigerim, Eadem praesupponere posse existimat: hanc materiam, Plenipoten-

tiariis commissam, obiectum opportuno tempore faciendarum observationum constituere, atque ideo excludendam fore possibilitatem impugnationis et censurarum, huic legi, postquam adoptata et promulgata fuerit, opponendarum. Hoc scopo Exc. Vra, quin solutionem propositae interpellationis Taurino adexspectaret, eaque persuasione ducta, ac si Ministri S. M. Regis Sardiniae quoque supra attactae hypothesi inniterentur, me provocat : ut designem exoptatas in proiecto legis modificationes, *quae salva utilitate et dignitate Potestatis civilis adoptari, atque hanc legem S. Sedi acceptam reddere possent.* Concludit tandem asserendo : quod, si obiectum meae Notae non in hunc finem, ab Eadem praesuppositum tenderet, omnino dubitandum sit : num Gubernium Suae Mattis consensurum sit, ut a parte eiusdem — in nexu propositae interpellationis, — declarationes, ad nullum promptum, utilemque effectum ducentes praestentur. Dum Exc. Vrae pro communicatione eorum, quae scopo impertiendi ad meam Notam adaequati officiosi responsi gesserat, debitas gratias agerem : muneris mei esse reputo Eidem ad proposita puncta respondere. Quod ad primum attinet, eadem repetam, quae iam oretenus evolvi, dum Exc. Vra supra enunciatam exceptionem formasset. Respondi, et respondeo : secundum notissima principia eam communicationem pro legitima haberi, quae fit per Repraesentantem cuiusdam Gubernii, — etiamsi tantum negotiorum Procurator sit, — in obiecto, ad idem Gubernium pertinente. Quaenam communicaverit D. Marchio Spinola, qui fuit negotiorum Procurator Gubernii Sardiniae, Exc. Vra e lectione illorum foliorum perspiciet. Itaque a scopo abludens haud erit, nonnullos §§-os eorumdem foliorum volante oculo lustrare. In proëmio, ubi summarie recensentur tituli articulorum, — e quibus intentio Gubernii : matrimonium per civiles leges circumscribere, elucet, — haecce leguntur : *argumenta, quae Gubernium Regis benevolae attentioni S. Sedis commendanda existimat.* Porro in speciali articulo, de his argumentis tractante, dicitur : Gubernium, *volendo hac in materia, inscia S. Sede, aliquid statuere,... nunc de intentionibus eiusdem tantum edoceri cupit, sibique reservat, opportuno tempore exhibere proiectum, a constituta ad id Commissione elaborandum.* Ex his excerptis haud diffi-

culter colligitur: quodnam sit argumentum horum foliorum, et quaenam fuerit intentio Gubernii quoad corumdem usum. Permissum sit mihi, omni cum respectu enunciare: me comprehendere non posse, quod Gubernium notitiam huius communicationis nonnisi e mea postrema Nota hauserit; siquidem in alia, praecedente Nota, dd. 28 elapsi Februarii, — quam Exc. Vra Taurinum inviavit,— idipsum enunciatum fuerit; quae circumstantia fors attentionem Eiusdem effugit. E communicatis foliis duplex obligatio, Gubernio incumbens, resultat; prima: ut proiectum legis *ad coordinandos pure civiles effectus contractus matrimonialis* restringatur; altera: ut idem proiectum legis praevie S. Sedi communicetur. Posterior harum obligationum, — quantum mihi videtur, — haud dependebat a praesuscipienda tractatione; sed potius inde: quod in hac materia *nihil inscia S. Sede agendum fuerit.* Unde non possum adstipulari opinioni Exc. Vrae, secundum quam haec obligatio cessare debuisset, utprimum ab eadem declaratum fuerat: hoc argumentum extra limites nostrarum tractationum cadere. In dubium vocari potuit, num Gubernium hoc obiectum pertractationibus nostris committere velit, — cum nullum eatenus vestigium occurrerit: ast declaratio Exc. Vrae omne dubium exclusit. In respectu attactae declarationis omnino cupivissem, ut — maioris exactitudinis gratia — dictum non fuisset: hanc *ex utraque parte* factam fuisse; nam ego eandem non feci, nec facere potui, auspiciis tractatus ad Exc. Vram pertinentibus; ego nonnisi consensum meum ad hanc declarationem enunciavi, salva tamen conditione: ne Gubernium seu vinculum sacramenti, seu matrimoniales causas, ad competentiam Ecclesiae pertinentes, attingat. Exc. Vra recordabitur, quod declaratio ab Eadem de hoc argumento, atque de alio, abolitionis festorum, praecise facta, in me dubium excitaverit: an Gubernium non intendat cetera argumenta, quae, prout haec duo, in foliis a D. March. Spinola communicatis continebantur, pro obiectis tractatus nostri habere. Quapropter solutionem huiusce dubii quaesiturus, interpellationem meam in Nota dd. 28 Februarii exposui. Redeundo ad meritum quaestionis, de suprafatis obligationibus Gubernii, *hisce declaro*: quod primae, quae pro me

maxime essentialis est, omnino satisfieri debeat; speroque, Exc. Vram mecum admissuram: hanc obligationem per communicationem illorum foliorum, et per declarationes Eiusdem confirmatam potius fuisse, quam restrictam; etenim *catholicum Gubernium*, quod in 1-o articulo Statuti, quemadmodum oportet, declarat: Religionem catholicam esse solam Religionem Status, *eo ipso contraxit obligationem, suspiciendi Ecclesiae iura, inter quae refertur ius: ut ipsa sola decernere possit de validitate vinculi et contractus matrimonii, utpote essentialiter Sacramenti; cum haec* (contractus et Sacramentum) *apud Christianos ab invicem separari aut distingui non possint*, postquam Divinus Fundator Ecclesiae matrimonium ad Sacramenti dignitatem evexit. — Veniendo iam ad praesuppositum scopum meae Notae, non possum non attentionem Exc. Vrae ad eandem dirigere. Argumentum meae Notae constituerunt differentiae, quae inter factum et praecedentes declarationes Gubernii subversantur, quasve ob oculos sistere instar unici scopi mihi proposui, occurrere volendo periculo, ne silentium meum eam subeat interpretationem, quasi hoc factum declarationibus consentire agnoscerem. Hanc differentiam in Nota mea exponens, a depromendo de illa iudicio abstinui; sed potius, suadente urbanitate, aliisque salutaribus considerationibus, Exc. Vram requirendam censui, ut hac in parte, pro facultate sua, congruas dilucidationes praestare velit. Quod S. Sedes hanc materiam Plenipotentiariis pertractandam, eorumque observationibus comitandam intenderit: id a scopo Notae meae prorsus alienum fuerat, atque addere debeo, me hac in parte nullam instructionem a SSmo Patre accepisse, ad cuius mandatum eandem Notam, praeindicato scopo, dimiseram. Quodsi Gubernium excludere voluisset possibilitatem impugnationis et censurarum huius legis, ubi adoptata et publicata fuerit; scopo conformius fuisset, hoc proiectum non exhibere; huiusmodi desiderium omnino laude dignum esset, sed in potestate Gubernii situm est, eiusdem effectum obtinere, 1-o si *dispositiones huius legis ad solos civiles effectus contractus matrimonialis restrictae fuerint*; 2-o si relate ad dispositiones, civilem statum concernentes, quae per praecedentem conventionem inter S. Sedem

et Guberninm iam stabilitae fuerunt, cum eadem S. Sede cointelligenter processum fuerit. In reliquo, destitutus, qnemadmodum iam supra dixi, instructione, ad haec desideranda nonnisi in seqnelam provocationis Excellentiae Vrae me activisatum repnto; Eadem, pro suo sapienti indicio facile perspiciet: scopo coordinandi civilis statns plus, minusve largas instrnctiones obtineri posse; non ita tamen in respectu *matrimonialis contractus, qui cum obiectum principiorum sit, omnem cuiuscunque generis transactionem exc'uderet.* —

Mon. 223.

Observationes Ministerii Sardiniae, proiectum legis de civili contractu matrimonii concernentes SSmo Patri per Regem exhibitae 25 Iul. 1852.

I.

Sanctitas et indissolnbilitas matrimoniorum, a Christianismo introducta et per disciplinam catholicae Ecclesiae conservata, unnm est e maximis beneficiis, quae Religio hnmano generi praestitit. Quamvis hanc veritatem in Pedemontio omnes agnoscant; nihilominus tamen antiquum est desiderium, quod ipsae personae, religioni addictissimae fovent, ut civilia inra, e nnptiis resnltantia per leges definiantur, et per Magistratus protegantur. Hoc desiderium sustentatum fuit per memoriam *civilis codicis gallici*, apud nos quondam civitate donati, — quin reverentiam religioni debitam imminuisset, — sed anno 1814 per legem, quae passim pro improvida habetur, abrogati; sustentatum fuit per exempla vicinorum Regnorum: *Austriae*, quae redncto anno 1814 antiquo rerum ordine, iurisdictionem legum et civilium magistratuum circa matrimonia conservavit; — *Galliae*, qnae anno 1814 Catholicismum pro Religione Statns quidem declaravit, et, ne praecepta eiusdem violet, 1815 divortinm abrogavit, in reliquo tamen civilem codicem retinuit; — *Belgii*, ubi revolutio anni 1830 potissimum causa tuendae

libertatis Ecclesiae Catholicae erupit, quin pars, iurium suorum aemula, codici civili adhaerere desiisset. Neque vero sinceri christiani, qui apud nos haec desideria fovebant, ad mutandum animi consilium permoti sunt, per magnum numerum illegitimorum connubiorum et partuum, in Gallia occurrentium; siquidem existimaverint, hoc deplorandum factum neutiquam civili codici, sed potius causis, quae generationem, divinarum, humanarumque legum immemorem produxerunt, attribuendum venire; hominibus, qui, parum solliciti, se suasque proles legitimae familiae inserere, vix alios se exhibuissent, etiamsi de rebus, ad matrimonium pertinentibus solae leges Ecclesiae decrevissent. Haec opinio, apud nos universaliter diffusa, abs dubio in Codicem civilem anni 1837 assumpta fuisset, si natio directum influxum in legislationem habuisset; et nisi absoluta potestas, qua piissimus Rex Carolus Albertus praeditus fuerat, eidem media suppeditasset, omnibus aliis respectibus anteponendi conservationem huius partis Iurisdictionis ecclesiasticae, quae in aliis catholicis Statibus passim in desuetudinem abivit. Eo non obstante, civilis codex anni 1837 nonnullas leves variationes etiam in materia connubiorum introduxit; praeterea, in mutuo cum S. Sede consensu, stabilitae fuerunt quaedam mutationes, ad formam actorum status civilis, item ad iurisdictionem, quam hac in parte civilis magistratus exercebat, se referentes; idem codex omni civili effectu privavit sponsalia, quae non fuissent ope publici instrumenti, aut privati scripti contracta; illicitum declaravit matrimonium, inter adoptantem et adoptatum, non permittendo etiam legitimationem per subsequens matrimonium; denique promulgatio codicis civilis magis universalia, atque vivacia reddidit desideria, reformationis matrimonii. Existimabatur, dispositiones legum civilium in hac sola materia deficere; conferebatur codex noster cum illis extranearum nationum; animadvertebatur: quod effectus votis legislatoris haud correspondeat; quod registratio actorum nativitatis, copulationis et obitus, iuxta normam, per patentes literas dd 20 Iunii 1837 praescriptam, omnino insufficiens sit, ad obtinendam illam accurationem, quae in tanti momenti re absolute necessaria

est; quod impossibile sit, securum effectum procurare rectificationibus, per sententias Tribunalium praescriptis; quod a curiis ecclesiasticis insuperhabeatur dispositio codicis civilis, secundum quam ad valorem sponsalium, publicum instrumentum, aut saltem privatum scriptum requiritur; quod inconsiderata promissio sufficiat, ut ecclesiastica Tribunalia sponsos ad contrahendas nuptias damnent, quae nonnisi infelices esse possunt, eosque ab omni alio matrimonio ineundo arceent. Has querelas infundatas non esse, per tria facta, recenter intra duorum quasi mensium spatium denunciata, demonstrabo. Primum, Gubernio recenter denunciatum, concernit quemdam Parochum Sardiniae, qui celebrationem matrimonii, secundum leges Ecclesiae liciti, denegavit; — secundum refertur ad oppositionem, contra matrimonium, in vicinia Taurini contrahendum, quae innitebatur orali promissioni, tanta dissidia causanti, ut Parochus, ad praepediendos disordines et violentias, e protelatione iudicii oriri queuntes, ad Ministerium recurrere debuerit; — tertium respicit catholicum Officialem in servitio unitorum Statuum Americae constitutum, qui, cum in celebrando cum quadam subdita Regis, matrimonio, a Parocho impeditus fuisset, illud civili more, iuxta leges patriae suae, coram suo Vice-Consule celebravit. Haec desideria magis magisque vivacia reddita sunt, post publicationem Statuti, novumque incitamentum sortiuntur e libertate scribendi et loquendi, omnibus civibus attributa per art. 68 Statuti, iuxta quem iustitia a Rege emanat et eius nomine administratur a iudicibus, ab eodem constitutis; qui articulus, — considerando naturalem significationem vocum, et exempla omnium aliorum populorum, qui forma gubernii, nostrae pari, reguntur ac regebantur, — ingessionem omnis alterius iurisdictionis contentiosae ad iudicia, ius civium constituentia, excludit. Ex alia parte neque Gubernii eadem conditio est, quae sub absoluta Monarchia fuerat; legislativa potestas, quae prius in manibus eiusdem coadunata fuerat, nunc divisa existit inter ipsum et duas Cameras Parlamenti; et facultas liberae discussionis necessarium reddit, ut leges respectum habeant opinionum, quae universaliter praevalent, et quae in sermonibus, atque scri-

ptis expressae fuerunt. In hoc situ rerum promulgata fuit lex 9 Aprilis 1850. Quidquid de hac lege statuatur, eandem expressionem universaliter receptae opinionis fuisse, demonstratur per modum, quo haec lex, non tantum in Camera Deputatorum, sed etiam in Senatu acceptata fuerat, ubi pro eiusdem adoptione illi quoque decertarunt, qui in administratione antiqui Gubernii, conservationis praerogativarum ecclesiasticarum tantopere studiosi, partem ceperunt; demonstratur e natura obiectionum, quae non tam ad meritum legis, quam potius ad modum, quo illa introducenda erat, referebantur; demonstratur per applausum, quo eadem acceptata fuit; denique demonstratur per factum, quod manifestationes, contra hoc systema directae, occasionem dederint contrariis demonstrationibus, saepe deplorandis, quas tamen Gubernium impedire non potuit. Lex de civili contractu matrimonii considerari potest adinstar partis dispositionum, anno 1850 sancitarum. Reipsa tunc statutum fuit, ferendam legem regulaturam contractum matrimonii, in suis correlationibus ad legem civilem, capacitatem contrahentium, atque formam et effectus huiusmodi contractus. Ex his igitur apparet, quod lex iam tunc sancita fuisset, si tempus suppetiisset, et quod fundamentale principium, cui proiectum, a Gubernio propositum innititur, iam lege sancitum sit. Quapropter, in considerationem sumendo situm regni, eius constitutionem, eiusque leges, ac universaliter diffusam opinionem, omnino agnoscendum est: quod, si Gubernium 1850 haud in alio tramite, quam quem praeelegerat, procedere potuit; hodie impossibile sit necessitati huiusmodi legis resistere, denegando exhibitionem proiecti, quod votis 1850 expressis, conforme est.

II.

Quaecunque sint tamen apud nos praevalentes opiniones, Ministri Regis nunquam consensissent faciendae propositioni, si convicti fuissent, hanc praeceptis religionis adversari. Per proiectum, in quo proponitur, ut controversiae circa civiles effectus matrimonii ad competentiam Tribunalium pertineant, neutiquam impugnare intendunt factum

Ecclesiae, quae iurisdictionem in causis matrimonialibus acquisivit et exercet; non intendunt impugnare canonem XII Concilii Tridentini de Sacramento Matrimonii. Verumtamen non potuit attentionem illorum effugere, quod hic canon non arguat usurpationis iurisdictionem, quam Principes et Magistratus, Ecclesia non contradicente, crebro exercuerunt; non potuit attentionem illorum effugere, quod auctoritas horum canonum semper ab illorum promulgatione dependerit; quod vis obligans eorumdem in multis oris Christianitatis, et in nonnullis provinciis huius Regni quoque non recognoscatur; quod iurisdictio contentiosa fori ecclesiastici in causis matrimonialibus in pluribus catholicis statibus cessaverit, quin eapropter ab unitate defecerint; quod in hac materia latus canon discrepet ab illis, qui stricte ad religiosam fidem pertinent, et a quibus individua aut populi, in nullis temporis aut locorum adiunctis quoquo modo recedere possunt, quin a catholica Ecclosia se separent. His considerationibus ducti Ministri S. Mattis, habitaque ratione — ut oportet — conditionis temporum, constitutionis, legum patriae suae, universalis opinionis, atque dispositionum Parlamenti, quocum corona consentire debet, — instar officii sui existimarunt proponere, ut ius cognoscendi causas, ad effectus civiles matrimonii pertinentes, Magistratibus Regni tribuatur. Ministri S. M. non negant, quod ad Ecclesiam pertineat, vinculum matrimonii in conspectu religionis et conscientiae validum reddere, atque definire: quaenam nuptiae sint apud Christianos licitae aut illicitae. Verumtamen agnoscendo ius Ecclesiae, impedimenta matrimonii statuendi, non possunt renunciare sententiae, secundum quam hoc ius civili Legislatori quoque competit; quae sententia a Concilio Tridentino damnata non fuit, antiquissimisque legibus innititur, quarum publicationi Ecclesia nihil prorsus opposuit; quae denique semper propugnata fuit in nostris scholis, — demptis solummodo Seminariis, — et a Magistratibus: quin reclamationibus aut censuris Ecclesiae occasionem praebuisset. Absit quidem, ut statuamus: apud Christianos licitas esse nuptias, contra vetitum Ecclesiae, aut sine forma, ab eadem praescripta, contractas; nihilominus tamen observare

debemus, quod civilis Potestas libertati civium saltem permittere possit multas res, quas moralis et religio damnant; quod hinc inevitabiliter fieri sueverit, ut coram lege civili et Magistratibus quaedam res iuri conformes existimentur, quas religio, tamquam peccaminosas reprobat; et quod in condendis legibus Legislatores civiles iuxta postulata civilis utilitatis et politicae opportunitatis procedere debeant; ubi tamen Ecclesia, in enunciando: quid sit licitum et honestum, nonnisi immutabilia dictamina religionis et moralis sequi debet. Quodsi Ministri S. M. in proponenda lege de civili contractu matrimonii, prae oculis habuerunt suam obligationem, indigentiis temporis satisfacere; non minus memores fuerunt obligationis, cuivis Legislatori catholici populi incumbentis, in 1-o articulo fundamentalis Statuti Regni peculiarem sanctionem habentis, secundum quam ratio habenda est religiosae fidei populorum, nullumque praeceptum admittendum, quod catholicis conscientiis violentiam inferret. In discussione huius legis, et speciatim in relatione ad Senatum Minister Iustitiae demonstravit, horum obtutuum rationem habitam fuisse. Accedit, ad satisfaciendum huic obligationi, duas inprimis essentiales conditiones praefixas fuisse; nempe: ut lex pro validis habeat matrimonia, quae in conspectu Ecclesiae regulariter contrahuntur; item, ut in eo casu, dum celebratum quoddam matrimonium ab Ecclesia pro legitimo haud agnoscitur, pars, quae tardius praeceptis Ecclesiae se conformare cupit, non cogatur ad convictum, a religione damnatum. Ministerium omnino sibi proposuit, ambae huic conditioni satisfacere, speratque easdem, secundum verum spiritum actualis legis interpretandas, a Magistratibus observandas fore. Nihilominus in discussione, quae locum habuit, magna cum constantia tuebatur propositiones, quae hanc intentionem eiusdem in maiorem lucem collocare possunt. Neque dubitat, huiusmodi propositiones iterandas, aliasque superaddendas fore, dum eadem lex discussa fuerit in Senatu Regni, qui in omnibus deliberationibus suis, tantam maturitatem iudicii, tantumque zelum pro utilitate Religionis et Ecclesiae praesefert. Lege ad hos terminos redacta, nulla remanebunt in conspectu Ecclesiae

illicita matrimonia, praeter connubia illorum, qui deliberata mente perseverare voluerint in unione, ab Ecclesia damnata. Gubernium confidit: huiusmodi matrimonia in regiis Statibus vel plane nulla, vel paucissima futura. Quodsi vero talia extiterint, Gubernium minus consuetum censeret, eadem auctoritate civilis legis irrita facere; sed magis conveniens arbitraretur, soboli de legitimo statu prospicere; Gubernium sperat, genitores benefico influxu religionis ad petendam benedictionem Ecclesiae permovendos fore, hocque desiderium suum comprobaturum, nullos civiles effectus attribuit coniunctionibus, quae ab Ecclesia nunquam pro legitimis matrimoniis agnosci possent. Porro Ministri Regis crediderunt, nullam obiectionum, quae legi de civili contractu matrimonii opponuntur, quasve ipsi pro minus fundatis habent, subsistere posse relate ad proiectum de statu civili. Ecclesia suis ministris attribuit ius et obligationem, registra (matriculas) natorum, copulatorum et defunctorum ducere; conventio, anno 1846 inter S. Mattem et Sacram Sedem inita, quasdam normas, observandas praescripsit, ut haec documenta coram Magistratibus fide polleant. Gubernium neque hodie intendit iuribus Ecclesiae derogare, aut eadem usurpare, dum e sua parte propriis Officialibus nonnulla, quae matriculas natorum, copulatorum et mortuorum concernunt praescribit.

III.

Ad diiudicandam legem de contractu civili matrimonii insuper expendere iuvabit naturam oppositionum, contra hoc proiectum factarum. Nolumus isthic describere oppositionem, a parte nonnullorum Epporum procedentem. Hi forte non potuerunt sibi sufficientem conceptum formare de spiritu, quo hoc proiectum imbutum est; cuius cognoscendi occasionem habebunt, dum lex, cui tam diuturna atque matura studia praemissa fuerunt, publicata fuerit, profecto hi desistent ab oppositione, ubi in decursu ulterioris deliberationis Parlamenti adoptatae fuerint eae modificationes, quae hoc proiectum intentionibus Gubernii magis conforme reddent. Abstrahendo ab his Praelatis, silentio premi

non potest, in Pedemontio reperiri quosdam, etsi paucos homines, qui sub praetextu libertatis, omni auctoritati, tam divinae, quam humanae insultant; non desunt porro alii, fors numero plures, qui sacrilege abutuntur religione, ad extinquendam venerationem legum et constitutionis Status, ad quam suspiciendam tum qua christiani', tum qua cives obligantur; qui nullam elabi sinunt occasionem, quin in vulgus spargerent: institutiones, ad quas sustentandas Rex iuramento se obstrinxit, violatas esse. Audacia huius factionis, novum praetextum invenit in propositione legis matrimonialis. Profecto discussio et obiectiones huic legi oppositae, constituebant ius, quod abrogare nemo potuit, Gubernium autem noluit. Hinc ephemerides huius factionis populos ad tumultus et disordinem concitarunt; hinc sparsae sunt sceleratae calumniae; hinc infames artes, ad corrumpenda vota, adhibitae; hinc impudentissima mendacia conficta, ad extorquendas subscriptiones petitionum, quae longe aliud continebant, quam quod dicebatur; imo quidam Officialis supremi Tribunalis Regni, — qui muneri suo renunciare debuisset, si leges Status suae conscientiae minus consentientes existimaverat, — non abhorruit evulgare librum, in quo legibus, quibus observantiam procurare iure iurando promisit, insultat. Documenta horum factorum, prae manibus Ministrorum existunt, et omnia via iuridica pro authenticis demonstrabuntur. Gubernium Regis eadem deplorat, cum ordinem publicum periculo exponant, et deplorat etiam ideo, quia novum fomitem praebent illis, qui ex erroribus defensorum huiusmodi factorum, occasionem sumunt religionem cavillandi. Gubernium desiderat, et sperat, quod nullum factum eiusdem aucturum sit audaciam istius factionis, ad sufflaminandas passiones politicas et ad difficiliorem reddendam conservationem ordinis. Ministri Regis sibi conscii sunt, se nunquam seu passionibus popularibus, seu inimicis Ecclesiae adulatos fuisse. Si ipsi errare potuerunt, nihilominus tamen multis vicibus demonstrarunt, se passionibus multitudinis resistere velle. Ipsi demonstrarunt, se tueri velle religionem eiusque ministros, donec legibus Status fideles se exhibuerint. Ipsi nihil altius habent, fide suorum patrum, reverentia erga Ecclesiam eius-

que summum Caput. Verumtamen in conscientia se obligatos reputant ad servandum iuramentum, quo Statutum, legesque Regni se sustentaturos spoponderunt. — *Ex Actis Pii IX P. M.* Vol. 2.

Mon. 224.

Litera familiaris Pii PP. IX ad Regem Sardiniae dd. 19 Sept. 1852 contra proiectum legis matrimonialis a Ministerio Regio concinnatum.

Epistola, qnam Mattas Vra 25 elapsi Inlii nobis scripsit, in nexu alterius, per nos ad Eandem directae, solatio recreavit cor nostrum; cum illam adinstar interpellationis habeamus, quam catholicns Princeps in re maximi momenti, qnoad proiectum nempe legis matrimoniorum civilium, capiti Ecclesiae proponit. Hoc documentum venerationis erga nostram Religionem, quod M. Vra nobis exhibet, abunde demonstrat hanc gloriosam hereditatem, qnam Eadem ab augustis Antenatis suis accepit, amorem quippe fidei, quam ipsi profitebantur, cnius depositum, — ut nobis lubenter persuademus — his quoque depravatissimis temporibus, pro salute sibi subditorum, intemeratum conservabit. Haec epistola nos urget, ut officio apostolici ministerii nostri perfuncti, libere, atque decisive respondeamns; idque eo lubentius praestamus, cum M. Vra asseveret: se huic responso magnnm momentnm attributuram. Quin nos immitteremus ad discussionem scripti Ministerii Regii, — quod apologiam legis 9 Aprilis, atque proiecti alterius, de civili matrimonio constituere deberet, et posterius tamquam sequelam obligationum, in priore assumptarum sistit; quin animadverteremns: hanc apologiam eo ipso tempore conscribi, dum occeptae, scopo reparandorum, per has ipsas leges violatorum Ecclesiae iurium, tractationes suspensae haerent; quin expressa in hoc scripto nonnulla principia, sanae doctrinae Ecclesiae adversa, reiiceremns; in brevitate solum, quam termini epistolae admittunt, doctrinam catholicam de hoc obiecto exponere nobis proposuimus. In hac

doctrina M. Vra ea cuncta reperiet, quae ad complanandum tam magni momenti negotium conferre possunt; quod eo facilius obtinere speramus, cum Ministri Eiusdem declaraverint : se nunquam consensuros ad faciendam propositionem, praeceptis Religionis oppositam, quaecunque demum opiniones praevaluerint.

Dogma fidei est : Matrimonium a D. N. I. Ch. ad dignitatem Sacramenti elevatum esse; et doctrina Ecclesiae est: Sacramentum non esse accidentalem qualitatem, contractui additam, sed ad ipsam essentiam Matrimonii pertinere; ita, quod connubium apud christianos nonnisi in sacramento matrimonii legitimum sit, extra quod solummodo concubinatum constituit. Lex civilis, quae, supponendo : apud catholicos sacramentum a contractu matrimoniali separari posse, de validitate eius disponere praetendit, doctrinae Ecclesiae contradicit, iura eiusdem, quae abalienari nequeunt, aggreditur, et practice concubinatum, sacramento matrimonii parem efficit; cum utrumque pariter legitimum agnoscat. Neque doctrina Ecclesiae salva persisteret; neque securitati iurium Ecclesiae satis prospectum foret, si in decursu discussionis a Senatu adoptarentur duae propositiones, a Ministris Mattis Vrae enunciatae; scilicet 1-o quod lex pro validis agnoscat matrimonia, in conspectu Ecclesiae rite celebrata: 2-o quod, contracto matrimonio, cuius validitatem Ecclesia non agnoscit, alterutra pars, quae tardius praeceptis Ecclesiae parere cupit, adstringenda non sit ad perseverandum in convictu, ab Ecclesia damnato. Nam quod ad primam propositionem attinet, per matrimonia valida aut ea intelliguntur, quae rite, coram Ecclesia celebrantur, et hoc in casu dispositio legis superflua foret, imo veram usurpationem legitimae potestatis saperet, si lex civilis praetenderet cognoscere et iudicare : num Sacramentum Matrimonii *in facie Ecclesiae* rite celebratum fuerit; — aut pro validis habentur ea sola matrimonia, quae *rite*, id est: secundum civiles leges contrahuntur; atque in hoc quoque casu infringitur ius, quod Ecclesiae exclusive competit. Quantum ad alteram propositionem, si — stante nullitate Matrimonii, utpote non in facie Ecclesiae, neque secundum leges eiusdem celebrati, — arbitrio alterutrius partis committeretur, in illicito convictu non perseverare;

tunc potestas civilis instar legitimae snbsistere sineret unionem, qnam Ecclesia reprobat. Porro ntraque propositio, non evertendo snppositum, e quo omnes dispositiones hniusce legis egredinntur, videlicet separationem sacramenti a contractu matrimonii, — snbsistere permittit snpra memoratam oppositionem, inter ipsam legem et doctrinam Ecclesiae de matrimonio subversantem. Profecto *non existit alter modus conciliationis, quam ut Caesar, retinendo, quae Caesaris sunt, omittat Ecclesiae ea, quae Ecclesiae sunt. Potestas civilis disponat de civilibus effectibus, qui e connubiis oriuntur; ast permittat Ecclesiae ius, de validitate illorum apud Christianos decernere. Civilis Potestas suspiciat terminos validitatis, aut nullitatis matrimonii, ab Ecclesia praestitutos, et huic facto conformiter, — cuius decisio extra sphaeram ipsius cadit, — disponat de effectibus pure civilibus.*

Praeterea epistola Mattis Vrae nobis obligationem imponit, dilucidare alias quasdam propositiones, qnas in eadem reperimus. Primo quidem Mattas Vra dicit : se e qnopiam fonte, qnem pro officioso existimare debet, rescivisse : quod nos propositionem praefatae legis nentiqnam instar actus, Ecclesiae infensi consideraverimns. Nos de hoc obiecto cum Ministro Mattis Vrae, Comite Bertone, priusqnam Roma discessisset, locuti sumus, qni in honore asseveravit, se Ministerio Mattis Vrae solnmmodo scripsisse : Papam nihil in obversum habiturum, si, salvis omnibus iuribus Sacramenti, atque libertate eidem competente, leges conditae fnerint, quae pure ad civiles effectus matrimonii se referunt. Porro Mattas Vra addit : *leges matrimoniales, quas in quibusdam Statibus, Pedemontano Regno vicinis, vigore potiuntur,* haud impedivisse, qnominns S. Sedes hos Statns benevolo, atqne charitate pleno affectu proseqnatur. Ad haec reponimus, *S. Sedem nunquam acquievisse memoratis factis, semperque contra huiusmodi leges reclamavisse,* ubi primum ad notitiam eiusdem pertigerunt, quarum remonstrationnm documenta praesto sunt in Tabulariis nostris; verumtamen hae protestationes neutiqnam impediverunt aut impediunt Papam in amandis catholicis illarum nationum, qui coacti fuerunt praefatis legibus se subiicere. Numquid amare non deberemus catholicos Regni Mattis Vrae, si iisdem dura

incumberet necessitas, huiusmodi legi parendi? Imo, plus dicimus, numquid cessare deberent sensa nostra charitatis erga ipsam Mattem Vram, si eadem, — quod Deus clementer avertat, — ad hanc legem sanciendam se induci sineret? Nequaquam; — charitas nostra potius augeretur, maiorique zelo emitteremus fervidissimas ad Deum preces, supplicando: ne omnipotentem manum suam capiti Mattis Vrae subtrahat, sed ut Eidem magis, ac unquam, lumine, atque inspirationibus suae gratiae succurrat. Verumtamen non possumus non comprehendere momentum obligationis, qua premimur: ut huic malo, quantum in nobis est, occurramus, et ut Matti Vrae declaremus: quod — si S. Sedes contra huiusmodi leges iam pluribus occasionibus reclamaverat, — hodie magis, ac unquam obstricta sit, ad idem in respectu Pedemontii maxima cum solemnitate faciendum; cum Ministerium Mattis Vrae exempla aliorum Statuum alleget, quorum funestorum exemplorum reproductionem impedire debemus; et cum huiusmodi lex eo tempore concinnetur, quo tractatio fine complanandorum aliorum negotiorum occepta est; — ex qua circumstantia facile concludi posset: S. Sedem huic facto quoquomodo connivere. Huiusmodi obligatio nobis quidem admodum dolorosa foret; ceterum quomodo possemus nos eidem subducere coram Deo, qui regimen suae Ecclesiae, et custodiam suorum iurium nobis commisit? Sola Mattas Vra nobis hoc magnum allevamentum praestare posset, tollendo ansam huiusce obligationis; et unicum verbum in hoc negotio a Matte Vra profectum augeret gaudium nostrum, quo perfusi sumus, dum Eadem ad nos se convertit. Quo promptius fuerit Eiusdem responsum, eo magis acceptum erit cordi nostro, cum illud sollicitudine, nos opprimente, liberaret; quam tamen in tota sua extensione subire cogeremur, si obligatio conscientiae hunc solemnem actum deposceret.

Superest, ut erroneam Mattis Vrae circa administrationem Dioecesis Taurinensis, ideam dissipemus. Ne prolixi simus, unice relegi oramus duas epistolas nostras, quas Matti Vrae 7 Septemb. et 9 Novemb. 1849 scripsimus. Minister Mattis Vrae, Comes Bertone, qui actu Taurini commoratur, Eidem referre poterit de declaratione, quam ex ore nostro

audivit, et quam isthic libere repetimus. Dum idem Minister nominationi Administratoris Dioecesis Taurinensis insisteret, nos observavimus: Ministerium Pedemontanum, AEppum Taurinensem ad carcerem et exilium damnando, effectum a se haud intentum, produxisse; etenim haec agendi ratio Praelato tantas sympathias, tantamque venerationem magnae partis catholicorum conciliavit, ut nobis omnino impossibile sit, in obversum huius admirationis catholici orbis agere, atque AEppum gubernio suae Dioeceseos privare. Tandem respondemus ad postremam observationem Mattis Vrae, in qua partem Cleri Pedemontani et Pontificii de eo accusat, quod Gubernium impugnet, et subditos ad rebellionem contra Mattem Vram eiusque leges concitet. Huiusmodi accusatio a veritate abludens nobis videretur, nisi Mattas Vra eandem protulisset, declarando, se respectiva documenta prae manibus habere; atque hoc in casu rei omnino debitas poenas luere deberent. Dolemus tamen, nos nullam notitiam horum documentorum habere, neque scire, quaenam sint membra Cleri, quae pessimo molimini, excitandae in Pedemontio revolutionis, se accinxissent. Haec ignorantia nobis haud permittit, ut illos puniamus. *Quodsi* tamen *per concitantia verba intelligerentur scripta, quae Clerus Pedemontanus contra proiectum legis matrimonialis evulgavit: tunc dicimus, Clerum — praescindendo a modo, quem nonnulli adhibuerunt — nonnisi suam obligationem implevisse. Nos scripsimus Matti Vrae, hanc legem non esse catholicam; si vero lex catholica non sit, tunc Clerus obligatur fideles eatenus informare, non obstantibus periculis, quae eidem imminere possent.* Nos nomine ipsius Iesu Christi, cuius vices, quamvis indigni, sustinemus, loquimur Matti Vrae, eamque per idem sanctissimum nomen oramus, ne hanc legem, mille malorum scaturiginem, sanciat. Precamur quoque, ut Eadem iubente refrenetur prelum, quod constanter blasphemias et immoralitatem disseminat. Innumera sunt scelera, e licentia loquendi, scribendique promanantia. Faxit Deus! ne peccata haec in illum recidant, qui, cum potuisset, causam illorum non impedivit. Mattas Vra conqueritur de Clero: sed Clerus postremis annis in omnibus fere pagellis, quae in Pedemontio typis procuduntur, obiectum

vilipensionis, aggressionis, calumniarum et opprobriorum factus est. Neque dinumerari possunt omnes infamiae, atque rabidae invectivae, quae contra hunc Clerum sparguntur. Et idem Clerus, qui defendendae veritati, fideique puritati adlaborat, nunc fortasse gratiae Mattis Vrae iacturam pati deberet? Nos non possumus id nobis persuadere, lubenterque alimus spem, fore: ut Mattas Vra iura, ministrosque Ecclesiae tueatur, populumque suum a iugo certarum legum liberet, quae signaculum ruinae Religionis et moralitatis regnorum praeseferunt. Hac fiducia pleni, ad coelum attollimus manus nostras, precando SS. Trinitatem, ut descendere faciat Apostolicam Benedictionem supra augustam Mattis Vrae Personam totamque regiam Familiam. — Datum in Castro Gandulphi, 19 Sept. 1852. *Acta Pii IX.* Vol. 2. Romae. 1858. pag. 294.

Mon. 225.

Protestatio Epporum Subalpinorum et Liguriae adversus proiectum novae legis de Matrimonio, principiis et iuribus Ecclesiae Catholicae repugnans, ad Senatum Regni directa. 1852.

Quamtumvis molestum sit infrascriptis Eppis, attollere vocem suam, quam illi, qui pervertendis eorum intentionibus student, facile qua erga regium Gubernium minus reverentem interpretari poterunt; nihilominus ipsi nullis respectibus humanis abstrahi possunt ab implemento gravissimae obligationis, quam ipsis sacrum munus Pastorum animarum, atque custodum et defensorum catholicae fidei imponit. Ad accusationes, quas contra eosdem malevoli in medium proferent, ipsi respondebunt cum maxime legali submissione erga regium Gubernium, et cum promptissima et officiosa obedientia erga leges Status in omnibus, quae illorum officiis erga Deum et Ecclesiam non adversantur. In sessione 12 Iunii Ministerium S. M. Camerae Deputatorum exhibuit proiectum legis de Matrimonio, et aliud, coordinationem Status

civilis concernens. Dum boni catholici huius regni, per recentes Gubernii declarationes, animos ad laetas spes exoptatae atque proxime subsecuturae cum S. Sede reconciliationis erigerent; iidem nequaquam expectare poterant nuncium novarum legum, quae satis iam amaram communis Patris fidelium afflictionem adhuc intensiorem redderent, novumque fomitem praeberent deplorandis dissidiis, quae iam a pluribus annis corda omnium, Ecclesiam et Patriam sincere amantium, crudeliter dilaniant. Non est scopus infrascriptorum Epporum, coram Senatu de secunda, dictarum propositionum fusius verba facere. Probe nota est Illmis DD. Vris antiquissima praxis, quae apud nos hoc in obiecto viguit, et iuxta quam Parochi, — secundum normas ab Ecclesia praescriptas, — exclusive conscribebant et custodiebant libros, e quibus legitima documenta Status civilis desumebantur; notus est etiam iustissimus respectus, quo Rex Carolus Albertus erga eandem Ecclesiam ducebatur, dum de quibusdam innovationibus effectuandis ageretur; atque hinc Eaedem facile perspicient: num congruum, aequum, et conventioni, cum S. Sede anno 1836 initae *) conforme foret, huic a parte civilis potestatis in omnibus derogare, et num consentaneum sit articulo 1 Statuti, e registris nativitatis et obitus omne indicium illorum solemnium actuum eliminare, sine quibus nemo ad Religionem Status admittitur, et quibuscum Ecclesia proles suas usque ad tumulum comitatur.

Dictu difficile est, quanta cum attentione, quantaque sollicitudine expenderint infrascripti Eppi suos obtutus de hac *lege matrimoniali*, quae Ecclesiam tam prope tangit. Nonnisi longa, et matura deliberatione praemissa permoti sunt, Illmis DD. Vris declarare: ipsos *hoc proiectum, concordibus votis, pro infenso Religioni Catholicae, pro contrario fundamentali Statuto Regni, atque pro tali reputare, quod funestissimae immoralitati viam necessario aperiat, et catholicos dolorosis con-*

---

*) V. Instructionem S. Congreg. negot. Ecclesiast. ad AEppos et Eppos terrae firmae dd. 23 Aug. 1836. Epist. Gregor. XVI PP. ad Reg. Carol. Alb. sequenti die scriptam, et responsum huius dd. 29 Octobris.

scientiae angoribus exponat. Religio Catholica Ecclesiae Dei attribuit ius, impedimenta, quae Matrimonium nullum reddunt, stabiliendi, et consequenter ius quoque, in huiusmodi impedimentis dispensandi. Ecclesia sancta inde ab aevo Apostolorum simili auctoritate usa est, S. Concilium Tridentinum vero expresse definivit hanc veritatem, quae sine nota haereseos impugnari nequit. *) Iam vero haec auctoritas Ecclesiae, et haec definitio omnino conculcatur, dum quodpiam matrimonium, absque omni respectu impedimentorum, ab ipsa stabilitorum, aut concessae ab eadem dispensationis pro valido, aut invalido declaratur; atque iniuria infertur Catholicae Religioni, quae cum Religio plus quam $^{99}/_{100}$ subditorum Suae Mattis sit, solam Religionem Status constituit. Ex hac causa proiectum legis violat fundamentale Statutum Regni; nam admissa quadam Religione in Statu, imo illa pro sola Religione Status agnita, necesse est: ut illa perfecte et convenienter admittatur, cum omnibus suis principiis et praeceptis; necesse est, abstinere ab omni re, quae doctrinae eius adversatur, legesque eiusdem infringit. Absque hoc, admissio atque Statutum, illam enuncians, nil nisi mendacium et illusio foret. Insuper proposita lex gravissimam violentiam infert conscientiis civium, eosque pretiosissima libertate privat; violente adstringendo illos ad actus, quos Religio manifeste reprobat; imponendo ipsis convictum aut separationem, quam Religio, cuius asseclae sunt, strictissime vetat. Et quamvis haec lex nonnisi de civilibus effectibus loquatur, nihilominus tamen violentiam conscientiae inferre non cessat impedire volendo civem, ne iure, quod religio ipsi tribuit, uti, — ne officium, quod eadem religio illi iniungit, adimplere possit; exponendoque illum vice plus simplici durae, inevitabilique alternativae, in qua aut Deo, aut hominibus inobediens fieri debet. Hinc ne conscientiae violentia inferatur, inomisse necessarium est, ut a metu incurrendi huius gravissimi periculi immunis sit. Quomodocunque tentatum fuerit,

---

*) V. Concil. Trid. de ref. matr. cap. 1. can. 3. 46. etc. Breve Bened. XIV. dd. 24 Sept. 1746. — Bullam Auctorem Fidei Pii VI.

per nonnullas timidas et inefficaces dispositiones aliam persvasionem animis ingenerare, negari tamen non potest: suprafatum proiectum in respectu religionis essentialiter reproducere legem matrimonialem notae cuiusdam nationis. Iam autem cuivis notum est, quali epocha fuerit haec lex condita; cuivis constat, antea nunquam auditum fuisse, ut populus quidam, sive cultus, sive barbarus matrimonium, maximae considerationis actum, totam vitam hominis concernentem, auctoritati Religionis subduxisset. Et cur deberet nunc apud nos adoptari id, quod gallici sophistae 1791-o attentarunt, dum templa diruere, cultum *deae rationis* proclamare moliebantur, et ad regicidium se praeparabant? Quis non intelligat, matrimonio, omni actu Religionis exuto, non aliud remanere praeter turpem concubinatum, abiectum consortium, eo magis vituperandum, quo magis intenditur illud, — vilipensa moralitate et suffocato omni sensu religioso, — legali quadam forma cooperire, imo nomine legis ratum habere? Quivis scit, quam horrendam corruptelam morum produxerint in Gallia haec civilia matrimonia, omni sanctione Religionis destituta. Ibi, et praecipue in provinciis, (departamenti) in quibus affectus erga Religionem Catholicam deferbuit, quotidie magis invaluit associatio inter virum et foeminam, quoad omnia ab individuali arbitrio dependens, quae non minus publicae decentiae, quam sanctitati Matrimonii, et proborum morum insultat. Videndo quippe matrimonium religioni penitus subtractum, haud pauci illud pure pro elocatione propriae, aut alterius personae, atque pro contractu, a solo arbitrio et beneplacito contrahentium dependente habuerunt. Videndo, omnem dependentiam ab Ecclesia lege superfluam agnitam haberi, cur — inquiunt — necessum sit nobis ad communitatem confugere, ut nobiscum disponat? Nos privatam societatem, per privatum scriptum inimus, et mutuo associati manebimus, donec nobis placuerit. Eoque res progrediuntur, quod in nonnullis civitatibus numerus illegitimarum, aut expositarum prolium septimam partem omnium natorum adaequet. Comprehensu facile est, quidnam possit opperiri societas ab his infelicissimis hominibus, qui ex infami coniunctione progene-

rati, ad nullam familiam pertinent, nullam educationem sortiuntur, sine omni affectu domestico vivunt, semperque proni sunt ad omnes tumultus, parati ad omnia delicta, quemadmodum statistica data huius vicinae nationis testantur. Huic malo quidem laudabili zelo obsistere, atque abominandas has coniunctiones legitimas reddere conatur societas S. Francisci Regis, cui viri, omni honore digni se adiungunt, et quam ipsum regium Gubernium, non secus ac illud Galliae efficaciter succolat; ceterum quantumcunque generosi sint hi conatus, quacunque protectione Gubernii gaudeant, experientia tamen docet, quantopere optandum sit, ut haec mala, in quibus exstirpandis desudatur, antevertantur. Verum quidem est, imperante nobis Napoleone, civile matrimonium in Pedemontano Regno non produxisse hanc immoralitatem, de qua cordati viri Galliae, utpote de necessario effectu eiusdem lamentantur; sed, praeterquam quod leges Galliae, tamquam leges populi, alios subiugantis, et a religioso suo indifferentismo noti, nonnisi cum universali resensu observarentur, hoc dominium non diu duravit, et immoralitati tunc validissimus agger opponebatur per adhaesionem et venerationem, erga principia et actus religionis, quae inconcussae inhaerebant cordibus et mentibus civium, quos pudoris et pietatis expers prelum, cum infernali et obstinata astutia necdum corrumpere et pervertere coepit.

Quodsi proposita lex omni tempore irreligiosa, immoralis, et perniciosa foret; perspectu facile est: eam cumprimis moderno aevo societati funestam futuram; nam cupiditas materialium rerum consurgere fecit quamdam sectam, e systemate suo omni religioso principio infensam, et fidei, non minus, quam proprietati, familiis ac ordini inimicam. Profecto hodie minus ac unquam prudentiae conveniens foret: actum, cui suam originem debent familiae, auctoritati Ecclesiae penitus subtrahere, manifestam dispositionem oecumenici Concilii violare, atque ipsi solidissimae basi Religionis et Status exitium minari. Neque dicatur: haec incommoda per art. 20 citati proiecti reparanda fore. Etenim, praeterquam quod dispositio huius articuli, — cum evidenti reservatione ad solum actum celebrationis matrimonii restricta, — ad

excludendum omnem alium Ecclesiae influxum tendat, eadem omnino illusoria redditur per subsequentem articulum, in quo instar principii stabilitur: Matrimonium etiam sine interventu cuiuscunque actus religiosi subsistere, omnesque suos effectus producere. Iacto iam in tanta irreligiositate temporum, in medio conatuum, ad dirumpenda omnia vincula dependentiae ab auctoritate, tendentium, malo semine; quanti studebunt eiusdem fructum decerpere! et quivis certe, dummodo voluerit, — scopum suum assequetur, posteaquam lex illud intra terminos, ab ipsa stabilitos, permittit, quotiescunque contingat, hunc actum, *quacunque e causa in facie Ecclesiae celebrari non posse.* Ast quae utilitas, quodve commodum expectatur ex hac lege reduntaturum? Independentem volunt reddere, — sic saltem dicitur, — secularem auctoritatem ab Ecclesia; antevertere cupiunt conflictus, inter Potestatem Regiam et Ecclesiasticam exoriri queuntes. Quid prodest, cunctas cogitari queuntes leges publicare, si materialis illarum effectus nullis mediis obtineri possit? Atqui *unio duorum catholicorum apud nos non est nec unquam erit verum Matrimonium, nisi secundum infallibilem doctrinam, et leges Ecclesiae celebretur. Facto adstringi possunt duae personae ad sibi convivendum, at coram Deo, et coram Ecclesia nunquam veri coniuges erunt.* Suprafatum Concilium Tridentinum id per expressum definivit. Itaque, quin secularis Potestas quampiam iurisdictionem, ipsum Sacramentum concernentem sibi arrogaret, — quod tamen, ut credere licet, non intendit, — nemini, praeter Ecclesiam, competit de validitate, aut nullitate matrimoniorum catholicorum, vel de impedimentis, per SS. Canones stabilitis, decernere; et praetensa independentia ab Ecclesia nunquam effectum sortietur absque conculcatione definitionis Concilii Tridentini, quod anathemate ferit omnes, quicunque dixerint: ad Ecclesiam non spectare iudicium omnium causarum matrimonialium; — absque violatione pactorum, in Concordato anni 1842 contentorum, verbo, absque usurpatione iurium, quae S. Ecclesiae a nemine controverti possunt.

Quodsi haud aliud intenditur, quam ut abrogetur consuetudo, vi cuius cives documenta, civilem suum statum pro-

bantia, a ministris Ecclesiae petere debuerunt; cur non praeeligitur systema, in aliis Statibus Italiae usu veniens, ubi sponsi obligantur Communitati exhibere testimonium, de religioso actu matrimonii sui, per quam exhibitionem omnium effectuum civilium participes redduntur; — cur non adoptatur saltem systema, in Anglia vigens, ubi civilis Officialis, qua testis necessario assistere debet religiosae celebrationi matrimonii, quaecunque demum sit confessio, cui sponsi adhaerent? Tam primum, quam alterum horum systematum independentem reddit Potestatem civilem, quin attributa, aut principia Ecclesiae vellicaret. Ast omnem necessitatem ad Ecclesiam confugiendi, eiusque auctoritatem agnoscendi, excludere, atque hac ratione efficere, ut omnis respectu documentorum, ab eadem scopo comprobandi civilis status suorum fidelium conscriptorum impossibilis reddatur: quid aliud denotat, nisi populos ad vilipensionem tam venerandae auctoritatis tacite exstimulare, nisi scandalum dare? Quod vero ad conflictus duarum Potestatum attinet, hi, non ut per proiectum legis matrimonialis tollerentur, sed potius creantur, et in immensum multiplicantur; nam per hanc legem coniuges non raro ad eum situm ponerentur, in quo ipsis omnino impossibile foret simul praeceptis Ecclesiae atque Status obtemperare. Id, quod eveniret, quotiescunque impedimentum quoddam canonicum annihilaret matrimonium, quod lex civilis pro valido et subsistente declarat; — aut dum Status pro nullo declararet matrimonium, quod Ecclesia legitimum, validumque agnoscit; verbo: singula vice, dum leges Ecclesiae cum legibus Status colliderent, cui collisioni proposita lex perennem, amplissimumque aditum pandit. Qualis porro erit utilitas, quae e subducto auctoritati Ecclesiae matrimonio oriunda supponitur; an non infinite praestaret: totalem ruinam proborum morum non promovere, conscientias Catholicorum non affligere? Num aliquis ignorare poterit: solam et veram basim moralitatis, Religionem esse; atque ad restabiliendum ordinem necessario requiri: ut religiosa fides consolidetur, ut Ecclesiae, id, quod eidem competit, agnoscatur et tribuatur, denique ut provehatur obsequium et veneratio Religionis Status, quae sub ipsis politicis obtutibus

sincere honorari et exerceri debet? Exemtio Matrimonii a debita dependentia ab Ecclesia legale incitamentum est, ad insuperhabenda, oblivioni tradenda et violanda eiusdem praecepta, atque accomodatissimus passus ad depravandam, eoque perducendam nationem, ut Religionem suorum patrum eiuret. Infrascripti itaque supplicant Illmis DD. Vris, per affectum, quo erga hanc S. Religionem ducuntur, perque ipsum amorem patriae: ne nationem tam infausto discrimini exponant, neque onus tam tremendae responsionis in se assumant; verum potius eo adnitantur: ne deplorandum hoc proiectum scaturigo enormium malorum pro Ecclesia et Statu, vim legis nanciscatur. 1852. (*Sequuntur subscriptiones 3 AEpporum, 20 Epporum et 1 Vic. Gen. Capit.*) — *Ex Actis Pii IX P. M.* vol. 2.

Mon. 226.

Declaratio Episcoporum provinciae ecclesiasticae Camberiensis super proiecto legis de Matrimonio civili. 1852.

Proiectum legis relate ad matrimonium Parlamento brevi ante praesentatum in omnibus Sabaudiae civibus, in principiis suis religiosis se laesos cernentibus, gravem excitavit inquietudinem, et profundum dolorem. Quaestio haec essentialiter respicit religionem, moralitatem, familias, totumque statum socialem. Episcopi Provinciae ecclesiasticae Camberiensis ad officium sui ministerii pertinere reputant, super hoc obiecto collectivam publicare Declarationem principiorum ad illuminandos fideles suarum Dioecesium, qui in casu esse possent manifestandi suam opinionem super hac lege, priusquam publicetur, aut praevenire dispositiones, quas continet, ubi fuerit acceptata. Si proiectum hoc consideretur pure sub respectu opportunitatis, dici posset : 1. Quod praeseferat inconvenientiam, multiplicando formalitates, et matrimonia reddendo multo difficiliora. Nunc adpropinquante tempore prohibito, tempus laboris, aut metus scandali reddunt matrimonium urgens, totum potest intra tres, quatuor dies termi-

nari. Si lex illa adoptata fuerit, oportebit ad formalitates canonicas adiungere cunctas formalitates civiles; tres denunciationes per Syndicum faciendae, mora plurium dierum post publicationem, deposcet necessario tempus multo longius. Ecclesiam quod concernit, haec non flectetur ad modificandas leges suas, qualescunque essent formalitates per legem civilem requisitae; Clerus nunquam consentiet ad matrimonium quin se in omnibus conformet praescriptis Iuris canonici. Poterit 2. dici: quod proposita lex profundam aversionem producat in magna maioritate, seu $^{19}/_{20}$ populationis Subalpinae; et quantae familiae sincere catholicae existunt in Statibus Regis, — et hoc ad satisfaciendum exiguo numero individuorum, ob suam moralitatem, et religiosum statum non magno respectu dignorum! Posset tertio dici, quod lex ista multo difficiliorem reddat conclusionem negotiationum cum S. Sede, si fuissent realiter inchoatae, quae conclusio omni die magis necessaria et urgens esse dignoscitur. Nec nos ludificemus; homines convictionis sincere religiosae non sunt e corde affecti Guberuio constitutionali, nisi completa fuerit reconciliatio cum capite Ecclesiae. Nos sumus omnes catholici, dispositi sumus ad quodcunque ferendum sacrificium potius, quam prodendam fidem nostram et devotionem erga Catholicismum. Relatio ministerialis magnum praesefert pro Religione respectum. Ista est illusio, quae nos decipere haud poterit. Totum eo tendere videtur, ut a Clero auferantur registra Status civilis; fors deficit hac in parte gratitudo; possessio registrorum repetenda est a 250 annis, et exhinc resultat ius continuationis pro Clero. Ast sit utcunque, registra a Clero facile possunt auferri, quin ideo matrimonium civile adoptaretur; sufficiet itaque declarare, quod matrimonium coram parocho celebratum non producat effectus civiles, nisi fuerit regestratum per Syndicum; aut exigere, ut Officialis Status assistat celebrationi matrimonii, ut viget in Anglia. De cetero timendum est, quod Syndici substitutio non sit mutatio in melius, ut supponitur. In maiori parte Communitatum ruralium Syndici non sunt bene in scribendo versati, ideo non praebent maiorem securitatem moralem quam parochi. Fere omnes Notarii sunt in pluribus Communitatibus adpliciti, et

residere in omnibus non possunt. Habitualis residentia hominis ad rite ducenda registra qualificati cuivis Communitati causabit expensas notabiles. In Sabaudia ante annum 1815, in magno parochiarum numero, solebat praefectus pro copiandis a parocho registris, cum fine cuiuslibet mensis, parochum adire. Usus evidenter abnormis, qui utique restabiliri non deberet.

Sed considerationes hae utpote inferioris ordinis disparent, si tractetur de quaestione altioris obtutus. *Non possumus nos cohibere, quominus enunciemus: proiectum hoc esse inconstitutionale, immorale, antisociale, anticatholicum.* Et revera 1. Statutum dicit, religionem catholicam, Apostolicam, Romanam esse solam religionem Status; Codex civilis adiungit, quod Rex honori sibi ducat, se esse protectorem Ecclesiae, et observari facere leges in omnibus materiis, quarum regulatio ad Ecclesiam pertinet. Gubernium itaque recognoscere debet leges Ecclesiae, nec potest, quin Statutum violetur, constituere alias cum Ecclesiae legibus haud conciliabiles. Quod proposita lex sit in oppositione cum legibus Ecclesiae, res evidens est. Imo opus est addere, quod sit *plenaria perturbatio totius legislationis canonicae super Matrimonio.* Ipse Minister id recognoscit in expositione motivorum. „Inter iura, quae cives exercere possunt, dicit ille, nullum est maioris considerationis, quam quod ad validitatem aut nullitatem matrimonii pertinet. Leges nostrae nullibi continent aliquam dispositionem illud regulantem; magistratus nostri nullum possunt pronunciare iudicium pro eius tutela. Codex, qui nos regit, conformis antiquis Regni legibus, totum remittit ad leges et iudicia ecclesiastica.“ Haec est confessio admodum clara, quod nempe a tempore immemoriali, quidquid concernit Matrimonium, quantum ad ligamen conscientiae, regulatum fuerit per Ecclesiam, et quod Gubernium id dumtaxat occupaverit, quod concernit effectus civiles, et temporalia desponsorum emolumenta. In proiecto legis oblitus est Minister, quod Religio catholica sit religio Status, et nullam habet rationem legislationis suae de matrimonio. Secundum ius canonicum, iuvenes possunt ducere 14 anno completo, puellae 12 anno; iuxta proiectum legis iuvenes possunt saltem

annorum 18, et puellae annorum 15 matrimonium inire. Ius canonicum prohibet matrimonia filiorumfamilias sine consensu parentum, sed una declarat, quod Matrimonia sine tali consensu celebrata, sint valida; proiectum legis exigit consensum patris et matris pro minorennibus sub poena nullitatis, sed non exigit pro maiorennibus, salva dispositione articulornm 109, 110, et 111 codicis civilis. In linea collaterali, ius canonicum prohibet Matrimonium inter parentes et affines usque gradum quartum inclusive; proiectum legis prohibet nonnisi inter fratres et sorores, et affines in eodem gradu, sicut inter patruum et neptem, inter amittam et nepotem. Secundum ins canonicum adulterium et homicidium sunt impedimentum dirimens, si adsint certae conditiones; proiectum legis admittit quidem istud impedimentum, sed exigit conditiones ex toto differentes. Ius canonicum recognoscit impedimentnm rati, pnblicae honestatis, cognationis spiritualis; proposita lex de his prorsus non loquitnr. Proiectum legis prohibet tutori, eiusque filio desponsare pupillam, suae tutelae commissam; secundum ius canonicnm impedimentum tale non existit. E tali confusione consequetur, si lex illa adoptata fuerit, nt subinde matrimonium sit validum coram Deo et Ecclesia, nullum coram iudicio civilis potestatis; aut vero validum coram iudice civili, et nullum qnoad ligamen conscientiae. Ecclesia urgebit sponsos ad cohabitationem, iudex civilis obligabit ad separationem; ius canonicum legitimos recognoscet eorum filios, ius civile privabit successione paterna; talis conflictus in quaestione adeo fundamentali non poterit non dare occasionem dolorosis perturbationibus in societate. Generatim, Statntum constitntionale declarat, Religionem Catholicam, Apostolicam, Romanam esse Religionem Status, unde sequeretnr, ut fundamentales Ecclesiae leges sint etiam leges Statns, qnas Gubernium violare nequeat, ant ignorare, quin transgrediatur articulum 1. Statuti constitutionalis, et articulos 1. ac 2. codicis civilis.

2. Proiectum hoc legis est immorale, profunde immorale. Matrimonium catholicum elevat hominem et nobilitat, reflectitque, se ad imaginem Dei creatum, a Iesu Christo redemtum., per baptisma sanctificatum, et ad perennaliter

occupandum in coelis locum, destinatum esse. Determinato die sponsi comparent, se ad pedes altaris prostraturi, — recepto eorum consensu Sacerdos habitu sacro amictus iis dicit: „Coniungo vos in matrimonium in nomine Patris, et Filii et Spiritus S.“ Benedicit sponsam et coeli protectionem super illam invocat. Religio hac ratione considerare facit vinculum coniugale qua rem sacram, et diem matrimonii velut grandem vitae epocham. Matrimonium civile ex opposito, hominem deprimit, vilemque reddit et profunde degradat, conditionem eius super terram propudiose similem reddit sorti vilissimorum animalium. Si iuxta legem duo sponsi ad iudicem semet praesentaturi iverint, si hic non timet cooperari ad illam profanationem, in cuius nomine illos uniet? Iuxta leges Ecclesiae est certus, matrimonium hoc in conspectu Dei absolute esse nullum ob impedimentum clandestinitatis, non loquendo de aliis impedimentis, quae occurrere possunt. Sic e. g. duo consobrini germani, qui Roma dispensationem consecuti non sunt, quam nec petere voluerunt, praesentant se parocho: hic negat copulationem ob impedimentum secundi aequalis gradus consangvinitatis, quo irretiti sunt. Veniunt et praesentant se iudici, hic non habet ius examinandi, num parochus rectum habeat nec ne; examen tale est eidem prohibitum. Coram Deo, et in oculis Religionis status omnium horum, qui tali dumtaxat modo, nimirum civiliter copulati sunt, erit absque omni dubio, status habitualis fornicationis, erit concubinatus publicus sub protectione legum positus, erit incitamentum passionum, erit via lata ad immoralitatem. *) Sed dicitur, non esse ponendos libertati conscientiae

*) Si duo individua se praesentent coram ipsis, iuxta art. 21 (nunc art. 23.) proiecti legis, iudices imperati et syndici sincere catholici poteruntne recipere eorum consensum, et regestrare praetensum hoc matrimonium? Credimus non. Ecclesia non potest permittere talem cooperationem. Si lex est adoptata, oportebit pro futuro abiurare catholicismum prius, quam acceptare officium syndici aut iudicis imperati. Est verum in Gallia tolerari, ut matrimonia civilia regestrentur a syndicis, sed rerum status non est identicus. Syndicus semper poterit supponere, quod matrimonium catholicum celebretur post civile; apud nos, ex

obices. Ast non iam agitur de Israelita ad ineundum coram ministro protestantico matrimonium cogendo, nec de protestante ad connubium coram presbytero catholico contrahendum. Admirationem fors excitat, quod is, qui in catholicismo natus, neque hunc adhuc eiuravit, una adminus vice in vita obligetur semet praesentare sacerdoti, a quo baptismum recepit, primam communionem sumsit, et qui forte cras sepulturam eius peragere debebit?

3. Non solum immorale est illud proiectum, sed etiam antisociale. Primum societatis elementum est familia. Sufferendo matrimonio sanctionem religiosam, eo ipso sacer illius character aboletur, quem patres et matres frontibus insculptum gerunt; favor exhibetur scandalosis associationibus, quae corruptionem morum adeo communem reddiderunt condam apud antiquos Romanos, et quae diebus nostris, specialiter in magnis civitatibus horrendum in modum multiplicantur. — In Dioecesi Cameriensi per exemplum, numerus prolium illegitimarum ad praesens est 28 post 1000 nativitates; in Gallia 75 post 1000; in Civitate Parisina a. 1850 fuere 336 post 1000, seu 9979 post 29628 nativitates, seu plus quam $^1/_3$, praeter proles e civilibus matrimoniis genitas (Annuaire du Bureau des longitudes pour 1852). Nemo ignorat, quod proles illegitimae sint periculum pro societate, semper sunt pronae ad ducenda insurrectionum, et revolutionum fila, ubique sunt proprietatis et familiae inimicae, quia sunt sine proprietate, sine familia. — In epocha suae fundationis Ecclesia mundum reperit in terribili depravatione. Laborabat incredibili cum adstrictione in reformandis moribus, ad invehendas in societatem Evangelii doctrinas de pudore et castitate. Stabilivit impedimenta, in specie consangvinitatis et affinitatis, et publicae honestatis, ad retrahendos a coniunctione proximos parentes ordinarie in una domo babitantes. Iuxta effatum celebris cuiusdam protestantis, hac ratione catholi-

---

opposito iudex et syndicus in eodem casu semper erunt certi, quod se sponsi legi Ecclesiae submittere nolint, ideo consensum eorum absque cooperatione ad actum illicitum excipere non possunt.

cismus evasit celeberrima schola venerationis in toto mundo. Dolorosum proinde est videre, quod hodie ipsa civilis potestas quandoque subruat aedificium sociale, publicando leges immorales, et favendo reinductioni gentilismi.

4. Principalis character proiecti legis, de quo agitur, est, quod sit anticatholicum. Ad Deum redire necesse est, quo inveniatur cunctarum obligationum origo; si unus alteri det verbum, non est obligatus illud servare, nisi quia Deus adprobavit et sanctionavit promissum. Maiori adhuc iure opus est recurrere ad Deum, ut inveniatur origo gravis obligationis, matrimonii contractum constituentis, non enim est conventio ordinaria uti contractus locationis, sed obligatio ordinis infinite superioris. Unde videmus in Genesi, quod mox post creationem Deus ipse benedixerit unionem coniugalem: *Masculum et feminam creavit illos, benedixitque illis, et ait: Crescite et multiplicamini.* (Gen. I. 27.) Matrimonium itaque est realiter institutionis divinae, habetque characterem religiosum. Pharisaei quaesierunt condam a Iesu Christo, an liceat homini dimittere uxorem, et aliam ducere. Salvator revocavit illos ad Genesin, quam mox citavimus, dein subiunxit: „Quod Deus coniunxit, homo non separet." Non est ergo potestas civilis, sed Deus ipse, qui sponsos legitimos unit. Hoc Sacramentum magnum est, dicit Apostolus S. Paulus loquendo de matrimonio, in Christo Iesu et Ecclesia (Eph. V. 31.) Matrimonium proinde non est solum conventio civilis, sed contractus spiritualis et religiosus; motivum, ob quod Deus illud specialiter directioni Ecclesiae suae concrediderit.

Non negatur Gubernio ius regulandi effectus civiles matrimonii, et quod concernit temporalia sponsorum emolumenta; ast illud non vult amplius contineri intra hos limites, ut fecit adusque, cupit regulare contractum matrimonii in seipso, vult attrectare conscientiam; at vix pertinget eousque; quod concernit matrimonium, in foro conscientiae est extra suam sphaeram. S. Thomas expresse enunciavit: *Prohibitio legis humanae non sufficeret ad impedimentum matrimonii, nisi interveniret auctoritas Ecclesiae.* Quare Theologi Galli generatim hodie admittunt, quod impedimenta codicis effectus solummodo civiles producant, et quod iuvenis, qui canonice

sponsalia inivit anno aetatis 16. et absque consensu parentum, iniret matrimonium coram Deo validum. — „Est dogma fidei, scribebat Pius VI. in suis dd. 16. Sept. 1788 ad Episcopum Motulensem datis literis, quod Matrimonium, quod ante Iesum Christum erat solum contractus indissolubilis, fuerit postea, ex institutione Domini Nostri unum e septem Legis evangelicae Sacramentis, ut definivit S. Concilium Tridentinum sub poena excommunicationis. Inde sequitur, quod Ecclesia, cui concreditum est quidquid respicit Sacramenta, habeat omne ius, omnem potestatem assignandi suam formam huic contractui, ad sublimem Sacramenti dignitatem elevato, consequenter iudicandi etiam de validitate aut invaliditate Matrimonii.“ *) Nos sumimus hic res in statu, quo erant ante Concilium Tridentinum 300 abhinc annis et dicimus: Anno 1563 Ecclesia Iesu Christi, in Concilio Tridentino coadunata, anathema pronunciavit contra illos, qui dicunt causas matrimoniales non esse de competentia iudicis ecclesiastici; item contra illos, qui dicunt, Ecclesiam non potuisse statuere impedimenta, aut deceptam fuissè, eadem statuendo; porro contra illos, qui publice in concubinatu vivunt. Stabilivit, ut omne Matrimonium, quod non fuerit a sponsis contractum coram parocho et duobus testibus, sit absolute nullum; adiunxit insuper, qui se conditionibus his non submiserint, inhabiles esse ad contrahendum. Clara haec et praecisa S. Concilii Tridentini decreta semper erunt pro nobis invariabiles cynosurae fidei et observantiae. Reputabimus omnes, doctrinam contrariam profitentes communioni Ecclesiae sponte renunciasse, prout etiam, qui se subiecerint praxi, cum sua fide, et suis traditionibus incompatibili. Quapropter Episcopi Provinciae ecclesiasticae Camberiensis declarant:

---

*) Dictum est in Camera, quod matrimonium civile in Gallia sit per Ecclesiam adprobatum, et quod Pontifex condemnet Taurini id, quod Parisiis adprobavit. Istud est insigne mendacium. Nunquam S. Sedes adprobavit in Gallia matrimonium pure civile. Matrimonium quod contrahitur cum despectu legum canonicarum, dicit S. R. E. Card. *Gousset*, laborat radicali nullitate. Si est Matrimonium in oculis legislatoris, est verus concubinatus coram Deo. (Code civil comenté, art. 144.)

1. Quivis Catholicus eorum iurisdictioni subiectus, qui ausus fuerit contrahere Matrimonium alia, quam sit per Ecclesiam praescripta, forma, incurret eoipso excommunicationem maiorem.

2. Ille, qui hanc culpam admiserit, privabitur participatione Sacramentorum, durante vita, et in articulo mortis, nisi Matrimonium canonice convalidaverit, aut a persona, quam Ecclesia solum ut concubinam respicit, separatus fuerit.

3. Qui mortuus fuerit sine praevia reconciliatione cum Ecclesia, privabitur sepultura ecclesiastica.

4. Proles e concubinatu hoc progenitae declarantur illegitimae pro omnibus effectibus canonicis. Dispositiones hae publicabuntur in singulis parochiis provinciae istius, ubi casus occurrerit. — 1852. — (*Subscripti*: *1 AEppus et 4 Eppi.*) — (*Ex Actis publicis.*)

Mon. 227.

Episcoporum Provinciae ecclesiasticae Taurinensis Pastoralis Instructio de Sacramento Matrimonii. 1852.

Divinus Redemtor, apud Isaiam ‚Princeps pacis' vocatus, in cuius nativitate Angeli de coelo pacem annunciarunt in terra hominibus bonae voluntatis, qui omnibus praecepit molestias in pace sustinendas, iniurias condonandas, inimicos diligendos, dum Apostolos circa Evangelii praedicationem, pro qua eos destinabat, instruxisset, postquam odia, persecutiones, proditiones, carceres, exilia, mortem, propter eam hominum malitia et ingratitudine sustinenda, praedixisset, postquam eos praemunivisset, ne timeant eos, qui possunt occidere corpus, contra animam autem nihil prorsus valerent, sed potius ut timeant Deum, qui potest et animam et corpus mittere in perditionem in aeterna gehenna, subiunxit: Quicunque igitur me confessus fuerit coram hominibus, confitebor et ego eum coram Patre meo, qui in coelis est; et quicunque me negaverit coram hominibus, et ego negabo eum coram Patre meo, qui in coelis est, nolite enim putare, quia pacem veni mittere in terram, non veni mittere pacem sed

bellum. Hac instructione voluit significare divinus Salvator signanter Apostolis, eorumque in Apostolatu successoribus gravissimam obligationem, qua obstringuntur annunciare, tueri ac defendere non solum verbis sed et factis coelestem suam doctrinam, conservare depositum fidei illorum commissum, nec admittere unquam sive metu cuiuscunque mali, sive amore cuiuscunque temporalis emolumenti divinorum praeceptorum suorum violationem; voluit etiam praevenire illos in eo, quod scilicet culpa incredulitatis, et pravis hominum passionibus, praedicatio Evangelii sui, defensio immutabilis doctrinae suae persecutiones et bella, discordias et schismata, sit productura. Magnis hisce veritatibus, a quibus consecutionem aeternae salutis nostrarum, et quae ab aeterno Pastore nobis commissae sunt, vestrarum etiam animarum, de quibus severissimam condam coram Tribunali divino reddendam habemus rationem, dependere sentimus, inducti, dirigimus ad vos, Venerabiles Fr. Filiique in Christo Iesu carissimi praesentes Literas nostras, ad vos contra errores, qui integritatem fidei vestrae succutere possunt, praemuniendos, ac a malis, quae animabus vestris perniciosa esse possunt, praeservandos.

Non ignoratis gravissimum meritum, quod hodie agitatur circa *civile Matrimonium.* Episcopi vestri ob periculum damnorum gravissimorum e definitiva huc pertinentis legis proiecti adoptatione consequi queuntium trepidi, festinarunt iam prius collectivam remonstrationem contra idem legis proiectum exhibere. Nos quidem summa fiducia erigit, Dilectissimi, quod sapientia Senatus, ad quem haud in vanum recurrimus, religiositas Regis Augusti nostri Principis, non secus et totius Parlamenti repulsura sit a vobis pericula illa, ob quae tantopere commovemur. Ast sicut ubique inter continua et varia opinionum bella, sic in re fidem vestram adeo cominus tangente, oportet vos attendere ad verba Episcoporum vestrorum, a quibus obtinere potestis securam in iis, quae fidem et mores respiciunt, doctrinam. Obligationis itaque nostrae reputamus vobis hac in parte respondere, prout, Deo sint gratiae, fecimus, et cum gratia Eius semper facere intendimus in quocunque obiecto sacri ministerii nostri. Volumus igitur exponere, quae sit de Matrimonio christiano

doctrina Ecclesiae catholicae, praepedire cupientes, ne vel inscii pro futuro adhaereatis sententiis haereticis et facile periculosis; nec praetermittemus designare normas per eos e vobis observandas, qui conciliabunt matrimonialem statum eotum, ubi dictum legis proiectum contra spem nostram definitive adoptatum, legalem obtinuerit sanctionem. Quid siquis praesens nostrum obligativum officium sinistre interpretando, intentionesque nostras calumniando occasionem sibi sumeret nos iniuria afficiendi, et ad nos in transversum agendos argumentandi? Eidem sancta cum intentione reponemus, quod nos, qua ministri pacis, praecones obedientiae, et ad patientiam exhortatores, seposito omni humano respectu, rationem salutis animarum vestrarum et nostrarum prae oculis habentes, obedire teneamur praeceptis Christi Domini, nobis intimantis, oportere non tantum renunciare iis, quae nobis hic carissima sunt pro conservanda fide, sed etiam ferre generosum sacrificium vitae praesentis, pro eadem in aeternitate gloriosius recuperanda.

Matrimonium est immediate divinae institutionis, non solum ideo, quod Deus naturae auctor unionem coniugalem qua naturale medium propagandi generis humani illud instituerit, sed speciatim ideo, quod Deus ipse dignatus sit primum matrimonium conciliare. Utprimum enim Deus formaverat mulierem, eamque Adamo praesentaverat, quasi ad explorandam eorum voluntatem et expetendum ad eos vinculo coniugali uniendos consensum, Adamus divino instinctu exclamavit: *Hoc est os de osse meo, et caro de carne mea, propter hoc relinquet homo patrem et matrem et adhaerebit uxori suae.* Quae verba divinus Magister in suo Evangelio repetendo et quasi interpretando, non iam qua verba simpliciter Adami sed qua ipsius Dei verba pronunciando, subiungit: *Itaque iam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet.* Quo aperte declarat matrimonii nodum manu divina constrictum esse: *Quod Deus coniunxit;* quod sit res sibi reservata, res sacra, indissolubilis, inviolabilis, quam non attrectet profana hominis manus. *Homo non separet. Ecce,* Ven. Fr. Filiique in Christo Iesu dilectissimi, *divinam matrimonii institutionem, ecce naturam illius in vin-*

culo sacro consistentem, a miraculo naturali-divino derivatam, a contractu sui generis, ut vocant Theologi, *qui nihil habet cum aliis contractibus humanis commune et idcirco pertinens ad religionem, essentialiter subiectus auctoritati religiosae!* Haec est una de primitivis illis, universalibus veritatibus, quae e divina dispositione ininterruptim sunt transderivatae de generatione in generationem, et conservatae inter homines. Omni tempore et loco, apud omnes nationes matrimonium semper fuit recognitum qua actus religiosus, a religione necessario dependens. Nobis pro omnibus sufficit auctoritas duorum philosophorum, inimicis Ecclesiae, civilis Matrimonii patronis minime suspectorum, *Montesquieu* et protestantis *De-Luc.* „In omnibus regionibus, ait prior, et omni tempore in matrimonio religio intervenit. Quidquid respicit characterem matrimonii, formam, modum illud contrahendi, foecunditatem quam producit, est pertinens ad religionem.“ „Commoveor, dicit alter, quotiescunque intendo discutere punctum de matrimonio *philosophice.* Quantos modos est videre, quanta systemata, quantas passiones in motu! . . Sed dicetur mihi: legislatio civilis providebit. Quomodo? qua ratione? An non est legislatio haec in manu hominum, hoc est eorum, quorum ideae, obtutus, principia mutantur et crescunt? Quanta fortuna igitur, quod in hoc puncto habeamus magnam legem supra potestatem hominum locatam!“ *Divinam volebat dicere legem, quae matrimonii vinculum independens constituit a semper mutabili legislatione civili, et omni profana inspectione.* Sed redeamus ad *divina eloquia,* e quibus haurire possumus notitias certissimas, infallibiles in hac summi momenti materia, quam pertractamus. Ex his intelligimus, *quod Deus matrimonii institutor illud custodiae et legislationi Ecclesiae tradiderit, quod Ecclesia semper fideliter custodierit depositum sibi concreditum, transmittendo illud a sacerdotio domestico vel patriarchali ad sacerdotium leviticum, a Levitico ad Evangelicum.* Et hic notate, carissimi, Ecclesiam Dei, seu societatem religiosam semper exstitisse in eis, qui omni tempore ab Adamo usque ad nos crediderunt et speraverunt in promisso Redemtore, venturo adhuc aut iam praesente, et hanc Ecclesiam seu societatem religiosam habuisse semper suum sacer-

dotium. Sub lege naturae, sive aetate Patriarcharum sacerdotium hoc exercuerunt capita familiarum. Unde legitur, quod Abrahamus Isaaco, Isaacus Iacobo prohibuerint matrimonio iungi cum mulieribus Cananeis, facile intelligitur, id eos fecisse non saltem qua superiores suae familiae, verum qua sacerdotes, ad quos praecipue pertinebat removere omne periculum, ne fides eorum contaminetur per feminas corruptae fidei. Sub lege scripta Moyses, qui priusquam iussu divino Aaronem consecrasset, iuxta observationem S. Gregorii Nazianzeni, S. Hieronymi, S. Augustini sacerdos erat sacerdotum, stabilivit impedimenta matrimonii. Sub regibus Iuda et in ipsa captivitate Babylonica sacerdotium continuavit exercitium auctoritatis super matrimonio; dum enim tempore eiusdem captivitatis nonnulli contra prohibitionem divinam uxores duxissent, mulieres idololatras, *surrexit Esdras sacerdos et dixit ad eos: vos transgressi estis . . . separamini ab uxoribus alienigenis;* declarando irrita et nulla matrimonia illa, obligando transgressores ad dimittendas illegitimas has uxores. Postquam plenitudo temporis advenisset, matrimonium elevari debuit ad dignitatem Sacramenti, ut sanctificaret contrahentes; non suffecit, ut illud symbolum esset unionis Christi cum Ecclesia, debuit insuper significare et conferre gratiam, quam divinam virtutem ei Iesus Christus communicavit, per hoc illud rem magis sacram ac prius fuerit, efficiendo; absurdum foret dicere, quod illud iurisdictioni religiosae subtraxerit et potestati terrenae concrediderit, utpote qui venit non ut solveret legem sed adimpleret, et perficeret. Ille igitur, postquam revocasset Matrimonium ad primitivam institutionem suam divinam, declarata unitate et indissolubilitate vinculi; postquam illud divina sua praesentia et grandi prodigio in nuptiis Canae sanctificasset, voluit in depositum concredere cum omnibus aliorum Sacramentorum actibus Ecclesiae suae, soli infallibili interpreti voluntatis suae, et unicae legitimae dispensatrici divinorum suorum mysteriorum, et per Apostolum gentium fecit proclamari, nuptias christianas esse Sacramentum magnum, iussitque maritos diligere uxores suas eo casto et sancto affectu, quo ipse amat Ecclesiam ipsam.

Et qualiter divina haec magistra (*Ecclesia*) explicuit voluntatem illius, qui eam inspirabat, et depositariam constituit omnium thesaurorum coelestis suae doctrinae? *Haec agnoscendo in matrimonio opus Dei, et rem sibi propriam, nunquam toleravit vel minimam alienationem divinarum rationum, et, cum invasioni resistere haud potuisset, reclamavit, et protestata est, tolerando in silentio violentiam, quin eam adprobasset;* permittebat in statu passivitatis locata, impedimenta dirimentia per humanas leges constituta aut suppressa, semper ea ut non existentia, et nullius valoris considerando. *Matrimonia cum impedimentis canonicis contracta ut nulla tractavit, utut immunia fuerint a civilibus impedimentis; ex adverso pro validis habuit matrimonia absque impedimento canonico, et praescripta per Ecclesiam forma contracta, utut impedimentis civilibus subiecta;* aliter nec poterat, nec potuisset agere. Cum igitur sit articulus fidei, matrimonium esse unum e septem novae Legis Sacramentis a Christo Iesu institutum ad significandam eius cum Ecclesia sua unionem, ad sanctificandam sua gratia legitimam sponsorum coniunctionem, ad arctissime uniendos eorum animos, subministrandumque iis necessarium adiutorium, denique ad recte et sancte educandam sobolem, hinc necessario consequitur, quod matrimonii, quantum ad essentiam et vinculum, effectus sint inseparabiles, *de iure divino spectet ad iurisdictionem hierarchicam, cui illa nec renunciare potest salva fide, nec mutari aut tolli in eo quid potest per quemquam, quin se reum faciat sacrilegae usurpationis, quin cesset esse catholicus.* Hinc *Ecclesia omni tempore, omni aetate, ab Apostolis usque ad nostros dies matrimonium rexit secundum leges a se sancitas, conditiones et impedimenta determinavit, eiusque causas iudicavit. Nec unquam fecit id de expressa aut tacita Principum indulgentia,* ut ausi sunt inimici potestatis ecclesiasticae asserere, quin unquam potuissent, aut possint pro eo adducere probam, *sed auctoritate sua propria, eidem a divino Fundatore collata.* Et reipsa qualiter unquam Ecclesia in Concilio Tridentino congregata potuisset vibrare anathema non solum contra eos, qui impugnarent divinam matrimonii ad dignitatem Sacramenti elevationem, sed etiam qui ei ius denegarent statuendi impedimenta ma-

trimonii dirimentia, si ius istud non haberet fundamentum in revelatione divina, si e tacita vel expressa Principum concessione in eam derivatum fuisset. *) Quomodo Principum horum legati in Augusto hoc Consessu praesentes insignibus Theologis et Iurisconsultis respectivarum nationum stipati, et acerrimi iurium suorum Principum defensores, sine oppositione tolerare potuissent, ut dogmaticae illae definitiones proponantur et sanciantur, si credidissent aut saltem suspicati fuissent, laesa esse suorum Principum iura, et non potius perspexissent manifestas esse fidei rationes, et evidentia

*) ‚Hinc tanto magis efficitur ab Ecclesia proprio iure constituta esse impedimenta, planeque locum eripi cavillationi, qua quidam Tridentinae Synodi definitionem eludere contendunt, cum dicunt Concilium non definivisse, utrum haec auctoritas ex Christi institutione, an ex Principum indulgentia tacita vel expressa in Ecclesia manarit. Quoniam cum ea Apostoli sancirent, quae ad fidelium coniugia pertinerent, eorumque proximi successores certe illam non ex hac indulgentia tenuisse dicendi sunt, sed usi eadem cum fuerint, nonnisi a Christo una cum clavibus ipsam se recepisse iudicarunt. Quodsi a Domino non recepissent, profecta in ea sibi tribuenda errassent, ac in legitima Principatus iura invasissent. Id quam sit absurdum, quisque intelliget. Notum est etiam quod can. 5. sess. 24 definitum est, posse Ecclesiam constituere, ut plures gradus impediant ac dirimant. Cum ergo nullo unquam tempore dogma fidei falsum fuisse potuerit, aut esse possit, necesse est, ut ab Ecclesiae origine et omni anteacto tempore verum fuerit, et omni consequenti aetate verum futurum sit, Ecclesiam ea, quae a Concilio asseritur, potestate pollere. Ac si tacita saltem Principum requireretur ad eam habendam potestatem concessio, sequeretur illud primis Ecclesiae temporibus, sub Principibus nimirum ethnicis, verum esse non potuisse, neque hoc tempore verum esse posse illis in locis, in quibus Christi fideles degunt sub infidelium dominatione; et si ob aliquam, ut vocant, rationem Status, Principes revocata ea quae obtenditur, indulgentia et concessione, abrogare sancita ab Ecclesia impedimenta valerent, fieri posset, ut verum esse desineret, quod a Tridentino definitum est, idque portenti existeret, ut aliquando dicendum foret Ecclesiam non posse, quod Ecclesiam posse Spiritus Sanctus Oecumenicae Synodi oraculo declaravit. Igitur ea .... recentium pseudopoliticorum, et Canonistarum sententia non solum est Ecclesiae iniuriosa, sed et eius constanti sensui traditionique prorsus adversa.‘ *Pius VI.* ad Archiep. Elect. Trevir. 2. Feb. 1782.

praescriptioni haud obnoxia Ecclesiae iura? Dicemus plus adhuc; quando Iesus Christus, sapientia Dei, pientissimus hominum Redemtor, divinus humanitatis benefactor relinquere potuisset Sacramentum summae considerationis legislationi civili, et permittere consequenter, ut secundum varietatem temporum, locorum, opinionum, cum immenso animarum periculo, magno familiarum et societatis disordine sit alterationi obnoxium; ille, qui venerat ad fundandum in terris coeleste suum regnum, hominesque uniat in uno ovili sub uno solum pastore? Itaque ipse ordo providentiae, securitas, et emolumentum duplicis societatis, religiosae quippe et civilis exigebat, ut matrimonium remaneat, quale fuit semper a primitiva sua institutione, ad religionem videlicet pertinens, illius potestati hierarchicae subiectum, cui divinus fundator et sponsus eam ipsam potestatem contulit, quae eidem data fuit a Patre in coelo et in terra, et quae e divina institutione congregare debet in suo sinu gentes, nec alios habere potest limites, quam terrae, nec alios fines, quam temporis.

Quod si verum est, prout revera est, et nemo catholicorum eatenus dubitare potest, unde est, quaerimus, quod tantae existant de matrimonio christiano doctrinae, sacris et inviolabilibus Ecclesiae iuribus contrariae? A spiritu haereseos in his, a passionibus humanis in aliis, et in omnibus a defectu profundioris studii verbi divini in S. Scriptura et traditione contenti, generatim vero ab exigua docilitate et reverentia erga Ecclesiam. Postquam *Lutherus* et *Calvinus* vexillum revolutionis contra fidem antiquam seculo 16 erexissent, obiectum unum, adversus quod furorem suum exeruerunt, fuit Sacramentum matrimonii. Perspexerunt vafri hi, quod admisso hoc Sacramento, necessario inspectionem eius Ecclesiae intactam relinquere debeant; hinc contra divinam et Apostolicam doctrinam, contra concordem Patrum tam graecorum quam latinorum sensum, contra definitiones Conciliorum, contra universalem, constantem et perpetuam Ecclesiae fidem negarunt matrimonio characterem Sacramenti, et quantum in iis erat, assimilarunt illud contractui venditionis aut locationis, acsi nec ageretur de re nobilissima et sancta, quae non sit tentum, domus, vile iumentum, illudque subiecere pote-

stati temporali, trahendo ope huius medii, passionum incentivi, numerosissimas turbas, sub periculosa sua vexilla. Haeresis haec, iam in Valdensibus damnata, anathematisata et proscripta est per Ecclesiam. Sed eo non obstante non cessavit dilatari, et profundas figere radices apud populos effeminatos et corruptos, et pestilens eius influxus observatus est etiam in regionibus, quae catholicae manserunt. Hinc sumserunt originem perversae illae, et prioribus seculis inauditae doctrinae apostatae illius *de Dominis*, *Launoyi*, *Richerii*, *Jansenistarum* et *Tamburinianorum*, pseudolegistarum et politicorum, qui cum Luthero matrimonium ad conditionem contractus mere humani et civilis reducere adnisi, praesumserunt a potestate Ecclesiae vinculum et cognitionem causarum subtrahere, canonibus Tridentinis substituentes sensum, quem habere non potuerunt, et soli principatui civili potestatem dictandi leges super contractu matrimoniali tribuentes. Sed en! in quas absurditates et errores devenitur, si Ecclesia declinetur, si quid sine infallibili eius magisterio fiat! Nihil sane magis erronei et perversi, quam si matrimonium qua contractus mere humanus et civilis statuatur, cum tamen sit iuris divini, ante omnem civilem societatem institutus et confirmatus, et a Christo Iesu ad Sacramenti dignitatem elevatus; sic Concilium Tridentinum contra haereticam Lutheri, eiusque sectatorum pravitatem definivit. Hinc consequitur, quod ad solam Ecclesiam, cui per Christum tota cura et administratio Sacramentorum commissa est, spectat omne ius et potestas regulandi celebrationem huius sacramentalis contractus, et per consequens determinandi conditiones, quae requiruntur, et quae personae sint legitime habiles ad illud celebrandum, et statuendi impedimenta dirimentia, quae illud reddunt illegitimum, ac ferendi iudicium super validitate, aut invaliditate illius. Quod adeo clarum et evidens est, ut ipsum praecitatum S. Concilium ad frangendam illorum temeritatem, qui verbis aut scriptis ausi sunt contrarium asserere, anathema pronunciaverit contra omnem, qui affirmaret causas matrimoniales ad iudicia ecclesiastica non pertinere, quae S. Concilii oecumenici definitio complectitur omnes et singulas matrimoniales causas, ut declarat SS. Pius VI. (Epist. ad Ep. Motulensem a.

1788.) hoc sapientissimo dicto: *Verba canonis* (XII) *ita generalia sunt, omnes ut causas comprehendant et complectantur; spiritus vero sive ratio legis adeo late patet, ut nullum exceptioni aut limitationi locum relinquant; si enim hae causae non alia ratione pertinent ad unum Ecclesiae iudicium, nisi quia contractus matrimonialis est vere et proprie unum ex septem Legis evangelicae Sacramentis, sicut haec Sacramenti ratio communis est omnibus causis matrimonialibus, ita omnes hae causae spectare unice debent ad iudices ecclesiasticos, cum eadem sit ratio in omnibus, ut concors est Canonistarum sententia, ne iis quidem exceptis, quos minime favere Ecclesiae iuribus satis superque eorum scripta demonstrant.*

Sed Ecclesia a remotissima antiquitate semper docuit: ius hoc stabiliendi dirimentia Matrimonii impedimenta, et cognoscendi causas ad se pertinere; Ecclesia illud exercuit semper ac defendit, declarando nulla et irrita matrimonia cum impedimentis a se statutis celebrata, etsi antiquo iure caesareo aut per leges aliorum Principum christianorum pro validis agnita; exclusive ad se pertinere cognitionem causarum respicientium matrimonia ipsorum etiam Principum *) asserendo; qui tantum abest ut ius hoc Ecclesiae controvertissent, ut potius illud venerati sint, roborando propriis etiam edictis eius sanctiones; et conformando iis suas leges, recurrendoque semper quoties opus fuerat, etiam pro se ipsis pro dispensatione in occurrente impedimento ad supremam Ecclesiae auctoritatem. Sic factum legimus per Regem Galliae sub epocha Concilii Tridentini, qui Augusto huic Consessui solemnem proposuit petitionem eo fine, ut matrimonia filiorumfamilias contra voluntatem, aut sine consensu parentum pro nullis et irritis declarentur; cui petitioni Concilium non esse deferendum censuit, declarando contrarium sub poena anathematis. Si potentissimus hic Monarcha, hac in re ab aliis etiam Principibus succolatus, qui idipsum desiderabant, credidisset, potestatem impedimenta statuendi ad

*) Gregorius V. anno 998 matrimonium Roberti Regis Galliae cum Bertha pronunciavit nullum ob impedimentum cognationis spiritualis. *Pagi* sec. X. art. Greg. V. n. 14. Honorius III ad se derivavit causam natalium Adelhaidis Reginae Cypri.

Ecclesiam haud pertinere e voluntate Christi, anne intermisisset sua propria uti auctoritate in his circumstantiis post acceptam repulsam? Sed supposito eo, si id fecisset, et cum eo alii Principes ius istud habuissent, quid hinc evenisset? Id, quod duae potestates ex aequo supremae, et ab invicem independentes super uno eodemque individuo disposuissent, quodve individuum hoc ad duas pertinuisset potestates, aequali dispositionis iure gaudentes, quarum una destruxisset factum alterius. Unde funesti et perpetui conflictus inter Statum et Ecclesiam, quae, dum de matrimonio agitur, transigere nequit; hinc uniones in facie Status validae et legitimae, invalidae et fornicariae in facie Ecclesiae; hinc agitationes, et conscientiarum conturbationes; multarum animarum ruinae et moralitatis collapsus, seriesque innumerabilium aliorum gravissimorum malorum, et disordo pro Ecclesia, pro Statu et familiis. Estne autem hoc possibile in Ecclesia divinitus fundata, ad quam ita omnes gentes vocatae sunt, sicut omnes imperantes; — in Ecclesia, cuius potestas ipsius Dei potestas est, cuius definitiones stigma divinae infallibilitatis praeseferunt; in societate e superna ordinatione constituta, et tantopere respiciente spirituale et aeternum animarum bonum? Estne possibile, ut Iesus Christus voluisset constituere moderatores matrimonii, quod in se et essentia sua Sacramentum est, Principes terrae, qui, si christiani sint, pariter ac alii quicunque subiecti sunt definitionibus et legibus Ecclesiae, si infideles aut acatholici, qui extra sinum illius constituuntur, eotum repugnaret, ut ius habeant indicandi, et disponendi de mysteriis divinis, quarum ipsa sola constituta est dispensatrix. Quid absurdius, quam ut a voluntate e. g. Neronis, Caligulae, Domitiani, ab arbitrio magni Sultani dependere debuisset aut deberet valor magni Sacramenti a Iesu Christo ad repraesentandam illius cum Ecclesia sua unionem instituti? In has absurdas consequentias necesse est impingere eos, qui ab alia, quam ecclesiastica potestate dependere volunt vinculum matrimonii christiani, et causas illud respicientes. Facta hoc respectu allegari solita, uti *legislatio Austriaca,* *) aut *Gallica* nil concludunt, nil probant, cum

*) Const. Iosephi II. de 1783.

facta ius annihilare nequeant. Et alioquin amari fructus iam noscuntur, quos Imperator Iosephus II e suis innovationibus religiosis collegit, et qualiter ipse in praematura aetate in lecto mortuali eos amare deploravit, et quantum in se fuit, retractavit. Gallica autem legislatio de profanatione et secularisatione matrimonii in quali nata sit epocha, toti Europae, toti mundo notum est; in epocha tremendae revolutionis, quam magna illa et generosa natio subivit, uno anno citius, quam sangvis Regius sangvini civium in rivis platearum confluxisset, quam Christus (horribile dictu!) e suo templo, moralitas e cordibus, veritas a mentibus, Deus ex Universo exulavissent, et ab ipsis legislatoribus honores divini decreti, et in templo maiori Parisiensi sacrilega incensa infami prostitutae personae pro symbolo Deae rationis assumptae cremata fuissent! En laudabiles origines legislationum, quae in regionibus catholicis contra omne divinum et humanum ius profanarunt matrimonium christianum! En sequelae, quas produxere! Praebuerunt subditis suis periculosam occasionem faciendi absque vinculo sacramentali, quod pro Catholicis est unice solum et verum matrimonium in facie Ecclesiae; insultaverunt Religioni, Regni proclamando libertatem, quam ipsa condemnabat, et auctorisando praevaricationem, quam adprobare non potuit; proiecerunt pomum discordiarum inter duas potestates; quandoquidem statuit utraque aut annullavit impedimenta dirimentia; quaelibet destruere poterat opus alterius, quaelibet praescribere separationem eius, quod alia copulavit, aut reunire quod alia separavit; tulerunt de religione quod suum est, transferendo id in homines, omnibus abuti solitos; intulerunt in societatem matrimonia, quae absque dignitate Sacramenti solvuntur, absque ligamine, quae passio conciliat, passio dissolvit, cum in coniunctionibus his ex amore profano factis amor in aversionem aut plane odium degeneret, unde infinitae discordiae, queis, si consequens esse velit, occurrit remedio omnibus malis peiore, divortio; in commerciis brutalibus aliorsum, quam sit procreatio et christiana educatio prolis, quae est elementum necessarium et vitale futurae societatis, directis, supposuerunt nodum sacrum

calculo materialis emolumenti, omnem rem sacram profanantis, prodentes vera religiosa et socialia emolumenta.

Frustra praetenditur per patronos sic dicti *civilis matrimonii*, quasi ad lenienda haec gravissima mala, quod dictae legislationes non impediant catholicos in contrahendo coram Ecclesia et iuxta sacros canones suo matrimonio, et quod matrimonium sic contractum, si fiat invalidum coram ipsis civilibus saltem effectibus destituatur. Sed et si hoc verum foret, essetne is disordo exiguus? An non praebuerint legislationes illae ansam innumeris, gravissimis malis? Filii legitimi in facie Dei et Ecclesiae, sed non coram lege Status; alii filii ex opposito legitimi secundum eandem legem, sed illegitimi coram Deo et Ecclesia; illi ius naturale ad haereditatem habentes sed per legem excussi, contentari debent portione per patrem assignata usque ad certam quantitatem per legem civilem pro illegitimis designatam; posteriores hi vero iure carentes, sed medio legali provisi capiunt haereditatem prioribus illis debitam; hi et illi in gravi tentatione, cui non semper resistunt, positi fiunt iniusti et surdi ad vocem naturae, fovent in corde iras insanabiles, conculcant conscientiam, animaeque salutem. Coniuges in facie Ecclesiae vinculo sacramentali indissolubili ligati, a libertate ad alias nuptias convolandi sibi per legem oblata allecti, illud aspernabuntur. Parochi ad assistendum matrimonio personarum non liberarum et inhabilium vocati, et conscientiae dictamine ad negativam impulsi, per easdem in facie legis liberas et habiles personas aspero bello, et forte invocatione tribunalium impetentur. Generatim, confusio iurium, laxatio conscientiarum, tentatio praevaricationum, perturbatio familiarum, contemtus auctoritatis, dissidia magistratuum, diffidentia populorum, scandalum debilium, concubinatus, et proles illegitimae legalisatae; horrenda immoralitas, ruina societatis; iam enim impune insultatur legi Dei et Ecclesiae, et peccata nationum in primis per legem protecta finem habent ruinam et exterminium. „Si ratio Status, dicebat doctus quidam publicista in Sessione legislativa, consistere debet in inquietatione, in convulsione et mutatione rerum, in imperio

super omnibus, eotum ratio Status est res admodum funesta.“ „Funestissima tentatio, sic concludebat in similibus adiunctis sermonem suum de matrimonio civili alter nonminus doctus, quam euergicus publicista, tentatio funestissima legislatoribus, guberniis, populis est omnipotentia. Eritis sicut Dii, dicebat in paradiso serpens astutus, et genus humanum abiit iu perditionem.“

Ex iis, quae proposuimus, iam intelligitis, V. F. et F. D. quae sit circa matrimonium doctrina fidei, quae institutio Ecclesiae catholicae. Existimamus nihilominus, cum de re maximi momenti agatur, pro vestra salute aeterna, opportunum, breve compendium eius pro uberiori notitia et instructione vestra hic proponere. Audite!. E divina revelatione clarissime constat, matrimonium esse immediatae divinae institutionis, anterioris, quam sit omnis humana societas. Est dogma fidei, quod Iesus Christus in lege gratiae matrimonium ad dignitatem Sacramenti elevaverit, et per id declaraverit unitatem et indissolubilitatem vinculi; doctrina Ecclesiae est, quod Sacramentum non sit accidentalis qualitas adiuncta contractui, sed de essentia matrimonii ipsius, ut adeo inter christianos coniugalis unio legitima non sit nisi in Sacramento, extra quod est mere concubinatus. *) Est dogma fidei, quod Ecclesia potuerit et possit stabilire impedimenta dirimentia matrimonii, prout et cum filiis suis dispensare etiam in nonnullis in Levitico contentis; (Can. 2. 4. C. Trid. Sess. 24.) quod impedimenta haec ipsa stabiliverit, non e tacito aut expresso Principum consensu, sed propria sua originaria auctoritate, et quod nulla potestas praeter ecclesiasticam possit abolere aut restringere haec impedimenta, et spoliare Ecclesiam suo originario iure dispensandi in iisdem; quod causae matrimoniales ad iudicium Ecclesiae pertineant, et denique quod Ecclesia e multis causis permit-

*) *Pius IX.* in Alloc. 27 Sept. 1852: ‚Matrimonium esse vere et proprie unum ex septem Evangelicae Legis Sacramentum, a Christo Domino institutum, ac propterea inter fideles matrimonium dari non posse, quin uno eodemque tempore sit Sacramentum .... ac proinde a coniugali foedere Sacramentum separari nunquam posse.‘

tere possit separationem limitatam aut illimitatam coniugum etiam respectu cohabitationis. Ex his certissimis et indubitatis veritatibus necessario sequuntur aliae, quod scilicet ad solam Ecclesiae potestatem spectet statuere impedimenta dirimentia matrimonium, sicut et determinare idoneitatem materiae sacramentalis contractus, subsequam illius validitatem aut invaliditatem, et quod nullum impedimentum statutum ab alia extranea, praeter quam Ecclesiae potestate, potuerit unquam aut vero poterit dirimere matrimonium, nisi fuisset adprobatum ab Ecclesia; quod omnes et singulae matrimoniales causae a dispositione SS. Canonum dependentes exclusive ad iudicium Ecclesiae spectent; quodsi ab iis, qui impedimento ab Ecclesia statuto dirimente irretiti sunt, celebratio matrimonii attentetur, istud nequeat esse validum et legitimum, adeoque non sit matrimonium; et quod matrimonium sub quacunque non per Ecclesiam constituta forma celebratum, verius attentatum, turpis et exitialis concubinatus foret.*) Ista est, Filii dilectissimi! doctrina, cui vos in celebratione matrimoniorum vestrorum indubitanter conformare debetis, secus gravissimum Ecclesiae praeceptum conculcaretis, deveniretisque ad statum concubinatus, et per consequens continui peccati mortalis, et inevitabilis aeternae damnationis; cum verum et innegabile sit, quod docet Doctor Angelicus S. Thomas: „*Sicut Deus non coniungit illos, qui coniunguntur contra divinum praeceptum, ita nec coniungit illos, qui coniunguntur contra Ecclesiae praeceptum, quod habet eandem obligandi vim, quam habet divinum praeceptum.*“

Sed non prosequemur odiosum studium minutatim confrontandi *proiectum legis,* quod tam dolorose afficit conscientias bonorum catholicorum regni, cum legibus Ecclesiae ad designanda illa puncta, in quibus illud ab his divergit; a quo ingrato officio abstinemus eo libentius, cum ex parte

---

*) Ibidem: „Atque idcirco quamlibet aliam inter Christianos viri et mulieris praeter Sacramentum coniunctionem, cuiusque etiam civilis legis vi factam, nihil aliud esse nisi turpem atque exitialem concubinatum ab Ecclesia tantopere damnatum.“

una collatio idgenus non sit necessaria, siquidem notissimum sit, per proiectum illud multa impedimenta providentissime per Ecclesiam statuta tolli et manuteneri aut aliis alia substitui, quae Ecclesia non tantum non manutenet, sed e gravissimis rationibus nunquam admittere potuit; parte vero ex alia confortamur, et ab inamoena hac opera praescindimus sub spe, quam fovemus plenissimam in Maiestate Regis, ac Senatus, qui haud consentient, ut in regno catholico abeat in legem proiectum, quod pretiosam et vitalem partem depositi sacri per divinum Fundatorem Ecclesiae catholicae crediti attingendo, eam in intimo materni sui cordis ferire intendit. Sufficiet nobis attingere dumtaxat art. 23. proiecti, in quo tota eius oeconomia ita dicendo includitur, et principium anticatholicum, cui proiectum innititur, et in quo concentratur. Quis est vestrum F. et F. carissimi, qui ignoret, quod ius canonicum recognoscat impedimentum clandestinitatis, vi cuius matrimonium secus quam coram parocho aut alio per ipsum aut Ordinarium delegato sacerdote, et duobus aut tribus testibus contractum, est irritum et nullum? Proiectum autem legis, dum art. 22. admittit formam canonicam celebrandi matrimonii, articulo immediate sequente, dispositionem hanc de facto reddit illusoriam et frustraneam, constituendo, quod, quicunque quacunque de causa non possint celebrare matrimonium iuxta dispositionem articulorum 108 et 150 Codicis civilis, seu in forma per Ecclesiam praescripta, poterunt solemnem matrimonii declarationem facere coram iudice dispositionali. Ex hac legislationis ecclesiasticae confusione, ab hac ignoratione sanctissimorum praescriptioni haud obnoxiorum iurium Ecclesiae de Matrimonio christiano, sequeretur (et in his calamitosis tantae irreligiositatis ac immoralitatis, parte in magna per impia licentiosi typi scripta productae, temporibus haud raro sequeretur), ut sponsi, e gravissimis conscientiae rationibus per parochum proprium reiecti, utpote inhabiles ad contrahendum inter se ob aliquod impedimentum dirimens, aut iam ligati praecedente matrimonio in facie Dei et Ecclesiae valido, se praesentarent coram Iudice dispositionali, declarando se maritum et uxorem fieri velle, et qua tales legaliter recognoscerentur, viverentque in infami,

quandoque incestuoso aut adulterino concubinatu, sicque perseverarent, donec pessimi status sui horrore perciti, et divini iudicii timore perculsi exhinc elabi et cum Deo ac Ecclesia reconciliari voluerint, taliterque iniquitatis ipsorum fructus indelebiliter inflictam infamem maculam illegitimitatis portarent, et non obstante eo suo tempore adirent possessorium haereditatis, quam eis codex aeternae iustitiae interdicit, utpote ad alios devolutam. Omnia haec mala, et disordo gravissimus, quem paucis indicamus, sequerentur. Et haec omnia locum haberent in medio nationis fere ex integro catholicae, cuius cives ius praescriptioni haud obnoxium, et a quacunque potestate sociali independens habent vivendi et moriendi conformiter praeceptis sanctissimae suae Religionis, et sub lege fundamentali, quae in fronte et primo articulo praesefert, quod Religio Catholica-Apostolica-Romana sit sola Religio Status, seu religio catholica, qualis est a Deo revelata, per Apostolos praedicata, quae ultra 18 secula durat cum universis suis dogmatibus, universis suis legibus, omni sua disciplina, suo ordine hierarchico, cum tota sua divina auctoritate; cum secus primus ille articulus careret sensu, esset mendacium, et derisio!

Istud evenire debebat, dicitur, qua necessaria evolutio e liberis institutionibus quibus gubernamur; ast quomodo, si ista evolvi non potuerint sub imperio unius Religionis divinae, et Ecclesiae divinitus fundatae pro omnibus temporibus, omnibus locis, omnibus regiminis formis; quomodo, si institutiones hae oppositae fuerint voluntati Dei, auctoris et domini sicut religiosae, ita etiam civilis societatis? Debebat evenire, asseritur, pro maiori tutela libertatis conscientiae; acsi libertas conscientiae consisteret in potentia negandi veritates revelatas, faciendi quidquid arridet, sit hoc conforme vel non conforme dictamini rectae rationis, legi Dei et Ecclesiae, et non consisteret etiam in plenissima libertate obediendi eidem legi absque impedimento aut periculo aliquo pro parte legis civilis. Debebat evenire, concluditur, ad manutenendam gubernii civilis ab omni alia potestate absolutam independentiam, seu a potestate Dei et Ecclesiae. Exhorrescimus V. F. et F. D. vel ad ipsam enunciationem tam impii

et absurdi principii; exhorrescimus ad solam cogitationem fatalium sequelarum, damnorum innumerorum et funestissimorum malorum, quae e praefato proiecto legis derivarentur, et inducerentur inevitabiliter in religionem, animas et societatem. Igitur ad satisfaciendum conscientiae nostrae et unico scopo (Deus est testis) adimplendi gravissimi Pastoralis Officii nostri, ad defendendam sanctissimam religionem, ad indigitanda vobis vestrae fidei impendentia pericula, ne nobis improbetur silentium, quod pro nobis vehementer fatale foret, non alia de causa, quam propter Deum et aeternam animarum vestrarum, quae cordi nostro tam pretiosae sunt, salutem, et a qua dependet etiam nostra; innixi itaque doctrinae fidei et infallibilibus praeceptis Sanctae, Catholicae, Apostolicae et Romanae Ecclesiae, solius et unicae Ecclesiae I. C. D. N. quam qui non audit, e sententia evangelica est iam infidelis, et qua talis condemnatus; invocato divino auxilio et intercessione SS. Mariae Immaculatae, et SS. Apostolorum magnorum fidei patrum, unanimes et concordes declaramus:

1. *Per nullius legis civilis vim et potentiam poterit circa Sacramentum matrimonii unquam innovari, mutari, annullari, quod sancitum, ordinatum, definitum est per Ecclesiam*, in specie per SS. Concilium Tridentinum sive quoad sponsalia eorumque obligationes, sive circa numerum et speciem impedimentorum tam impedientium, quam dirimentium, sive respectu causarum quoad dispensationes, et modum eas impetrandi, sive circa iudicia ecclesiastica causarum matrimonialium.

2. Quiscunque nostrorum Dioecesanorum circa Sacramentum matrimonii professus fuerit, defenderit, docuerit doctrinas iis, quae sunt per Ecclesiam Catholicam propositae, contrarias, iis in specie, quae definitae habentur in Canonibus SS. Concilii Tridentini, et Constitutione dogmatica *Auctorem fidei*, eo ipso voluntarie semet separabit a communione Ecclesiae, et incurret omnes poenas contra haereticos eorumque fautores ibidem dictatas.

3. *Quiscunque nostrorum Dioecesanorum Matrimonium alia forma, quam per Ecclesiam praescripta sit, contraxerit, ipso facto incurret excommunicationem maiorem.*

4. Ii, qui se reos fecerint delictorum puncto 2. et 3. contentorum, intelligant se ipso facto privatos iure participationis Sacramentorum tam in vita, quam in articulo mortis, nisi prius convenienter revocaverint errores suos, reparaverint damna et scandala, et nisi legitimaverint secundum praescripta Ecclesiae matrimonium suum, ac semet separaverint a persona, quam Ecclesia nisi qua concubinam respicere potest.

5. Similiter, quicunque praemissorum delictorum reus sine praevia cum Deo et Ecclesia eius reconciliatione mortuus fuerit, carebit sepultura ecclesiastica.

6. Proles e matrimonio contractuali, aut secus quam iuxta ritum S. M. Ecclesiae inito genitae, qua productum concubinatus, considerabuntur qua illegitimae cum omnibus effectibus, qui secundum normam SS. Canonum e solis matrimoniis valide contractis possunt derivari.

Dilectissimi Filii, hisce absolvimus gravissimum nostrum pastorale officium, hisce relevati sumus a tremenda responsabilitate coram Deo, relevati a pondere, quo conscientia nostra premebatur. In reliquo totum deponimus in manus Dei, cuius sapientia iungit et amplectitur omnia cum suavitate quidem, sed et cum fortitudine disponit, in cuius manu corda hominum posita sunt. Non sit unquam, ut ob amorem falsae quietis praetermittamus adimplere officium gravissimum nobis incumbens, levandi vocem ad indigitanda vobis gravia pericula, quae impendent fidei vestrae, negotio utpote unico salutem vestram aeternam importante. Non, non fiat id unquam. Etiamsi vox nostra inutiliter personuerit in auribus multorum, et oppressa fuerit clamore vilipensionis, insultus, calumniae, non poenitebit tamen nos unquam eam levasse. Veniet dies, in qua optabitur, ut audita fuisset. Veniet dies, ubi restituetur iustitia causae religionis, dignitatis humanae, et verae libertatis, quam defendimus. Veniet dies, in qua eadem scutum erit nobis defensae in conspectu Iudicis aeterni, coram quo impius recognoscet, quod si perditus est, sua culpa sit talis. Perditio tua ex te! Vertiginosa et revolutionaria tempora transeunt, praedominium erroris non durat, veritas et iustitia ad modicum oppressae et obtenebratae recuperant

imperium suum in animum populi, quem Deus creavit sanabilem. Si qui retro currentes ad errorem, qui seducit, si ad exsatiandas concupiscentias cordis, quae dementant, se a sinu matris suae Ecclesiae separaverint, ipsa profundet lacrymas doloris de eorum perditione, non tamen sentiet damnum, cum ipsi sint sicci et aridi trunci, qui cadunt de magna arbore catholicitatis, casuque suo purgabunt illam ot alleviabunt, ut crescat laetius dilatetquo amplius ramos suos, novosque ex iis producat. Sed absit, ut quis carissimorum nostrorum Dioecesanorum adeo funestam incurrat sortem, ut actum maxime solemnem vitae suae, quo se ipsum reproducere, haeredemque et filium, memoriam suam ad sepulchrum usque transderivaturum, ¦procreare intendit, celebrare velit aliter, quam sub umbra religionis et benedictione coeli. Finaliter levamus cor et manus ad thronum gratiae divinae, oramusque, ut Deus dissipare dignetur densas tenebras, queis tam multi voluntarie offusi sunt, duritiem insensibilium cordium emollire super planctu tenerae matris suae Ecclesiae de perditione tantorum filiorum, obstinatiam eorum vincere, qui in odio et oppressione Ecclesiae, in contemtu Augusti sui Capitis, totiusque ordinis hierarchici sibi blandiuntur videre fundamenta prosperitatis paganae a Deo execratae. Vos autem V. F. et F. D. nos adiuvate ferventibus precibus vestris, easque extendite ad impetrandas regnanti Summo Pontifici, Augusto nostro terrae Principi, totique Regiae Familiae, cunctisque auctoritatibus copiosissimas et selectissimas coeli benedictiones. Recordemini etiam nostri qui ardente in vos caritatis corde, Pastoralem vobis Benedictionem impertimur. 18. Novembris 1852. — (*Ex publicis Actis.*)

Mon. 228.

In Expositione S. Sedis Apost. de rebus Sardinicis, proiectum novae legis civilis matrimonialis perstringitur. 1855.

— 32. E re erit, observare, quod Comes de Sambuy (plenip. Sardinicus) occasione conferentiarum declaraverit:

Reg. Gubernium nolle, ut *reductio festorum*, et *lex civilis matrimonialis* obiectum pertractationum constituat, cum relate ad priorem distinctam supplicationem S. Sedi exhibere intendat, quoad posteriorem vero sibi proposuerit, rem eo modo componere, ne sive vinculum sacramentale, sive causae matrimoniales, quae iuxta definitionem S. Concilii Tridentini ad forum Ecclesiae pertinent, attingantur. Utrumque hoc obiectum continetur in deductione, §. 24 attacta, quam De Marchio Spinola Cardinali Pro-Secretario Status exhibuerat. In sequelam harum declarationum Plenipotentiarius Pontificis opportunum existimavit, Gubernium Sardiniae ope supra memoratae Notae dd. 28 Februarii interpellare: num in serie pertractationum residua obiecta — quae praeter duo attacta in deductione, a D. March. Spinola exhibita, continentur, — in considerationem sumenda sint, aut non? cum Gubernium nonnisi de duobus, videlicet, de reductione festorum et de civili lege matrimoniali mentem suam adaperuerit. Hac Nota Plenipotentiarii Pontificii absque responso omissa, in parlamento 9-a Iunii proposita fuit lex matrimonialis, sed longe alterius indolis, quam in nexu praefatae declarationis exspectari potuisset. (Doc. XLVI.) Hoc grave incidens obligationem imposuit Plenipotentiario Pontificio in Nota dd. 15 Iulii (Doc. XLVII.) ad D. Com. de Sambuy directa, rationem exigere discrepantiae, quae inter hoc proiectum legis, et inter declarationes Gubernii, in saepe fata deductione D. March. Spinola contentas, atque declarationes per eundem oretenus factas et in Nota Plenipotentiarii Pontificii dd. 28 Februarii recensitas, intercedit. Haec Nota dd. 15 Iulii pariter absque responso mansit, et plenipotentiarius Sardus nonnisi mediante fiduciali epistola dd. 29 Iulii (Doc. XLVIII) significavit, se eandem, scopo praestandi adaequati responsi ad suum Gubernium inviasse; exponendo etiam in hac epistola nonnullas observationes, ad quas Plenipotentiarius Pontificius perinde ope fiducialis epistolae dd. 8 Augusti (Doc. XLIX) respondit, e cuius lectione situs rerum penitius cognosci poterit.

33. Dum Plenipotentiarius Pontificius contra hoc infaustum proiectum legis remonstraret; Eppi nonnullarum provinciarum ecclesiasticarum huius regni Senatui iam exhi-

buerunt suas repraesentationes, declarantes istud proiectum pro inopportuno, profunde immorali, anti-sociali et anti-catholico. Sua Mattas, Rex, a SSmo Patre requisitus, ne legem, iuribus Ecclesiae inimicam rati habeat, Suae Sanctitati respondit, submittendo Eidem nonnulla folia, a suis ministris conscripta (Doc. L). Sua Sanctitas tunc literas, 19 Septembris 1852 signatas et postmodum per pagellas vulgatas, ad Suam Mattem dimisit, in quibus doctrina Ecclesiae de hoc argumento exponitur et falsitas principii, in cuius sensu apud Christianos contractus matrimonialis ab essentia Sacramenti separaretur, demonstratur. (Doc. XLI.) — *Ex Actis Pii IX PP.*

Mon. 229.

Constitutio Pii IX de sic dicta ‚Monarchia Sicula', quatenus rem matrimonialem respicit. 1856.

Peculiaribus adductus rationibus fel. mem. Benedictus XIII praed. noster id consilii cepit, ut pro regno *Siciliae* ultra Pharum Constitutionem, quae incipit ‚Fideli' ederet quoad *Iudicem*, uti vocant, *Monarchiae*, eiusque tribunal. Ad universalis Ecclesiae regimen nos pariter Deo sic disponente vocati, pro pastorali qua urgemur sollicitudine haud praetermisimus ad illam quoque catholici gregis partem mentis aciem animique curas intendere, ut si quid animarum salus exquireret, illud paternae providentiae studio decerneremus. Quapropter rebus omnibus matura deliberatione perpensis, nedum omnes et singulas canonicas facultates, intra illos tantum limites, qui in memorata Constitutione Ben. XIII praefiniti sunt, conservare intendimus, sed vero etiam spirituali fidelium bono, quod potissimum nobis est, consulere volentes, necnon carissimo in Christo Filio nostro Ferdinando utriusque Siciliae Regi illustri paternae nostrae benevolentiae testimonium exhibere, eiusque desideriis obsecundare cupientes, novas favore Siciliae concessiones tribuendas censemus tum quod spectat ad *dispensationes matrimoniales* pro personis

vera egestate laborantibus, tum quod pertinet ad causas super *nullitate religiosae professionis.* Quas quidem concessiones ita tribuendas arbitramur, ut regulam simul tradamus, aperteque declaremus omnino tenendam in causis, quae suscipiantur de invaliditate seu matrimonii, seu professionis in religioso aliquo ordine emissae, et modum pariter indicemus plane servandum ab iis, qui post suspensiones per Ordinarios ex informata conscientia prolatas reclamare velint. Quamquam in dispensationibus matrimonialibus super impedimentis tertii et quarti gradus pro personis vere pauperibus a fel. rec. Gregorio XVI praed. nostro per literas in forma Brevis incipientis ‚Iamdiu' dispensandi facultas extensa sit Iudici Monarchiae etiam in casibus, in quibus impedimentum tertii et quarti gradus *secundum* attingat, attamen in bonum animarum regulam decernere volentes in casibus, in quibus de impedimento agatur tertii et quarti gradus *primum* attingente, facultatem dicto Iudici facimus, ut in singulis huiusmodi casibus supplex ad S. Sedem confugiat docendo tum de vera oratorum paupertate, tum de causis canonicis pro facultate assequenda dispensationem in proposito casu concedendi, ac memoratus *Iudex in rescripto dispensationis mentionem facere expresse debebit facultatis ab Apost. Sede obtentae, indicato etiam die, quo huiusmodi facultas sibi concessa sit; si secus fecerit, dispensationem super impedimento matrimonii nullius roboris planeque irritam declaramus.* Porro id omnino intellectum volumus, dispensationes huiusmodi nonnisi personis vere pauperibus esse largiendas, *nullumque a Regali Gubernio interponendum esse impedimentum, quominus fideles, si hoc voluerint, directe ad S. Sedem supplices confugiant pro huiusmodi dispensationibus assequendis, ac quominus illae, si concessae sint, executioni mandentur,* quas quidem gratuito volumus impertiri. — — Iam vero salva competentia tribunalium ecclesiasticorum in Sicilia ad tramites memoratae Constitutionis Benedicti XIII, *in causis de nullitate matrimonii observari mandamus Constitutionem Benedicti XIV* ‚Dei miseratione.' — Datum Romae die 26 Ianuarii 1856. — *Acta Pii IX.* Romae. 1858. II. 499.

Mon. 230. 231.

S. Poenitentiaria Romana de matrimoniis in locis per Gubernium Pedemontanum occupatis. 1860.

230. *Decr. dd. 6. Oct. 1860.* — Dubium IX: Quomodo procedendum parochis quoad celebrationem matrimoniorum inter eos, qui censuras ecclesiasticas incurrerunt? *Resp.* Curandum pro viribus, ut censurati debito modo cum Ecclesia reconcilientur; at si reconciliari recusent, et parocho immineant gravia damna, nisi matrimonio assistat, poterit parochus matrimonio assistere, et Ordinarius licentiam assistendi impertire.

231. *Decr. dd. 10. Dec. 1860.* — Num. 18.: Quomodo se gerere debeant parochi in celebratione matrimoniorum illorum, qui notorie in ecclesiasticas censuras inciderint? *Resp.* Curandum etc. *ut supra;* — parochus Ordinarium consulat, qui habita rerum et circumstantiarum ratione, omnibusque perpensis, quae a probatis auctoribus et praesertim a S. Alphonso lib. 6. tract. 1. cap. 2. nr. 54 traduntur, ea declaret, quae magis expedire in Domino indicaverit, exclusa tamen semper Missae celebratione. — *(Ex Actis publicis.)*

Mon. 232.

Pius IX PP. in Allocutione Consistoriali 17 Dec. 1860 perstringit decretum Gubernii Subalpini pro Umbria.

— Nihil aliud intendunt ac moliuntur (civilis principatus S. Sedis osores) quam ut sanctissimae religionis fundamenta subvertant. Id sane per provincias a civili nostra dominatione iniuste subreptas, id per reliquas Italiae regiones perfidissimis quibusque artibus studiose curari et videmus et ingemiscimus. Huc spectat — promulgatum in Umbria decretum, quo matrimonium, nuncupatum ab Apostolo magnum sacramentum, peculiaribus civilibus disciplinis illigatur, ac

ferme subtrahitur ab Ecclesiae potestate, eo fortasse consilio, ut postea civilibus duntaxat subdatur legibus, eaque ratione, quod Deus avertat, legalis iuvehatur concubinatus cum extremo animarum detrimento. Atque hic, uti apostolici nostri muneris ratio postulat, quidquid contra Ecclesiae iura — actum hucusque est, vel peragatur in posterum, damnamus, reprobamus, ac nullius vis et roboris, ac prorsus irritum palam edicimus. — (*Ex Actis publicis.*)

Mon. 233.

Instructio Pastoralis de Sacramento Matrimonii Episcoporum Provinciae eccl. Mediolanensis. 1861.

Si illi, qui a Spiritu S. positi sunt regere Ecclesiam Dei, coadiutores Illius, qui venit tollere peccata mundi in fidelibus, quantum in se est, impedire debent quamcunque actionem peccaminosam: multo maiori adhuc obligatione stringuntur eos praemunire contra adoptationem fallacium et perniciosorum principiorum, per quae seduci et illici possent ad peccatum. Crescit isthaec obligatio, dum e dilatatione talium principiorum metuendum est, quod publicae etiam ordinationes emanaturae sint, quae contrariae legibus Dei et Ecclesiae, non solum in se peccaminosae forent, sed fomentum praeberent innumeris peccatis, tenderentque ad cohonestandam, legitimandamque, si fieri unquam posset, ipsam iniquitatem. Casus iste est, in quo de praesenti constituimur, Venerabiles Fratres, et Filii in Christo Dilectissimi, e respectu sic dicti *matrimonii civilis.* Eius inductio, ubi recentissima, ubi aliquanto antiquior, eius defensio per multos verbo et scripto institui solita, quaeve qua proiectum existit pro futura reorganisatione legislativa regni, incutiunt metum, nonnullas circa illud propositiones Conventibus Parlamentaribus in proxima eorum coadunatione praesentandas fore. Unde non possumus dispensari, quominus vos unanimi voce nostra praeveniamus, vobis ostendentes qualiter hodiernae de matrimonio civili theoriae contrariae sint sanctitati vinculi con-

iugalis, tam qua unionis naturalis, quam qua legis christianae Sacramenti, indigitantes gravissima illa pericula et damna, quae exhinc in vos derivari possent Ante omnia dicendum, in quo deberet consistere adoptatio matrimonii civilis; praescindendo ab accidentalibus, per eam Status non recognosceret amplius validum et legitimum matrimonium, Sacramentum, quale celebrabatur ad praesens, in templo Dei, ad pedes Altaris, inter preces et benedictionem sacerdotalem; sed substitueret illi pactum civile matrimonii, in aula profana contractum coram civili Officiale, et istud foret verum et legitimum matrimonium. Ista foret substantia, ut annunciatum est, proiectorum legislativorum, quae poterunt in legem abire, sufficeretque hoc ipsum, ut in Statu catholico repudietur. Fiduciae huiusmodi habemus in eo fundamentum firmum, quod lex ista vice alia iam proposita et reiecta fuerit. Nihilominus urgens nobis incumbit obligatio Pastoralem nostram vocem ad illud reprobandum attollere, eo magis, quod nonnulli Dominorum Deputatorum et Senatorum, qui e supposito ad discutiendam et voto fulciendam talem legem vocati sunt, sint etiam nostri filii carissimi, quibus eo magis nostra tenemur instructione. Intendimus igitur vobis V. F. et F. D. exponere hic praeferenter, quae sit doctrina catholica de matrimonio, et hinc vobis ostendere, quantopere esset contraria doctrinae huic, quantorum disordinum et scandalorum foecunda lex, quae sanctionaret civile matrimonium; vos dein quo firmius praemunire quoad hoc argumentum, ac indicare scopum, vanas et fallaces rationes, e quibus lex talis induci intenditur. Priusquam a Iesu Christo in nova lege ad dignitatem Sacramenti elevatum fuisset, erat matrimonium actus sacer et religiosus, fuitque semper, sive origo eius consideretur, sive fines, ob quos ex indole sua fuit ordinatum, respiciantur. Ante omnia inconveniens foret credere, quod matrimonium sit ab aliquo terreno legislatore, aut qualicunque homine inventum; non; Deus ipse a principio illud instituit, dum Adamo in statu innocentiae et sanctitatis posito, post declarationem, non esse bene homini solum esse, eidem voluit dare adiutorium simile sibi, de eadem substantia et de ipso formavit sociam, quam ei praesentavit dicens: „*Cre-*

scite et multiplicamini." Rite intellexit Adamus, quam sanctum vinculum et officinm Deus tunc instituebat, cuius momentnm penetrando, item qualitates et obligationes, exclamavit: *Hoc est os de osse meo, et caro de carne mea, et vocabitur virago, quia de viro sumta est; propter quod relinquet homo patrem et matrem et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una.* Quibns verbis non tantnm consensum suum in coniugium enunciavit Adamns, sed vel maxime, ut ait Doctor Angelicus, quia e divina inspiratione iam intellexit, et proclamavit, qualis sit illa institntio, quam Dens fecit. Ab hoc momento, seu quod idem est, a primordiis generis hnmani, qnicuuqne consentit in matrimonium, dummodo possit dici determinatns et liber consensns pro selecta qnapiam persona, semper conseutit in officium iam a Deo praestabilitnm; non creat itaque ipse obligationes et iura cum sno consensn, adeoque illa nullo modo potest sive limitare sive restringere, idque propterea, qnod homo non possit institntionem divinam insuperhabere. Et iam vel ex hoc clarescit, quam sacrum sit matrimoninm, et regulatio illius debeat spectare non ad arbitrium hominis, aut qualemcuuque profanam auctoritatem, sed ad illam unice, cui Deus commisit provisionem suarum institutionum. Non minns valent ad demonstrandum sacrum et religiosnm characterem matrimonii fines, in qnos natura sua ordinatum est. Primarius horum certo est procreatio prolium, Insnper autem, prout ipsum procreationis vocabulum significat, parentes in hoc sunt cooperatores Dei, qui concurrit in creando, et homini infundendo principali illo et nobilissimo elemento, qnod est spiritus; praeterea homo, cui infunditur vita, est per seipsum res religiosa et sacra, est enim imago Dei, destinatus in sua essentia ad Deum qua ultimnm finem; inde cogitare nefas, finem matrimonii esse qualemcunque procrea tionem prolinm; non; cum institutione matrimonii non solum id intellexit, ut homines habeant existentiam et vitam, sed in specie ut habeaut eam evolutionem, destiuationem et perfectionem vitae non solum physicae sed etiam moralis, qnae convenit creatnris rationalibus, et quas Ipse pro sua bonitate secus etiam elevavit ad finem supernaturalem. Necesse est, ut vobis clarius exhibeamus, quod si Deus voluit, ut non ope

alterius medii, sed mediante Matrimonio homines multiplicentur super terra, noluit sane ut alio fine id fiat, quam propter quem creatus est primus homo in terra; seu ut homines hi eum recognoscant, diligant, eique serviant in vita praesenti, seque dignos reddant Illo in vita futura aeternum fruendi. Quis autem magis sacer et religiosus finis, quam generare et educare Deo fideles adoratores in terra, et felices cohaeredes in coelo? Sed, utut iste primarius Matrimonii finis, non est tamen unicus. Ope unionis maritalis viri cum foemina voluit Deus etiam unire diversas aptitudines intellectuales et affectivas duorum sexuum et sic coordinare, ut defectus unius compensationem inveniat in alio, et per unionem reciprocae mansuetudinis ac per temperamentum compensentur excessus et defectus, resultetque inde perfectio et harmonia. Verbo Deus voluit, ut in matrimonio duo coniuges sint sibi continuo et mutuo adiutorio non solum in necessitatibus vitae, sed et in propria morali perfectione, et maxime in recta et religiosa prolium educatione. Quod Deus ipse aperte indicavit, dum post creationem cuncta opera sua valde bona comperisset, hominemque isolatum considerando, exclamavit: „*Non est bonum hominem esse solum, faciamus ei adiutorium simile sibi.*" Iam quis non videt, istud quoque esse finem super omnia moralem et religiosum? Nec minus religiosus finis est, qui matrimonio adnexus fuit post peccatum hominis; cum scilicet matrimonium per se ipsum esset ordinatum ad remedium concupiscentiae, medium corrigendi disordinis per culpam inducti, factum est medium declinandi peccata et damnationem. Adiungi etiam potest, quod matrimonium a principio iam praefiguraverit (quod dein producere debuit essentialem suam sanctitatem inter christianos) indissolubilem Iesu Christi unionem cum Ecclesia. Aut forte non illud voluit indicare Creator, dum e costa Adami dormientis formavit illi sociam, sicut postea e latere Christi, brevem mortis suae somnum dormientis, scaturiebat pretium salutare, quod Ecclesiae concredidit? An non verum loquitur Pontifex Leo scribens: *Societas nuptiarum ab initio ita fuit constituta, ut praeter sexuum coniunctionem, haberet in se Christi et Ecclesiae Sacramentum?*"

Nunc iam videtis V. F. et F. D. *quantis titulis fuerit sacrum et religiosum inde a principio matrimonium.* Et reipsa qua sacrum fuit illud semper in vera Religione consideratum, et sacra erat auctoritas, ad quam spectabat illius regulatio. In lege naturae capita familiarum erant, qui intendebant nuptiarum sanctitati, sed erant una etiam magistri, et ministri Religionis in domo. Dum vero homines, ignorando patrum suorum auctoritatem volnissent iuxta proprium arbitrium contrahere nuptias, exinde secuta est monstrosa illa generis humani depravatio, ob quam Deus in ira sua decrevit eius exterminium per diluvium universale. In lege scripta, Deus ipse dictavit dispositiones positivas regulandi matrimonii, dispositiones firmas et inviolabiles, circa quas Iudices et Reges Israelis non aliam sibi attribuerunt auctoritatem, quam ut earum observantiae intenderent. Imo plane in multis populis, qui veram Religionem amiserunt, apud multos ipsorum gentilium remansit, sive per traditionem, sive e dictamine naturalis conscientiae sensus quidam de sanctitate matrimonii, adeo, ut celebrationem eius cum ritibus religiosis coniunctam voluerint. Ne autem, ob defectum auctoritatis magis competentis, et ex necessitate, ne officium etiam civiliter adeo momentosum uti est matrimonium singularium individuorum arbitrio permittatur, *legislatores civiles* ceperunt regulare illud, secundum proprios suos obtutus; *e legibus* interim *et exitu, quo id fecere, palam fit eorum incompetentia ad missionem adeo sublimem et delicatam.* Sagacissimi etiam eorum ignoraverunt originariam matrimonii institutionem, illud aequiparantes omnibus aliis contractibus, et cambiis mercium vilissimarum; ignorantes non viderunt, quod indignus sit complacendi calculus, domesticum et publicum emolumentum usque ad permissionem infamissimorum amorum, aut determinationem numeri prolium, quas unumquodque matrimonium debnisset producere; ignoraverunt iura et obligationes, et si non adprobaverunt etiam in effectu communionem uxorum, facultatem tamen cuivis dederunt fornicationis et concubinatus, legitimarunt praepondium maritorum et servitutem uxorum, voluerunt fidelitatem thori, sed tantum pro foemina; agnove-

runt ius patris acceptandi aut repudiandi, vel etiam occidendi legitimum consortis partum, et inexorabiliter ad mortem damnaverunt, aut saltem exinanitionem partus defectuosi. Hac ratione sustentabatur, ac legitimabatur omnis privata et publica demoralisatio, succedebatque evilescentia matrimonii, quod adeo contemtum et invisum est redditum, ut in populo maxime civilisato, uti erat Romanus, necessarium visum fuerit latis opportunis legibus adstringere homines ad matrimonium, ne natio aut intereat ob defectum succrescentiae, aut in gregem spuriorum degeneret. Ecce *quorsum devenit matrimonium, unice per humanas philosophicas et politicas speculationes regulatum?* Nec alter certe, quam Homo-Deus poterat illud e coeno, in quod delapsum est, levare, et ad primaevam puritatem et sanctitatem revocare. Fecit autem id D. N. I. C. ad ordinanda, restaurandaque omnia missus. Matrimonium ad primaevam institutionem divinam reduxit; iura et obligationes promulgavit; nativam proprietatem, unitatem et indissolubilitatem eius revindicavit; polygamiam abolevit, quae ipsi populo Israel permissa, etsi non essentiae, et finibus primariis coniugii, secundariis attamen, iisque momentosis, uti pax, concordia, reciprocus affectus et servitium coniugum, contraria est; divortium, quale saltem per Moysen Israelitis in certis casibus, ob duritiem cordis permissum fuit, abrogavit. Nec contentus piissimus Salvator matrimonium taliter primaevae suae auctoritati restituisse, voluit etiam renovare in suo sangvine corruptam naturam nostram, et sanctificare omnia stadia sphaerae nostrae mortalis a cunis usque ad sepulchrum, voluit etiam in specie nobilitare, et consecrare actum hunc solemnissimum, et pro confortando homine maxime necessarium. Levavit ergo illud ad ordinem supernaturalem, instituendo illud unum e septem novae legis Sacramentis, seu constituendo signum visibile, formam visibilem invisibilis gratiae, conferendo ei virtutem sanctificandi eos, qui tale contrahunt, et fundandi in iis ius ad ulteriora adiumenta coelestia, ad sancte adimplenda officia. Istud, ut scitis V. F. et F. D. est articulus fidei catholicae. *Si quis dixerit,* ait SS. Concilium Tridentinum, *matrimonium non esse vere et proprie unum de septem legis Evangelicae Sacramentis, anathema sit.* Volentes

hic vobis quidpiam excellentis de hoc Sacramento in medium proferre, existimamus id haud aptius fieri posse, quam repetendo ea, quae egregii Theologi iam ante nos enunciarunt. Cum his inviamus vos ad perpendendum, quam sublimis dignitas Sacramenti huius expressa sit per S. Paulum, ubi illud nominat magnum, attenta significationis suae sublimitate, stabilitum ad exprimendam in unione coniugum fidelium, indissolubilem Christi cum Ecclesia unionem, non amplius qua futuram, sed iam consummatam. Quae commemoratio, significatio et figura ineffabilis mysterii constituit finem matrimonio divinitus adiunctum in nova supernaturali forma, qua est in Ecclesia vestitum. *Quia membra sumus*, ait Apostolus, *corporis eius* (Christi) *de carne, et de ossibus eius. Propter hoc relinquet homo patrem et matrem suam, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una. Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo et in Ecclesia.* In Epistola ad Ephesios loquendo de matrimonio fidelium S. Paulus exponit virtutem, et inculcat obligationes eorum. Et in altitudine inspiratae sapientiae explicando essentiam et dignitatem ei a Christo adiunctam, sic ratiocinatur: Christus dilexit Ecclesiam et se totum immolavit pro ea, ad sanctificandam eam, et mundandam lavacro aquae in verbo vitae. Ut ei desponsetur Homo-Deus, certo modo reliquit patrem suum, matrem suam, sibique iunxit sicut corpus suum ad salvandam illam. Per mysticas has Christi cum Ecclesia nuptias, Ecclesia est corpus Christi, et nos, qua membra Ecclesiae, per id ipsum membra sumus Christi, caro eius, ossa eius. Altissimum hocce mysterium e divina dispensatione factum est typus, exemplar, scopus matrimonii, in quantum est signum sanctum. *Quia membra sumus corporis eius . . . propter hoc relinquet homo patrem et matrem, et adhaerebit uxori suae.* Nuptiae inter fideles eo sunt destinatae, ut repraesentent, et in memoriam revocent divinum hoc connubium; multiplicent fructus et effectus Ecclesiae procreatione novae sobolis. Christus et Ecclesia sunt lapis angularis, materia et obiectum significationis magni huius Sacramenti. „*Sacramentum hoc magnum est . . . . in Christo et in Ecclesia.*“ Hinc Apostolus non aliunde, quam ex hac similitudine et repraesentatione, loquens de matrimonio christiano,

deducit reciprocas coniugum obligationes. Tu, o mulier, sic Apostolus, esto subiecta viro tuo tamquam Deo, cum vir sit caput mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiae. Sicut Ecclesia est obediens Christo, sic mulier in omnibus obediens esse debet viro suo. Et tu, o vir, dilige consortem tuam, sicut Christus dilexit Ecclesiam suam, et dedit semetipsum pro ea. Maritus diligere debet uxorem sicut proprium corpus. Illam diligendo, se ipsum diligit. Nemo unquam odio habuit corpus suum, sed ex opposito, alit illud et custodit. Sic Christus facit cum Ecclesia. Tandem omnia reassumendo paucis dicit: Maritus, sic intimat, diligat uxorem ut se ipsum, uxor praeter dilectionem reverentiali timore timeat maritum: *„unusquisque uxorem suam sicut se ipsum diligat, uxor autem timeat virum suum.“* Quia Christus diligit Ecclesiam sponsam suam, sed Ecclesia non solum diligit, sed et timet Christum sponsum suum. Verbo est paradigma amoris coniugalis inter Christianos, dilectio intercedens inter Christum et Ecclesiam. Stantibus his, quis est, qui non confiteatur *esse vere honorabile coniugium in omnibus.* E simplici naturae officio est transformatum in actionem religiosam, supernaturalem, in formale symbolum venerandi mysterii. Non tantum unit duo corda reciproco affectu sibi adhaerentia, sed insuper elevat, sanctificat hunc amorem, efficitque ut sit viva expressio et participatio directa caritatis, qua Unigenitus Dei diligit illam, quam sibi in sangvine suo desponsavit. Est elevatum, ut sit signum et instrumentum efficax gratiae, animam sanctificantis, et interiores potentias ad actus virtutis et pro vita aeterna meritorios ponendos confortantis. Vir et foemina mediante hoc vinculo ad invicem nexi non iam duas partes constituunt contractus humani, sed duos dispensatores unius divini mysterii, duos ministros unius coelestis sacramenti. O! V. F. et F. D. quam divinam se esse monstrat sancta Religio nostra etiam per hoc, quod adeo elevet istud vitae consortium, quod in oculis increduli nihil aliud est, quam sublevatio ultra humilem sphaeram sensualium instinctuum, et materialium emolumentorum.

Iam, *si matrimonium, etiamsi in primo suo naturali statu consideratum, non potuit subiici potestati mere civili*, quia

attunc etiam fuit actus sacer et religiosus, cogitate, *an id fieri possit, postquam est ad Sacramentum elevatum.* Hoc facto est illud adnumeratum inter res supernaturaliter sacras, ac subiectas potestati illi, cui soli Christus commisit officium regendi et ordinandi res Religionis; taliter evasit exclusive dependens ab auctoritate ecclesiastica. Hinc est, quod SS. Concilium Tridentinum formaliter excommunicet eos, qui ausi fuerint dicere, causas matrimoniales ad iudicia ecclesiastica non spectare. *Si quis dixerit causas matrimoniales non spectare ad iudices ecclesiasticos, anathema sit.* Et postquam non defuissent serius homines astuti, et cavillatores, qui cum exceptionibus et reservatis hanc adeo absolutam Ecclesiae sententiam intellectam voluerunt, acsi generaliter dicendo ‚causae matrimoniales', non comprehenderentur omnes, dicendo autem ‚spectare ad iudices ecclesiasticos' absque additamento, non deberet intelligi, eas spectare ad illos solos, quasi ratio Sacramenti matrimonio propria non aequaliter valeret pro universis causis matrimonialibus, adeoque non omnes dependerent a sola Ecclesia. Summus Pontifex Pius VI solemniter reprobavit subterfugia ista et cavillationes, ea ut talia declarando, protestatus, quod verba canonis huius nullam admittant exceptionem, aut reservatam. Imo principium hoc ad totum, quidquid respicit matrimonium extendendo, declaravit, *ad solam Ecclesiam, cui exclusive commissa est cura Sacramentorum, pertinere omne ius et omnem potestatem assignandi propriam formam contractui huic ad sublimissimam Sacramenti dignitatem elevato.* *) Concedamus matrimonium de praesenti etiam esse contractum; ast *contractus iste est essentialiter supernaturalis, cum non aliud, quam contractus ipse sit illud, quod constituit Sacramentum.* Unde si etiam possit distingvi in conceptu mentis, nullo tamen modo in fidelibus sive disiungi, sive distingvi realiter potest contractus a Sacramento matrimonii. Haec est V. F. et F. D. Ecclesiae catholicae in hoc puncto doctrina. Reipsa enim Concilium Tridentinum non definivit existere Sacramentum ad sanctificandum matrimonium, sed ipsum matrimonium

*) Breve ad Ep. Motulensem 16 Sept. 1788.

vere et proprie esse Sacramentum. Secundum Canonem Concilii, aut non habent fideles matrimonium idgenus, aut ipsum illud Sacramentum. In huius conformitate illud idem SS. Concilium praescribendo, ut nemo attentet nuptias contrahere sine praesentia parochi proprii et testium, non dicit, quod secus deerit Sacramentum, sed expresse enunciat, invalidum e toto ipsum contractum: *Huiusmodi contractus irritos et nullos esse decernit.* Imo quod Sacramentum matrimonii sit ipse matrimonialis contractus inter fideles, aperte indicat Apostolus ipse, postquam enim dixisset: *relinquet homo patrem et matrem, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una,* quod ipsum evidenter exprimit contractum coniugalem, immediate enim subiunxit, istud esse Sacramentum. Hinc est, quod fideles nullo modo possint valide contrahere matrimonium nisi una etiam Sacramentum suscipiant. Ratio huius est clarissima. Fideles desponsati per id ipsum, quod virtute Baptismi sint membra Christi, matrimonio suo repraesentant id, quod Iesus Christus stabilivit, ut actus hic repraesentet inter fideles, id est, *unionem cum sua Ecclesia,* et hoc ipso faciunt Sacramentum. *Quia membra sumus corporis eius (Christi) . . . Sacramentum hoc magnum est . . . in Christo et in Ecclesia.* Poterant quidem fideles matrimonium non contrahere; ast ipsi consentiunt in eodem contrahendo, sunt eius capaces, consentiunt in actum repraesentantem illius suprahumani mysterii ex ordinatione Christi, qui est iam Sacramentum ex institutione divina, nec possunt ullo modo efficere ut non sit; quam rite adplicatur hic etiam: *Quod Deus coniunxit, homo non separet.*

Clarum itaque est, matrimonium christianum, quomodocunque consideretur, respectu regulationis ad solam potestatem ecclesiasticam pertinere. Qualiscunque ingessio civili potestati in eo tribueretur, eotum oporteret negare, quod matrimonium sit per Christum ad Sacramenti dignitatem levatum, et sic everteretur dogma fidei, aut vero oporteret dicere, quod dispensatio, et ordinatio circa Sacramenta possit pertinere ad potestatem civilem, et sic succuteretur in fundamentis universa oeconomia Ecclesiae; quae effective semper regulavit matrimonia fidelium, nec recognovit unquam tale

ius in qualicunque gubernio aut principe terreno. Iesus Christus, qui enunciavit reddenda esse Caesari, quae Caesaris sunt, ipsemet hanc sententiam de matrimonio et divortio proclamavit, nec remisit hanc causam ad magistratus civiles, ut fecit, dum agebatur de haereditate. Apostolus S. Paulus, qui in reliquo fideles principibus et magistratibus adeo obsequentes esse voluit, in causis matrimonialibus ipsemet peremtorie decidebat, dum interpellatus fuerat. Huius Ecclesiae praxeos regulandi et iudicandi matrimonia fidelium tanta sunt in historiis documenta, quanta omni seculo reperiuntur Romanorum Pontificum decreta, et sanctiones canonicae coniugium respicientes. Quotiescunque exortae sunt quaestiones aut dubia in hac materia, toties recurrebant fideles pro eorum solutione ad Pastores Ecclesiae, nunquam vero ad principes aut magistratus civiles; nec unquam incidisset alicui, cogitare, ut e. g. Henricus VIII. habuisset auctoritatem de valore matrimonii sententiam ferendi, aut de impedimentis illud invalidum reddentibus, aut vero de dispensationibus eo pertinentibus. Indubium est, quod Ecclesia, ut prudens et discreta est, nunquam fuerit abrepta furore innovationum ad monstrandam suam potestatem, quem successive non pauci legislatores civiles prodiderunt, attamen adoptavit, suasque fecit illas praeexistentes civiles respectu matrimonii dispositiones, quae honestae erant et convenientes; ratificavit impedimenta illa, quae per leges Romanas opportune introducta fuerunt; indubium est, quod studio fovendae cum potestate civili concordiae requisiverit seculares principes, ad stabiliendas legibus etiam suis illas ordinationes, quas ipsa pro utilibus reputavit, sicut ex adverso ipsa nonnullas leges, ut opportunum videbatur, sanciendo, principum instantiis detulit; ast verum etiam est, quod firma et inexorabilis fuerit in repudiandis illis ordinationibus, quae velut in codicibus nationum inveteratae, vel a principibus aut Imperatoribus exoptatae, in sua plus quam humana sapientia iudicabantur inconvenientes. Huius rei probam habemus in ipso Concilio Tridentino, quod ad instantias principum christianorum consensit ad invalidanda matrimonia clandestina, quo definitive cessarent inconvenientiae exhinc oriri solitae; sed ex adverso ad tuen-

dam individualem libertatem et multo magis aeternam salutem, quae hic implexa esse potuit, in tuto locandam, nunquam admisit, ut matrimonia minorennium sine parentum consensu contracta, nulla declarentur. De cetero Ecclesia matrimonium per se semper consideravit, tamquam negotium exclusive suae competentiae, neque recognovit civiles ordinationes, nisi ius regulandi sic dictos civiles matrimonii effectus, regulandi contractus, cum coniugio de necessitate iunctos, qui tamen non sunt coniugium, nec illud qua tale respiciunt; — uti sunt ordinationes bona dotalitia, acquisitiones et possessoria coniugum aut ordinem successionis in paterna haereditate concernentes, aliaeque his similes. Ast matrimonium, et quidquid illud in se respicit, semper considerabatur tamquam res essentialiter sacra, et exclusive Ecclesiae reservata.

Post hanc expositionem doctrinae catholicae circa matrimonium, non est opus V. F. et F. D. longo discursu ad ostendendum, *quam erronea et iniusta foret qualiscunque dispositio, quae ederetur ad stabiliendum sic dictum matrimonium civile.* Haec utique fundaretur in principio, quod possit esse inter christianos verum et validum matrimonium, quin sit Sacramentum; principium, ut demonstravimus, et ut iam priori seculo lumen quoddam Ecclesiae enunciavit, *monstrosum, haereticum, doctrinae Iesu Christi, et universali consensui Ecclesiae catholicae repugnans.* Tale autem principium aperte profiteretur idgenus dispositio, attentaret matrimonium suo modo regulare, taliterque alienam subiret sphaeram, manum sacrilege levaret ad Altare, usurparet iura sacerdotis, rebellaret contra Deum, conculcaret leges, profanaret institutiones, et quantum in se est, destrueret opera eius. Inde est, quod et Augustus Pontifex, qui cum tanta admiratione ipsorum acatholicorum actu gubernat Ecclesiam Dei, tam in autographis Literis 19. Septembris 1852 ad amatum Principem nostrum directis, quam in recenti Allocutione die 17. Decembris non dubitaverit asserere: matrimonium civile non aliud, quam *legalem concubinatum esse.* Et quis non videt, quam iniqua et irreligiosa foret lex talis? Accedit, quod totum hoc fieret in regno, quod in magna sui maioritate, imo fere integraliter catholicum est; unde ipsi subditi credere debent et

credunt legem talem esse iniquam, et eorum Religioni adversam, dum interim gaudent iure deposcendi, ut eorum Religio per Statum in respectu habeatur, et quidem maiori, quam substantia et vita, cui eam anteponere tenentur. Sed non solum iniqua foret et irreligiosa lex talis in se ipsa, verum etiam semen foecundum disordinum et scandalorum in suis consectariis. Sicut opus Dei, qui statuit non fore matrimonium inter christianos, nisi sit Sacramentum, nullo modo destrui potest; ita matrimonium civile, in facie veritatis et societatis catholicae nunquam erit aliud quam concubinatus, quocunque modo legalisetur, hinc permanens status disordinum et scandalorum, et proles exhinc progenitae non aliud essent quam illegitimi fructus delicti. Imo, omnibus subsidiis et auxiliis supernis destitutum, ab ipso plane Deo maledictum, qualiter unita poterit efficaciter tenere duo corda, etiam tempore saepe inevitabilis refrigescentiae, et dissidiorum, ipsisque infundere patientiam et abnegationem ad vivendum in pace et harmonia, ad prolem sancte educandam, tantopere necessariam? Spolietur omni charactere religioso, et fiet merus calculus voluptatis et interessentiae, consortium absque ligamine, consortium quod passionem concitat, et dissolvit. Consideretur ut simplex civilis contractus, habens totam existentiae suae rationem in sola voluntate contrahentium, et in hoc situ velle ut sit perpetuum et indissolubile, foret iniusta et logicae adversa tyrannis. Itaque serius ocyus, in uno et altero casu oportet admitti divortium, cui apertae iam sunt portae, per quas itur ad delicias, vel ad societates protestanticas, quae in proditis amoribus, derelictis mulieribus, prolibus expositis, tantis uxoribus aliquot viventes maritos, et vice versa habentibus, in confusione, et eversione familiarum tristia sane praebent exempla, et quin velint aut possint negare causam, conantur minuere effectus; et si deterius adhuc res non finiatur, id antiquae illius veritatis remanentiae tribuendum, quae in animis perseverat, et illi fulgori cuiusdam Religionis, quo nuptias suas semper fascinare conantur.

Non ignoramus, quod etiam cum institutione matrimonii civilis liberum sit futurum fidelibus legitime celebrandi ma-

trimonium in facie Ecclesiae; ast quare? Per id non cessat esse verum, quod matrimonium civile, quantum in se est, faveat, ac promoveat disordines et scandala; et postquam passiones praesertim in hac materia adeo sunt faciles et praepotentes in homine, non infreqnens erit casus, ut passio inveniendo insuperabile obstacnlnm coram tribunali Ecclesiae, velit quaerere cohonestationem qnoqno modo snae levitatis per larvam civilis matrimonii; casus, qui ın vim exempli et ob innegabiliter crescentem in societate demoralisationem in dies fient frequentiores. Secns etiam, per novam hanc legem aut stabilienda intenduntur pro matrimoniis omnia et sola illa impedimenta et ordinationes, quae sunt iam per Ecclesiam constitnta, et in hoc casu foret opera apud omnes inutilissima; aut in vicem eorum praescribi intenduntur qnaepiam nova et contraria, et tunc habebimus absurdum duarum potestatum, ab invicem independentium, quarum utraque suo modo regulat unum idemque obiectum, et sub eodem praecise respectu; cum Ecclesia aliud regulare neqneat qnam ipsnm matrimonii contractum, qni secnndum eins doctrinam est Sacramentum. Haberemus proin eodem tempore matrimonia valida et invalida; valida coram Statu, invalida in facie Ecclesiae, ant viceversa; idque non iam per abusum quem una aut altera faceret suae auctoritatis, sed per usum, qui in casn dici deberet legitimus. Haberemus personas, quae essent legitimi coniuges coram Statu, et non essent tales in facie Ecclesiae; secundum Ecclesiam et conscientiam ab invicem separari, et iuxta Statnm sibi convivere obligatae, quibus proinde Status intercluderet plane viam conversionis et salutis, cuius primnm requisitum esset separatio. Haberemus ex opposito personas per matrimonium secundum Ecclesiam validum, iuxta Statum invalidum, per legem ad alias nuptias inviatas; nuptias, quae inxta Ecclesiam essent adulterae, et a quibus recessus, iuxta Statum foret delictum, secundum Ecclesiam et conscientiam officium. Haberemns filios legitimos coram Deo et Ecclesia, sed non coram lege; et alios legitimos coram lege, sed illegitimos coram Deo et Ecclesia; ponerenturque hi et illi e motivo haereditatis, quam lex iuxta suum modum assignaret, in tremen-

da tentatione committendi iniustitiam, et vocem naturae opprimendi, in corde iras insanabiles fovendi, conscientiam conculcandi, seque aeternum perimendi. Haberemus fors etiam casus, ut parochi ad assistendum matrimonio personarum iam ligatarum et inhabilium provocentur, qui voce conscientiae prohibiti, provocationem reiicerent; haberemus parochos, contra quos personae eaedem coram lege liberae et habiles asperum moverent bellum, et invocarent assistentiam tribunalium. Uno verbo : confusio iurium, laqueus conscientiarum, tentatio praevaricationum, perturbatio familiarum, contemtus auctoritatum, diffidentia populorum, scandalum debilium, dissensio magistratuum, concubinatus, et illegitimitas prolium legalisatarum, horrenda demoralisatio, et inde ruina societatis; en fructus, qui apud nos etiam carperentur ex institutione matrimonii civilis.

Sed vos V. F. et F. D. cupidi estis scire, qua tendentia, et quibus e rationibus posset induci lex tam iniqua et perniciosa; cum autem declaratio desuper possit valere tamquam vestri praemunitio adversus illam, promte vobis satisfaciemus. Et primo quidem alieni sumus ab eo, ut omnibus illis, qui partem capiunt in similibus ordinationibus, intentionem absolute perversam attribuamus. Non; nos sumus intime persuasi, quod multi eorum id faciant, quia sunt ludificati a falsis principiis, et non vident funestissimas sequelas, queis obviam currunt; et recte ad hos e delusione extrahendos dirigitur praesens nostra instructio. Sed est etiam innegabile, a multis id fieri e ratione perspecta, et proposito perverso, ad litandum passionibus suis, quibus sperant propensum esse Statum, non autem Ecclesiam; alii proprie in opprobrium Religionis catholicae, erga quam pro suo infortunio, infrunito feruntur odio, et quam cuperent e mundo exterminatam. Ad convictionem eatenus nanciscendum sufficiat reflectere, qualiter sit inauguratum civile matrimonium in illis recte locis, ubi abolebatur, et e fundamentis evertebatur Religio catholica ad inducendam haeresin. Circa finem prioris seculi inductum est in catholica Gallia : (quali cum fructu, historia demonstrat)*)

---

*) Intra breve unius anni spatium, numerus inventarum

et quidem pridie efferatae illius revolutionis, quae tyrannisare debebat generosam illam et infelicem nationem; uno anno prius, quam rivi cruoris civium cum sangvine Regis in plateis confluxissent, altaria destructa, Sacerdotes in exilium missi, negata Dei existentia, et stabilita abominatio desolationis in loco sancto, et ibi offerebantur incensa infami prostibulo, sumto qua symbolum Deae rationis. Triste sane spectaculum! quod eo magis nos stimulat ad avertendam a patria nostra infaustam hanc institutionem. Nec reticere volumus influxum, quem in profanatione coniugii exerit monstrosum illud systema, quod ex infernali abysso evomitum horride incubat hodiernae societati, nempe socialismus. E perversis principiis coriphaeorum illius est manifestum, quod ad radicalem destructionem non saltem matrimonii et familiae, sed omnis alterius ordinis religiosi, civilis, socialis tendat; negare totum et abolere, proprietatem, iura, obligationes, leges, auctoritates, conscientiam, et Deum, ab omni froeno liberare omnes ferocissimas cupiditates, iisque plenam ad libitum licentiam tribuere, verbo humanum consortium redigere ad similitudinem iumentorum, et ferarum bestiarum. Sed donec stat firmum, sanctificatum et protectum ab Ecclesia matrimonium, principalis iurium et obligationum reciprocarum fons, omnis humani consortii radix, omnium moralium et religiosarum traditionum propagator: interea tam radicalis subversio possibilis haud est. Primus itaque passus est: profanatio matrimonii coram societate, eiusque ab auctoritate Ecclesiae subtractio, et ad interim regulatio per legem civilem; quae sicut hodie sancitur, saepe per unius dumtaxat suffragii praevalentiam, sic poterit cras pari facilitate mutari aut etiam aboleri; idque semper cum conflictu potestatum, cum incertitudine obligationum, et iurium, cum confusione familiarum, cum legalitate fornicationum et adulteriorum, cum demoralisatione populorum, cum increscente numero

---

prolium in Gallia erat plus quam duplicatus. Parisiis contracta sunt intra annum 4000 matrimonia, et fuerunt 700 divortia; anno sequente fuerunt 3000 matrimonia, et 900 divortia; actu e prolibus, quae intra annum nascuntur, una tertia illegitimorum calculatur.

prolium spuriarum, et derelictarum, quae utique iam possunt considerari qua proles Status, sicque praeparatur evolutio et plenus triumphus execrandi huius systematis.

Sed qui in tantum impii forent, speramus, sunt in hisce regionibus nostris admodum pauci, et ipsi pauci, qui existerent, vix coniicient oculos in has nostras paginas, quin clament de exaggerationibus, excessibus, et continuent interea clam opus suum tenebrosum. Eapropter nos sermonem nostrum dirigemus ad illos multos, queis fallaces rationes illusionem faciunt, et adgrediemur dissipare illam, quod nobis brevi et facili negotio successurum est, assumpta pro basi, quam iam declaravimus, doctrina Ecclesiae catholicae super hoc argumento. Et primo quidem, sic ratiocinantur illi : *Matrimonium etiam inter christianos est contractus ; atqui contractus debent regulari per Statum, ergo Status debet regulare matrimonium.* Quantopere fallax sit hoc argumentum, evidens fit exinde, quod possit in contrarium retorqueri sic : Matrimonium inter christianos est Sacramentum, sed sacramenta regulantur per Ecclesiam, ergo Ecclesia debet regulare matrimonium. Si ambae hae theses verae essent, verum esset supra attactum absurdum, quod nempe duae potestates ab invicem independentes regulandum habeant unum idemque obiectum, legitimaeque forent inconvenientiae et disordines exhinc promanantes. Sed verum est, si matrimonium dicatur contractus; est enim contractus, sed in suo genere peculiaris; contractus iam determinatus, ex indole sua independens a quacunque voluntate contrahentium in suo fine, mediis, iuribus et officiis quae secumfert; contractus immediate et positive a Deo ipso ante existentiam omnis societatis, cuius est ipse principium et basis, institutus; contractus in se ipso, inde a sua origine sacer et religiosus. Si itaque inde a principio coniugium in se ipso spectatum non debuit esse subiectum auctoritati civili, quanto minus debet id esse nunc inter christianos, postquam est ad supernaturalem Sacramenti dignitatem elevatum? Hoc facto Iesus Christus matrimonium auctoritati Ecclesiae suae exclusive subiecit, quam solam constituit depositariam et dispensatricem Sacramentorum. Atque sic est ipse contractus id, quod est Sacramentum, sic est contractus

ipse id, quod est subiectum auctoritati Ecclesiae. Et cui unquam conveniens videretur, ut Christus matrimonium christianorum, et hoc ipso valorem Sacramenti arbitrio Neronis permisisset, aut Caligulae, aut Domitiani, et de praesenti etiam arbitrio cuiuscunque Principis non solum haeretici, sed ipsius Turcarum Sultani, aut imperatoris infidelis, vel plane athei? *Sed Status*, sic argumentabitur forsan nonnemo, *debet ferre leges uniformes, omnibus civibus adplicabiles, quaecunque sit fides, quam profitentur. Unde in stabiliendis legibus praescindere debet ab omni religione, respicere in cunctis civibus libertatem conscientiae, nec obligare quemquam ad ritum religiosum, quem non credit. En necessitatem formae civilis in matrimonio, et legum eo pertinentium, quibus omnes, quaecunque sit religiosa eorum fides, conformari possunt.* Ad hoc respondere debemus primo, quod ad instituendum idgenus ratiocinium praevie oporteret abolere primum et fundamentalem articulum Statuti nostri, Religionem catholicam Romanam unicam esse Status religionem declarantis. Nam *quis non videt*, reponemus verbis illustris Episcopi Galliae, (Parisis) *quidnam importet vocabulum istud, Religio Status? Importat, quod praecepta illius norma et cynosura sint legibus Status; importat, ut doctrinae illius a civili potestate protegantur, utpote ab eo pro veris recognitae, ea ratione, ut privatus credat religioni, quam profitetur; importat, ut religio haec super Statu, super civili potestate illud habeat dominium, quod super privata vivendi ratione cuiusvis habet religiosa illa fides, cui nomen dedit.*" Unde firmus stat ille articulus, leges nostrae ne minimum praescindere possunt a Religione catholica, nec a divina eius constitutione, aut a suis Sacramentis; ac ideo lex de matrimonio civili esset aperta negatio principii. Deleatur ergo prius de Statuto nostro articulus ille, quem patres nostri aedificaverunt pro fundamento totius aedificii socialis. Divina Christi Religio, quae a tantis seculis splendorem conciliat huic patriae nostrae, quae non desinit esse maximus et carissimus thesaurus omnibus, potest dici, subditis, non sit amplius Religio Status nostri. Proclametur in vicem huius Statum illum indifferentem esse erga quamcunque religionem et atheum. Sic factum est etiam in Gallia. Sed o! quibus temporibus, quibuscum emo-

lumentis! Ast poteritne, quaerimus, quid pro quo lacerari adeo solemnis et iurata promissio istis catholicis populis in Statuto data? Poteruntne civilia catholici populi regimina praescindere in suis legibus a religione eorum, quae in intimo est nexu et ubique interessatur in omnibus fere externis suis relationibus? Et cum gubernatores hi ipsimet sint catholici, ideoque credere debeant religionem suam esse unice veram, an non erunt adstricti, ne sint emolumentorum eius proditores, et obligationum propriae conscientiae? Sed, incommodus hic articulus omni modo impetitur, declaret se ergo Status indifferentem, ab omni religione vacuum. Eritne pro hoc convincens supra allatum argumentum? Reddentne motiva illa legem de civili matrimonio iustam? Videamus. Status, sic dicitur, debet ferre leges uniformes, quae adplicari possint universis civibus, quaecunque sit fides, quam profitentur. Sed si hoc desideratur, aboleantur omnes dispositiones proprietatem asserentes, quia socialistae profitentur, proprietatem esse furtum, imo cassentur omnes leges, proiiciantur in flammas omnes codices, quia secundum socialistas sunt leges, quae homines malos efficiant. Iam si eousque perveniri non intenditur, sincere adminus declaretur, quod Status non sit catholicus, sed neque logicus. Verum attamen est, leges unius Status esse debere uniformes, in quantum pari ratione respicere et tueri debent ius in quacunque persona, quocunque tempore et loco; non autem in quantum destructricem manum extendit in varias conditiones, et praeexistentia civium iura, eosque consideret in conceptu abstractissimo, qui omnes mathematice complectatur, conceptu, qui caret correspondente realitate, quive idcirco non potest esse fundamentum legum practicarum et concretarum. Si itaque Status in ferendis legibus suis respectum habere debet variae conditionis, et generalium circumstantiarum populorum, oportet, ut adminus aequaliter habeat respectum religionis eorum. Si e. g. uniformis dici poterit lex illa quoad militare servitium, utut non feriat universos subditos mares, imo admittit exceptiones et reservatas, pari ratione, quin uniformitati derogetur, poterit in legibus societatis catholicae, respici et sanciri matrimonium ecclesiasticum, utut adoptari deberent quaepiam

dispositiones exceptionales pro matrimoniis infidelium. Incassum adpellatur ergo ad uniformitatem legum pro sustentando asserto, quod legislator societatis catholicae praescindere debeat a religione populorum. Nam cum inductione matrimonii civilis inter catholicos Status aliud quam praescindere ab eorum religione intendit, eam nempe confitetur aperte, dicendo dari per se eidem validum matrimonium, quin sit Sacramentum; allicit eos ad peccata et ad disordines cum facilitate, quam iis porrigit ad eos cohonestandos; eos stringit etiam in nonnullis casibus, ut indicavimus, ad permanendum in statu, quem eorum fides et conscientia graviter reprobant. Unde imponere nobis volunt matrimonium civile sub titulo libertatis conscientiae; an non foret hic contemtus summe indignus? Libertas, quae homini asseritur, non est libertas iumenti, non est facultas favendi omni licentiae, et stimulis abiectissimis; sed libertas, quae convenit enti rationali, ad sequendum rationis dictamen, cui ut plurimum passiones adversantur. Libertas conscientiae non est licentia immoralis et culpanda ad satisfaciendum religiosae suae antipathiae, cum vilipensione et impuni conculcatione religionis, sed facultas moralis ad adimplendas religiosas obligationes sine molestia quacunque. O praeclaram hanc conscientiae libertatem! Dare manipulo incredulorum facultatem deprimendi ritum religiosum, ad quem essentialiter obligantur utpote baptisati, et cui mali quidpiam inferri ipsi non credunt, sed ad summum credunt rem fieri inutilem, — et integrum populum stringere ad acceptandam legem suae religioni contrariam, foecundam tantorum disordinum et scandalorum matrem; stringere, quod adhuc peius est, etiam vi ad credendum et confitendum se peccare, quin possit ab erroribus et proditionibus reverti, ad violente permanendum in concubinatu aut adulterio! Ergone haec est conscientiae libertas, quae tribuenda est catholicis cum lege de civili matrimonio? Et ad legem idgenus succolandam non existerentne alii tituli, quam vani isti et illusorii? Sed erunt etiam, qui volent, *ut Status regulationem matrimonii apprehendens, praetendat: leges, queis illud Ecclesia regulat, esse minus convenientes et opportunas.* Non intendimus nos hic ad eos con-

vincendos exponere, et disserere distinctim de omnibus et singulis Ecclesiae circa matrimonium legibus, ad ostendendum, quam sublimis sapientia et iustitia in omnibus resplendeat; haec enim foret opera nimis prolixa, et non suo loco. Sed alia ex parte apud veros catholicos, qui non ignorant habere Ecclesiam magistrum et ducem Spiritum omnis sapientiae et sanctitatis, leges eius sunt iustificatae in semetipsis. Sed praescindendo ab hoc religioso argumento, quaerimus, quis unquam poterit rationabiliter anteponere legibus Ecclesiae, quae latae fuerunt et adprobatae a selectissimis ingeniis, ab hominibus summae experientiae et sanctitatis, qui floruerunt unquam in orbe catholico, quibus venerationem praestat continua et universalis octodecim seculorum experientia, quis posset istis anteponere leges guberuii cuiuscunque; leges, quae continuo mutantur, aut serviliter transumuntur ex aliis recentioris dati; leges, quae in circulo unius Status discutiuntur, in uno Conventu, in quo non semper regnat pacatus et tranquillus sermo, qui argumenti momento conveniret; leges, quae adoptantur per maioritatem votorum fors minus significantium, vel forsitan praeponderantia unius voti, eoque non infrequenter e distractione, aut inconsiderantia dato? Quis poterit convinci has debere esse magis ponderosas ac iustas, quam illas? Ergo *Status*, sic fors argumentabitur quis, *si non habet potestatem regulandi matrimonium in se, non se ad illud ingerat, permittat id totum Ecclesiae, sed et una deneget tutelam iurium coniugum, adminus, ubi non observarunt normas, quas eis praescribendas censuit.* Primo: hac ratione sibi Status contradiceret. Postquam una ex parte si confiteretur se non habere auctoritatem regulandi matrimonium, deberet illud recognoscere licitum et validum, et eoipso fontem iurium coniugalium independenter ab omni sua ingessione. Ex altera parte, cum negatione tuitionis iurium, practice confiteretur, haberetque pro invalido matrimonium. Nec iuvat dicere, quod hac ratione Status ad maiorem adhuc cum Ecclesia contradictionem deveniret. Ille se ab omni cum ea cointelligentia separaret, leges eius non amplius ut leges externum etiam valorem habentes recognosceret, negaret sua

ex parte omne obsequium et obedientiam dispositionibus Christi, et Eius sponsae, verbo constitueretur in conditione gubernii non solum protestantici, verum ethnici. Ast nullum, nequidem ethnicum gubernium tuitionem iurium coniugalium negare poterit, quin officio suo desit, quin evidentem committat iniustitiam. *Ius enim hominum semet uniendi vero et valido matrimonio est anterius et independens ab omni civili consortio.* Conveniens propagatio generis humani est ordinata a natura et a Creatore prius, quam formatio civilis societatis inter homines, quae locum habere nequit absque illa; neque reperietur, qui neget ius matrimonii iis inter homines, qui non adhuc fuissent uniti in civili communione. Si postea in regulata societate uniantur, si deligunt sibi regimen, per id non renunciant iuri suo, neque intendunt, ut interdicatur aut vinculetur quocunque modo, imo uniuntur eo fine, ut istud non minus quam omne aliud ius per Gubernium defendatur contra aliorum praepotentiam efficacius, quam per se ipsos fieri potuisset, si isolati remansissent. Sane non aliud, quam istud constituit proprie finem cuiusvis civilis consortii. Hinc est, quod nequidem in societate pagana gubernium habeat sive ius semet ingerendi in nuptias subditorum, nisi respectando leges naturales, aut reprimendo transgressiones, sive tuitionem iurium coniugalium respuere possit, quin manifestam committat iniustitiam, quin neget rationem existentiae suae. Unica conditio, quam gubernium rationabiliter deposcere posset ad praestandam publicam tuitionem et protectionem iurium coniugalium, esset conveniens nuptiarum notorietas. Ast quae notorietas maior et solemnior possit desiderari a quocunque Gubernio, ac illa, quam Ecclesia praebet matrimonio suo?

Dissipatis taliter principalibus rationibus, quae videbantur illusionem facere super hoc argumento, sperantes, quod institutio haec nostra ad eos, qui sunt de Ecclesia, pertinens, sit potens futura, ad legislativa nostra corpora abstrahenda a sancienda lege quaecunque eidem contraria, idcirco abstinebimus a dandis vobis instructionibus, et praescriptionibus, quae necessariae forent tunc, si lex de matrimonio civili pro communi infortunio realiter induceretur. Sic est V. F. et

F. D. Nos speramus, quod comprehenderitis grave momentum argumenti, super quo vobis tam prolixe disseruimus. Agitur enim de practice neganda veritate catholica, vos autem rite scitis, quod propter intimum nexum, qui inter veritates fidei intercedit, non possit negari una, quin succutiatur fundamentum etiam aliarum omnium. Agitur de ea non privatim, aut opera alicuius individui neganda, sed publice per legem Status, per auctoritatem, cui nos debitam reverentiam et obsequium praestare consuevimus. Agitur de profanatione et convulsione radicis omnis humani consortii, scaturiginis totius humanae generationis. Agitur de fovendis disordinibus, gravissimis et innumeris scandalis, de creando antagonismo, lucta perpetua inter Ecclesiam et Statum, in hoc populo tam uni quam alteri adeo devoto, de proiicienda in sinum nationis ipsius discordiarum et divisionis face. Poteramusne V. F. et F. D. muti remanere in conspectu huius convulsionis, Religioni, moralitati, societati impendentis? Annon strictissimae ministerii nostri obligationis erat attollere vocem, et in tota sua gravitate ac consequentiis denudare tam grande malum? Et utinam possemus illud opera nostra repellere! Nos hac ratione providimus integritati Divinae nostrae Religionis, morum honestati, causae et iuribus sacrosanctis Ecclesiae Christi non minus, quam decori et prosperitati Status. Non ignoramus autem V. F. et F. D. quod *neque qui plantat sit aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat, Deus,* et quod per *Illum solum reges regnent, et legum conditores iusta decernant;* et idcirco ad Eum provolvimur, Eum per intercessionem Sanctissimae Matris Immaculatae Virginis Mariae, et omnium Sanctorum orantes, ut suo lumine, sua gratia assistat civilibus gubernatoribus nostris, quo dispositiones eorum conformes sint Dei dispositionibus, quae solae possunt veram formare felicitatem etiam temporalem hominum, per quam pervenitur ad beatitatem aeternam. Volumus autem, ut haec nostra instructio per extensum legatur fidelibus per omnes RR. parochos Dioecesium primo festivo die, post eius perceptionem, tempore institutionis evangelicae, vel catecheticae, omisso alio quocunque, quod tractandum foret, argu-

mento. Postmodum spatio duorum mensium publico exposita tenebitur in Sacristiis. Imploramus denique virtutem Dei, ne nostra et cooperatorum nostrorum verba maneant inefficacia, ac effuso corde cunctis amantissimis nostris dioecesanis Pastoralem Benedictionem impertimur, in nomine Patris et Filii, et Spiritus Sancti. 5. Iannarii 1861. — (*Ex Actis publicis.*)

M o n. 234.

Instructio Pastoralis Archi-Episcoporum, et Episcoporum Hetruriae de Sacramento Matrimonii. 1861.

Siquando stricta fuit ministerii nostri obligatio intrepide attollendi vocem pro vindicanda catholicarum disciplinarum observantia, pro defensa libertatis Ecclesiae Iesu Christi, nunc certe cum profundo dolore animae nostrae ad id praestandum adstringimur, ad illuminandas mentes, ad firmandas conscientias vestras F. et F. D. circa doctrinam catholicam in argumento momentosissimo et summo, quod est Matrimonium, sacrum familiae principium, fundamentum civilis convictus, e divina institutione Sacramentum magnum, figura coniunctionis Christi cum Ecclesia. Circa istud, absurdae doctrinae, et proiecta, et falsae theoriae inter nos diffunduntur, quae etiam consequi possunt (quod Deus non permittat pro bono societatis christianae) sanctionem per civiles praescriptiones, et ordinationes. Quibus non intenditur quidem directa coniugii abolitio, sed indirecte tenditur ad falsificandam ideam catholicam, ad subducendum illud omni supernaturali influxui, ad illud profanandum, ad illud tamquam superfluitatem sistendum, et vocem sensu vacuam. Dum ex una parte ad credendum obtruditur, quod christianum connubium non amplius regatur super antiquis fundamentis a Religione et iure naturae petitis, alia ex parte cogitatur de innovatione ab imo ad summum, aut adminus de adferendo eidem sufficienti sustentaculo per contractus mere

legales, atque istud, quod ex aeterno et divino decreto sanctum est, relegari intenditur ad auctoritatem et vim humanam, quae secundum eos arbitra et dispensatrix moralitatis, et ad tempus novae institutionis nuptialis creatrix foret. Sacramento magno, per quod sibi coniuges ad pedes Altaris irrevocabilem fidem sanctae concordiae iurant, et spirituales gratias ac dona superna consequuntur, queis confortantur animi, et munda redduntur corda a vili appetitu, substitui intenditur constitutio familiae et matrimonii simpliciter civilis, pactum humanum in profana aula in conspectu laici magistratus formatum. In praesentia periculi adeo gravis pro animabus vestris, Filii in Christo Dilectissimi, ad vos a structis taliter insidiis tutandos, obligationem sentimus exponendi hic doctrinam Catholicam de Sacramento Matrimonii, ut cognoscatis, quam vanae et futiles sint rationes, e quibus introduci desideratur inter nos ea, quam nominamus, lex de matrimonio civili, et tandem indicabimus vobis disordines et scandala, exinde sequi queuntia.

Ab origine temporum Matrimonium fuit actus religiosus et sacer; quod evidenter est demonstratum ex historia generis humani, ubi refertur, quod ipse Dominus constrinxerit nodum coniugalem primorum patrum, dando eis in virtute et gratia benedictionis suae ius propagandi speciem suam usque ad consummationem seculorum. Non est bonum, ait Creator, homini esse solum, fecitque ei in muliere adiutorium simile sibi, quam ei praesentavit, dicens: crescite et multiplicamini. Adamus sublimitatem et sanctitatem officii a Deo instituti intellexit, videndoque sociam suam in haec verba prorupit: „Hoc est os de osse meo, et caro de carne mea, et vocabitur virago, quia de viro formata est, propter quod relinquet homo patrem et matrem et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una.“ Quae verba generationis humanae pater non ideo solum protulit, ut suum consensum in primum coniugium Paradisi enunciaret, sed ad significandum, iuxta doctrinam Doctoris Angelici, quod illustrata lumine superno mente comprehenderit, et futuris seculis annunciaverit institutionem a Deo consummatam. Taliter inde a primordiis generis humani, quisquis se ad statum matrimonialem determinat, consen-

tit in officium a Deo praestabilitum; non ille creat iura et officia, nullo modo ea sive commutare sive restringere potest, cum non sit in facultate hominis divinam institutionem innovandi. Hinc aperte patet matrimonium inde a suo principio ordine altiori, quam sit humanus, collocatum fuisse, per consequens ad arbitrium hominis, aut cuiuscunque profanae auctoritatis haud pertinere regulationem formae illius, ast ad illud dumtaxat divinum Ministerium, cui Deus concredidit spiritualium suarum dispositionum implementum. Universi terrae populi, qui vestigia primitivarum traditionum conservarunt, semper qua sacrum considerarunt coniugium, ritus eorum et liturgiae invocationem propitii interventus Divinitatis super illud, praescripseruut. In lege naturae capita familiarum dirigebant, et vigilabant super sanctitate nuptiarum, ut erant sacri ministri sub tecto domestico. In lege scripta Deus ipse docuit ritus, ope quorum constringendus erat nodus coniugalis; ritus sacri et inviolabiles, super quibus Iudices et Reges Israelis non aliud tenerunt ius, quam respectum exigere, et observantiam eorumdem. Unice inter gentes in stultissima polytheismi superstitione delitescentes, in ratione, qua ab incunabulis generis humani elongabantur, et disparebant notitiae primae Revelationis, reperitur quandoque obscuratum, et oblivioni traditum divinum illud sigillum, quod fuit ad consecrationem unionis maritalis destinatum; sed ut primum legislatores civiles inceperunt suas ferre ordinationes, eamque suae subiicere auctoritati, matrimonium fuit degradatum, et contaminatum innumeris immunditiebus. Ignorarunt divinam eius institutionem, in coniugio non aliud conspexerunt quam calculum complacentiae et lucri, sanctissimae humanae et divinae rationes conculcatae; plena licentia fornicationis et concubinatus data; maritus tyrannus, mulier mancipium, proles abiectae merces, familia sub paterna auctoritate sclava, parietes domestici durus, et probrosus carcer. Tale fuit matrimonium humanis doctrinis regulatum; sic legislatores nationum ethnicarum comprobaverunt, quantus sit eorum valor in regulando matrimonio, a supernaturali influxu subtracto; monstraverunt seculis effectus suae incompetentiae in missione eis a Deo haud commissa. In pleni-

tudinc temporis Iesus Christus dominus noster descendens de sinu Patris ad redimendam Adami progeniem peccato perditam et in tenebris errorum delitescentem, ordinem moralem restauraturus, revocavit matrimonium ad primam suam institutionem, remittens illud ad divinam auctoritatem, proclamando, Illum ipsum fuisse, qui constrinxit vinculum matrimoniale unum et indissolubile; sustulit polygamiam et divortium Israelitis dumtaxat ob duritiem cordis permissum, quamvis a principio non fuerit sic. Necdum satis. Non contentus misericordissimus Salvator matrimonium primae suae integritati restituisse, volens illud peculiaribus gratiis, et beneficiis, queis adeo opus habet, locupletare, actum hunc adeo momentosum et grandem elevavit ad eminentissimam dignitatem, constituendo illud unum e septem novae legis Sacramentis. Sanctitatem illius, iura et obligationes exponit Apostolus, vocans illud Sacramentum magnum et symbolum unionis Iesu Christi cum sua Ecclesia. Mulieres, scribit ille ad Ephesios, subditae sint viris suis sicut Domino, quoniam vir est caput mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiae.... Igitur sicut Ecclesia est subiecta Christo, sic mulieres debent esse subditae viris suis in omnibus. Viri diligite uxores vestras sicut Christus dilexit Ecclesiam, et semetipsum tradidit pro illa... Sic mariti diligere debent uxores suas tamquam propria corpora; qui diligit uxorem, diligit semetipsum. Nemo enim odio habuit carnem suam, sed eam nutrit, et curam eius habet, sicut facit Christus cum Ecclesia. Et nos sumus membra illius corporis, de carne eius, et de ossibus eius. Propter quod relinquet homo patrem et matrem et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una. Hoc Sacramentum magnum est, dico, in Christo et Ecclesia. Matrimonium igitur christianorum vocatum fuit ad repraesentandum Christi cum Ecclesia connubium; e simplici officio naturae transmutatum est in actionem magis, ac unquam fuerit, eminenter religiosam, in factum supernaturale, in symbolum tenerrimi mysterii. Non tantum unit duo corda reciproco affectu repleta, sed amorem hunc elevat, sanctificat, cumque efficit vivam expressionem et directam participationem caritatis, qua Unigenitus Dei diligit Eam, quam sibi desponsavit in sangvine suo. Est elevatum,

ut sit signum et instrumentum efficax gratiae, animam sanctificantis, et interiores potentias ad actus virtuosos et meritorios pro vita aeterna confortantis. Vir et mulier coniungendo semet invicem mediante hoc vinculo, non sunt iam duo paciscentes in humano contractu, sed duo dispensatores in mysterio divino, duo ministri Sacramenti magni.

Haec fuit omni tempore doctrina catholica, et dum dissidentes seculi decimi sexti ad eam impugnandam consurrexissent, Ecclesia in oecumenica Synodo Tridentina coadunata definivit: „Si quis dixerit, Matrimonium non esse vere et proprie unum e septem legis evangelicae Sacramentis, anathema sit." Qua actus e divina institutione supernaturalis et sacer, cadit evidenter sub potestatem Ecclesiae, et ad eam spectant inappellabilia iudicia super controversiis de argumento hoc obortis. Sic definivit idem Concilium Tridentinum his verbis: „Si quis dixerit causas matrimoniales non spectare ad iudices ecclesiasticos, anathema sit." Non defuerunt homines, qui etiam post definitionem adeo claram et peremtoriam praetendebant, non omnes causas matrimoniales fuisse devolutas ad forum ecclesiasticum; sed Pius VI. sanctae memoriae PP. reiecit quamcunque exceptionem, et declaravit „Soli Ecclesiae, cui exclusive concredita est cura Sacramentorum, competere omne ius et omnem potestatem assignandi formam propriam huic contractui, ad sublimem Sacramenti dignitatem elevato." Et hic, V. F. et F. in Christo D. est officium nostrum vos reflectendi, ut attente ponderetis, qualiter secundum enunciata principia, alioquin omni dubio superiora matrimonium sit necessario *unum*; si quis in abstracto mentis conceptu distingvere vellet contractum a Sacramento, distinctio haec realis non esset propterea, quia contractus ipse est illud, quod constituit Sacramentum. Non definivit Concilium Tridentinum institutum esse Sacramentum ad sanctificandum matrimonium, sed, istud ipsum esse proprie Sacramentum. Et ubi idem Concilium praescribit, ne ullus audeat vinculum coniugale inire nisi in praesentia parochi proprii et testium, non dicit, quod qui ausus fuerit secus facere non suscipiet Sacramentum, sed irritus et nullus erit ipse contractus. Verum itaque est, quod inter contractum et

Sacramentum practice nulla possit fieri distinctio, quia et unum et aliud, et ambo sunt christianum coniugium. Per consequens nullum in casum possunt fideles contrahere matrimonium sine Sacramento, quia unum ab alio dividi nequit. Audite hic augusta Pontificis Ecclesiam Iesu Christi actu gubernantis verba, quae doctrinae nostrae sigillum imprimunt: „Est doctrina Ecclesiae catholicae, sic docet ille, quod Sacramentum non sit accidentalis qualitas contractus, sed est de essentia matrimonii ipsius, quoniam coniugalis unio inter christianos non est legitima, nisi in matrimonii Sacramento, extra quod non est, nisi merus concubinatus. Lex civilis, quae supponit divisibile pro catholicis Sacramentum a contractu matrimonii, praetendens regulationem validitatis huius, contradicit doctrinae Ecclesiae, invadit inalienabilia eiusdem iura, et practice aequiparat concubinatum Sacramento matrimonii, sanctionando qua legitimum, unum et aliud." In ultimis hisce verbis communis Patris, et magistri Ecclesiae universae videtis F. et F. D. aperte reprobatas certas doctrinas, quae subvertunt veritatem et sanctitatem nuptiarum christianarum, et succolant proiectum legislativum secularisationis et falsificationis matrimonii, condemnatas a fide, morali, et scientia. In gremio societatis catholicae, proiectum legis, quod praetendit independentem ab Ecclesia regulationem capacitatis contrahentium matrimonium, solemnitatis contractus, validitatis consensus, impedimentorum illud annullantium et dirimentium, proiectum legis huiusmodi, debuisset reiici per universalem conscientiam, qua tale, quod excedebat competentiam auctoritatis Status, et intrabat in mysticum Ecclesiae campum, invadendo iura illius. Quis autem id sustineat et credat id acceptari posse salvo principio catholico? et praetendat, ordinationes civiles coniugium profanantes adoptari debere, tamquam a libertate conscientiae desideratas? Consideremus per summos apices, praetextus, et ponderemus consequentias.

Lex, dicunt, separando contractum a matrimonio, obligat omnem in conscientia. Non examinabimus hic, usque ad quod punctum legislatio in respectu morali liberam debeat permittere actionem civium, id enim limites excederet huius nostrae

Instructionis — saltem respondebimus, quod lex separando contractum a Sacramento, etiamsi in obsequium conscientiae nostrae, finiatur cum offensa et insultatione huius. Sola separationis huius idea pro nobis catholicis, qui eam cum fide identicam tenemus, est antireligiosa, falsa, laesiva conscientiae, quao praescriptionem matrimonii civilis considerandi habet ius, qua mensuram oppressivam duas personas subiugans vinculo, in quo nullam habent fiduciam. Lex proiectata non praescindit a Religione, sed eam aperte ignorat et vilipendit, profitendo, validum esse matrimonium, quin sit Sacramentum, et urgendo in nonnullis casibus permanendi in statu per fidem nostram graviter reprobato. Sic, qui praemissa intelligit, comprehendit, quod imponere nobis velle sic diotum matrim. civile sub praetextu libertatis conscientiae, idem sit ac nobis inferre tremendam et dolorosam iniuriam. Quis non videt, quod libertas haec in offensam catholicae fidelium convictionis degeneraret, et in licentiam paucis incredulis et immoralibus datam ad explodendas praescriptiones religiosas. *Sed liberum est catholico quemadmodum omni alteri recurrere ad ritum, qui vinculum suum coniugale convalidet modo per religiosam suam convictionem deposto.* Respondemus, quod libertas conscientiae catholicorum non id solum quaerat, ut possit libere accedere ad Sacramentum iuxta disciplinam Ecclesiae, sed etiam ne quid opponatur conscientiae illius, quae firmiter tenet, unicam formam sacramentalem esse qua constringi potest; et habet ius praetendendi, ne provocetur ad actum, qui involvit implicitam acceptationem principii, quod etiam extra ritum catholicum possit valide obligari matrimonio. — Dicitur, matrimonium religiosum permitti. Sic est, permittitur actus, cui eodem momento omnis valor negatur. Haec est tolerantia et non permissio in sensu legali. Dicitur permissum matrimonium religiosum; ast nos maiori iure possumus asserere, quod idem per legem propositam vetetur, dum in certis casibus adminus indirecte prohibetur benedictio unionis propter impedimenta ad lubitum statuta, aut dum exercitium iurium inhibetur, si coniunctio haec non fuit legalisata. In genere, qui attente considerat, comperit, quod dum declaratur, quasi libertati conscientiae

favor exhiberetur, eiusdem iura violentur; dum dicitur matrimonium religiosum permitti, in multis casibus, saltem indirecte illud impediri. Potestne dari clarius mendacium pro fide, ratione, bono iure, et scientia? Spiritus porro, qui totam illam propositam legem regit, consistit in sequentibus verbis praefatas contradictiones involventibus: *Lex matrimonium considerat unice in suis relationibus civilibus, in respectu habendo obligationes per Religionem impositas, pro emolumento societatis determinat conditiones capacitatis, et formae pro eius valore et efficacia in iisdem relationibus.* Sed prima pars huius articuli, in qua dicitur, quod lex matrimonium consideret *unice in suis relationibus civilibus*, offendit conscientiam catholicam, quae identitatem profitetur contractus et Sacramenti, indebitam facit abstractionem, ad introeundum facto ipso in sanctuarium Religionis. Pars altera declarans *respectari obligationes per Religionem impositas*, non implet promissum, quia licentiam tribuit cuivis eas violandi; et magis protegit vivere volentes extra matrimonium legitimum. Tertia, quae *determinat conditiones capacitatis et formae propter validitatem et efficaciam matrimonii*, supponit validum id, quod non est; attribuit Statui potestatem, qua destituitur, idque semper in oppositione cum doctrina catholica. Super haec dividit, quod separari nequit, facit abstractionem ad realiter dominandum, super actu, qui non potest esse nisi sacramentalis et divinus. Auctoritas humana, quae in societate catholica, in matrimonio disiungere vult contractum ab elemento religioso, redditur illogica, usurpatrix et tyranna, quia subducit illud conditionibus legis divinae, in quo non habet facultatem dispensandi; separat a forma sacramentali, quam Ecclesia docet existere, ubicunque validum et verum est coniugium; et post haec adiungitur, quod *obligationes religiosae respectentur. Sed dum Status insuperhabere nequit argumentum adeo momentosum, uti est formatio familiae, debet leges ferre uniformes, cunctis civibus adplicabiles, quaecunque sit religiosa eorum fides.* Quod sub aegyde Legislationis in fronte gerentis: ‚Religio catholica, Romana est unica Religio Status,' haec ipsa parificetur cum secta Quackerorum, Mormonum, non inquirimus. Assumimus dumtaxat oppositionem quae facta est. Dicitur,

quod Status non possit insuperhabere familiam. Et quis hoc controvertit? Sed admittere, quod familia debeat esse inevitabiliter obiectum legis civilis, importat forsan conclusionem, de plenitudine iurisdictionis suae super matrimonio christianorum? Fuitne unquam negata civili potestati iurisdictio super coniugio et familia, quantum ad effectus civiles? Non est plenus consensus tributus huic effato: „Retineat Caesar, quod suum est, scribebat immortalis Pontifex Pius IX. supracitato loco, et relinquat Ecclesiae, quod ad illam pertinet. Disponat civilis potestas de effectibus civilibus, qui e nuptiis derivantur, sed permittat Ecclesiae regulare validitatem inter christianos.“ Status debet ferre leges uniformes — sit; ast debet una tueri iura cuiusvis in constringendo nodo coniugali, quem solum reputat validum, efficacem, virtuosum. Ius hominum uniendi semet vero matrimonio est antiquius societate civili, et ab ea independens, quia propagatio generis humani est instituta a natura et Creatore prius quam formatio civilis convictus. Homines in ordinata societate uniti non potuerunt spoliari hoc iure, sed tantum liberum eius exercitium regulari potuit. Quia nec in medio paganorum potuit Status se ingerere in nuptias subditorum, nisi intendere observantiae legum naturae, easque in reverentia tenere. In societate christiana connubium divina auctoritate factum est Sacramentum, potestas socialis defendendam habet libertatem actus sacramentalis, cumque in sua forma, quam contrahentes reputant validam, acceptandum. Istud requisitum nostrae libertatis, et nostrae fidei. „Lex civilis, continuat idem Pontifex, apprehendit limites validitatis aut invaliditatis matrimonii, ut per Ecclesiam determinantur, et hinc procedendo, disponat de effectibus civilibus.“ Conditio, quam Gubernium desiderare posset ad placidandam iurium coniugalium tutelam, esset nuptiarum notorietas, declaratio contrahentium se esse coniugio unitos, non legis nomine, sed e convictione propriae conscientiae. Et quae solemnior declaratio, ac illa, quam Ecclesia emittit de celebrato Sacramento? Hac ratione attributa Status certe multum restringerentur, essent attamen cohaerentia. Aut non loquendo de libertate conscientiae et Religionis respectu, declaretur aperte esse voluntatem oppo-

nendi convictioni contrahentium ut nuptias christianas iis iniungendo qua efficacem actum talem, qui pro iis non est talis; aut recedendo a respectu conscientiae et reverentia Religionis adoptentur etiam consequentiae. Quid absurdius lege, quae enunciat non posse desiderari a catholicis observantiam ritus christiani, utut universaliter vigentem, idque e timore ne eorum conscientia violetur; et dein faciendo congeriem civilem rituum et canonum, eos obligare ad actum, qui secundum eorum conscientiam non solum omni valore caret, sed et principia involvit, per eos reprobanda. Intelligimus nos, qualiter in Anglia per admissas libertatis doctrinas partium optioni relinquitur celebratio religiosa aut civilis matrimonii, unam et aliam recipiendo qua legalem, adminus salva est logica; sed non intelligimus, quomodo ad favorem libertati conscientiae, et reverentiae Religionis exhibendum, possit disscindi id, quod iuxta conscientiam nostram christianam est identicum et indivisibile, quomodo offendi societas catholica, et Ecclesia quae est mater et magistra?

Multa alia possemus his adiungere F. et F. in Christo D. ad demonstrandum, quod proposita lex sit illogica et oppressiva, libertati conscientiae contraria, doctrinae catholicae adversa, non habens aliud fundamentum quam spiritum secularisationis, et statolatriae, qui repudiare, et exauctorare intendit (quidquid praesceferant verba) Ecclesiam, in gratiam omnipotentiae Status; sed hoc prolixum foret, et nos egrederemur limites simplici instructioni praefixos. In vicem horum, sumtis in considerationem maleficis effectibus e principiis his, ubi adplicita fuerunt in legislatione, uti Gallia, *) Belgio et alibi, promanantibus, pauca dicemus de deplorandis consequentiis, quas intueri cogemur, postquam apud nos ad-

*) In Gallia sola pia societas S. Francisci Regis, ab a. 1826 usque 1. Ianuarii 1843 effecit, ut 9877 matrimonia illegitime inita, fuerint benedicta, sicque 19754 individua ad viam Religionis et bonorum morum reducta. Non recedo procul a veritate asserendo, intra idem tempus 8000 filios naturales, beneficium legitimationis recepisse. Descuret, *Medicina delle passioni* etc. apud Scavini *Theologia Moralis Universa*, tom. 3. Mediolani. 1858, pag. 674.

optata fuerint. Autocratia legis offerendo fidelibus emancipationem ab auctoritate spirituali, efficiet, ut pars eorum magis immoralis et destructa terminet cum proprio emolumento, proiiciendo se post aggerem omnis officii christiani; sufferet societati nuptiali basin religiosam, familiam profanabit. Habebimus duas potestates, Status nempe et Ecclesiae, unam et aliam independentem, quae regulando quaelibet suis legibus unum idemquo obiectum, haud raro in lucta inconciliabili deprehendentur. Hinc habebimus matrimonia per Statum pro validis, per Ecclesiam pro invalidis reputata, alia per hanc pro validis, per Statum pro nullis habita. Obligabuntur personae secundum conscientiam et Ecclesiam semet separare, et per Statum ad convivendum obstrictae praeclusa iis plane ad poenitendum via; ex adverso erunt aliae, quae canonice unitae in conspectu Ecclesiae, sed civiliter liberae, ad novas procedent nuptias, quas Religio ut adulteras reprobat, Status pro legitimis tenet. Proles pro Ecclesia legitimae, non tales per legem, filii per Statum legitimi per Ecclesiam illegitimi reputati; his paterna haereditas, illis per fidem benedictis miseria, fames, spoliatio. Perturbatio familiarum, confusio iurium, odia, maledictiones, agitationes conscientiarum, tentationes ad praevaricationem, collisiones tribunalium, contemtus auctoritatum, scandalum debilium, concubinatus, illegitimitas, horrenda immoralitas; ecce, Filii carissimi, fructus, quos ex institutione matrimonii civilis colligemus. Delete ideas religiosas maxime fundamentales, eo minus subibit moralitas parietes domesticos, et historia familiae reddetur relatio scandalosa, proles in schola malorum et contagiosorum exemplorum educata, malum inibi haustum toti communicabit societati, quae in elemento christiano securitatem officiorum socialium amissura est. Deus imperium suum stabilivit super vinculo per familiam progenerato, extendendo ligamina eius, quae colligent societatem civilem a familia productam, sed si homines de potestate humana Deum e familia eliminent, consequetur, ut etiam e societate civili eliminetur. Legislatores terrae! audite verbum, quod enunciamus, utut persvasi illud apud multos cum contradictione excipiendum, sed convicti, vocem

veritatis et iustitiae nonnisi cum ultimo hominum exstinqui posse. Si vos normas vitae civilis terendo, reverentem vitae religiosae respectum non habueritis, nunquam facietis populos in melius progredi, non erit in vobis vera sapientia legislativa, sed importuno et temerario tumultu degradabitis dignitatem ipsam legislationis oblivione principiorum Religionis, et antiqui sensus. Peior adhuc tendentia hodiernae heterodoxiae est forsan subversio et profanatio veritatis et sanctitatis coniugii, et substitutio matrimonii fabrinae vestrae operi Dei. Ast intellectus hominis nunquam se impune erigit contra leges Aeterni. Puniretur societas per consequentias huiusmodi sacrilegi ausus, quia matrimonium civile, quo nobis infaustum fecistis donum, fiet munimen impietatis; sub velo institutionis mere politicae recognoscerentur omnes doctrinae immorales et irreligiosae, unde succuteretur dogma et virtus christiana. Et non solum atheus ac incredulus uteretur legali facilitate formandorum connubiorum, sed etiam fideles successive perniciosis exemplis animati proderent inclinationes ad uniones clandestinas et concubinarias, taliterque desolari oporteret societatem domesticam, religiosam et civilem. Misericors Deus dissipet praesensionem nostram, nosque salvet a politicis institutionibus huius indolis! Velit Deus, ut tandem audiatur lectio rationis christiano-civilis!

Quantum ad vos, Filii in Christo Iesu carissimi, cogitatio nostra, sollicitudo, et amor noster, vos obsequentes doctrinae Ecclesiae Catholicae, Apostolicae, Romanae, et Augusto ac Summo Pontifici, qui Pater nobis et magister est, progredimini in simplicitate vestrae fidei; videte, ne seducamini novitate doctrinae, et externa theoriarum specie, quibus abduceremini ad negationem, aut adminus irreverentiam iuris divini, ad servitutem conscientiae, ad offensam sacrae institutionis matrimonii unius et indivisibilis. Filii benedictionis nuptialis impertitae patribus vestris ad pedes Altaris Dei, per quam recognoscitis legitimitatem originis vestrae christianae, veneremini magnam legislationem catholicam circa coniugium, quam Ecclesia decursu octodecim seculorum in basi iuris naturalis, et institutionis sacramentalis Christi proposuit. Non potest oppugnari nisi ab intellectu

seducto, vel levi. Fors seducentur homines a potentia, existimantes contra eandem se triumphaturos, aut increduli ob emancipationem ab auctoritate religiosa; sed vos, qui intelligitis altitudinem et sanctitatem Sacramenti magni in Christo et in Ecclesia; vos, qui scitis usurpationem sacrilegam esse omne attentatum adversus eam; vos, qui diligitis iugum Apostolici ministerii, ut leve et suave, quod non alio tendit, quam ad purificandam et sanctificandam vitam humanam ab incunabulis usque ad sepulchrum; vos gratia Dei non seducemini a doctrinis, quae e Sacramento nuptiali contractum civilem, ex familia legalem concubinatum facere intendunt. *Gratia Domini nostri Iesu Christi, et caritas Dei, et communicatio Spiritus sancti sit cum omnibus vobis;* interea qua pignus dilectionis nostrae, et desiderii vestrae salutis Benedictionem Pastoralem vobis impertimur. Mart. 1861. — (*Ex Actis publicis.*)

Mon. 235.

Declaratio Episcoporum Umbriae super proiecto de matrimonio civili. 1861.

Reformatio matrimonii christiani, ut hodie in Italia proponitur, per eius subiectionem imperio et arbitrio civilis auctoritatis, non est innovatio merae formae, sed ipsius principii, et veri momenti religiosi, quia agitur de materia per se essentialiter sacra, spirituali hominis christiani, et familiae christianae bono iuncta. Ordinatum est a Deo matrimonium ad tres distinctos fines, bonum quippe naturae, Communitatis, et Ecclesiae, subiacet autem secundum respectiva officia dictamini iuris naturalis, civilis, et ecclesiastici. Consideratum in ordine naturae prius est omni humana associatione, in ordine gratiae, per Divinum Reparatorem est ad Sacramentum elevatum; officium, qua potestati civili ligatur, non potest extendi, nisi usque relationes extrinsecas, mere sociales; pro intrinsecis proprietatibus remanens sub imperio iuris divini naturalis et revelati. Unde principatus civilis illud pro bono societatis coordinaturus, determinare poterit effectus

civiles, sed non potest alterare substantiam; nec se regulatorem constituere vinculi et institutionis, ab ipso originem non habentis, nec efficaciam et firmitatem percipientis. Exeundo ultra hunc limitem, invadit regiones alienas, et producit inter Ecclesiam et Statum scissuras et conflictus, religiosam populorum conscientiam conturbantes. Tres politicarum reformationum species, et tres scissionis gradus intra brevius ac unius seculi tempus vidimus in regionibus catholicis in causa Matrimonii: formam exclusive civilem matrimonio religioso substitutam; Matrimonium religiosum acceptatum, sed auctoritatem regulandi prius conditiones substantiales, etiam in oppositione cum Canonibus Ecclesiae principatui civili delatam; Matrimonium religiosum cum Canonibus ecclesiasticis, quibus gubernatur, utut praescriptis quibusdam formis extrinsecae legalitatis. Quaestio religiosa in omnibus et tribus hisce stadiis iam decisa fuit: solemnes Sedis Apostolicae declarationes, Episcoporum reclamationes, vox catholicarum conscientiarum idgenus innovationes, idgenus invasiones reprobaverunt. Est sane deplorandum, quod ministeriale proiectum, ad faciendum hodie peregrinae legislationis de matrimonio Italiae donum, ad reprobatum sensum revertatur; imo ad scopum suum praeeligat primam e veteribus reformationibus, quae est summe anticatholica et exitialis, quia effabricat matrimonium per omnia profanum, separando illud ab elemento religioso. Qui rite consideraverit spiritum, non potest non recognoscere hic inspirationem *rationalisticam*, quae via lata procedendo occupat ordines sociales; aut vero influxum contagii *protestantici*, hodie impune illati ad ipsa catholicismi incunabula. Quanti adhuc sincero feruntur amore erga venerandam patrum suorum religionem, et optant verum patriae suae emolumentum, et lamentati desuper sunt tamquam publica calamitate, et vox multorum sacrorum Pastorum audita est ad depellendum hunc novum ictum a communis Matris Ecclesiae sinu, plurimis aliis modis concussae et pressae. Ad nos eo magis pertinebat obligatio loquendi, non solum ut fideles nostri tempestive edoceantur et confirmentur in recta fide de matrimonio christiano, sed

etiam, ne silentium nostrum possit unquam sumi, tamquam tacita confirmatio infaustae reformationis, postquam hae provinciae Umbriae primae habuerunt infaustum privilegium subeundi hac in parte experimenti. In solemni protestationis ad R. Gubernium Taurinense interpositae actu, inter alias lamentabiles innovationes in damnum Religionis et Ecclesiae factas, hanc etiam attigimus specialiter, tamquam offensivam sensus catholici et dignitatis Sacramenti. Verba nostra receperunt tamquam sigillum ratihabitionem ex ipso ore Summi Pontificis, qui diebus illis ex excelso Vaticani loco inter alias causas paterni doloris hanc quoque deploravit. Nunc *stricto examini subiiciemus ministerialem propositionem. Speramus nos ad evidentiam posituros eiusdem incompatibilitatem cum principio et professione catholica.* Quisquis praeoccupatus et perversus non est ad repudiandam omni pretio veritatem, facile persvadebitur de hac repugnantia; dummodo legali et maturo consilio consideret hoc civilis reformationis proiectum, 1. *in suo conceptu*; 2. *in sua origine*; 3. *in suis motivis;* 4. *in principalibus suis dispositionibus*; 5. *in suis practicis sequelis.*

I. Conceptus. Catholicum gubernium, nisi mentiri velit sibi ipsi, et contemtum inferre fidei subditorum, conveniens est, ut admittat, unionem coniugalem a Deo esse, qui eas in primo homine benedixit, et in nova lege Sacramento sanctificavit; dispensationem item divinorum donorum et Sacramentorum non Statui, verum Ecclesiae delegatam haberi. Quapropter in condendis super Matrimonio legibus extra binos hos limites egredi nefas: 1. in Matrimonio respicere opus Dei, et quod sit Sacramentum; 2. permittere, ut Ecclesia determinet, quoad opus est pro effectuatione Sacramenti. Doctrina dogmatica est, quod „Matrimonium sit vere, et proprie unum de septem legis evangelicae Sacramentis a Christo Domino institutum, et non ab hominibus in Ecclesia inventum, et conferat divinam gratiam, ut alia Sacramenta.“ Unde apparet, quod Christus non instituerit Sacramentum distinctum ad sanctificandum Matrimonium, illudque qua consecrationem contractui adiungendum, sed Matrimonium ipsum

elevavit ad Sacramentum. In conceptu christiano Sacramentum et contractus non sunt duo realiter disiuncta, sed unum dumtaxat ens; Sacramentum non est qualitas accidentalis et accessoria, sed constitutivum substantiale et coëfficiens Matrimonii. Hinc perspicitur, quam dissentaneum sit a doctrina catholica systema separationis contractus a Sacramento, et quali fundamento S. Sedes diebus nostris declaraverit, quod „dum lex civilis supponendo divisibile pro catholicis Sacramentum a contractu Matrimonii, regulare praetendit validitatem, contradicat doctrinae Ecclesiae.“ Dogmatica pariter veritas est, quod inter potestates a Deo Ecclesiae collatas, sit etiam illa intendendi custodiae et dispensationi suorum Sacramentorum, et ordinandi, — salva eorum substantia, — quantum eorum venerationi et spirituali fidelium emolumento expediens videbitur. Charactere Sacramenti divinitus ornatum Matrimonium ascendit ad ordinem supernaturalem, et subivit sphaeram eorum sublimium officiorum, pro quibus omnis terrena potestas inevitabiliter est incompetens. Legislatio civilis in Statibus Sardis vigens, in facto Matrimonii continebat se intra hosce limites. Gloriosum testimonium Religionis et Monarchae et populi illius reddunt nobiles sensus, qui in fronte Codicis leguntur: „Religio Catholica, Apostolica, Romana est sola Religio Status. — Rex sibi gloriae ducit se esse protectorem Ecclesiae, et promovere observantiam legum eius in obiectis, quae ad potestatem eiusdem pertinent. Matrimonium celebratur iuxta regulas, et cum solemnitatibus per Ecclesiam catholicam praescriptis, salvis iis, quae stabilita fuerunt respectu non-catholicorum et hebraeorum.“ Dolet videre, quod hodiernum proiectum, omissis adeo venerandis vestigiis, ingrediatur viam ex toto oppositam. In eius conceptu matrimonium sublimi charactere Sacramenti nudatur, et recidit ad sphaeram humanarum institutionum, et socialium tractatuum. Praesidio iuris divini substituitur infirmum et mutabile vadimonium iuris positivi, et sacrae auctoritati Ecclesiae succedit dictatura Status. Uno verbo: proiectum hoc imponit subditis catholicis talem celebrationis formam, quae matrimonium illorum aequiparat illi protestantium, hebraeorum et paganorum, aut plane in sua flexilitate

accomodatur perversis eorum dictaminibus. Dicitur quidem in cardinali articulo proiecti, quod lex regulationem matrimonii apprehendat unice quoad respectus civiles, determinans conditiones pro bono societatis, et quod intendat in respectu habere obligationes per Religionem impositas. Sed affirmatio haec non regit oculum eius, qui mente quieta pervestigat spiritum et contextum. Subingreditur proiectum intimas rationes vinculi, facitque se absolutum et privativum arbitrum. Non recognoscit validitatem matrimonii religiosi, utut omnibus essentialibus conditionibus contractus et Sacramenti praeditum. Imo vetat et punit illud, si non habeat formas civiles. Aditum praebet et favorem matrimoniis religiose illicitis. Favorem exhibet et sustentat, quae religiose nulla sunt. Deludit conscientias simulata validitate. Tacite proscribit interventionem religiosam etiam pro effectibus Sacramenti. Fucum facit quasi rationem haberet elementi spiritualis, dum aliqua impedimenta indolis ecclesiasticae acceptat, et cum arida exhortatione insinuat contrahentibus benedictionem contractus. Sed haec est proba intrinsecae suae absurditatis et inconsequentiae, non autem reale argumentum de respectu Religionis; postquam lex ipsa plenam praebet securitatem vitioso contrahenti, qui praetermittit obligationem religiosam et assumit coniugalem convictum in contemtum legis Dei.

II. Origo. Historia testatur, quod systema civilis matrimonii in regionibus christianis tunc sit in medium productum, dum catholicum dogma de Matrimonii Sacramento fuit oppugnatum vel aperte per incredulitatem et haeresin, vel fraudulenter per sophismata larvatorum reformatorum. Auctores et sustentatores huius systematis ad unam vel aliam classem pertinent. Primus erat reformationis protestanticae coryphaeus *Lutherus*, qui Matrimonium e numero Sacramentorum e toto expunxit. Haeresis illius, quae gravem in Germania intulit stragem, propagata fuit per apostatam *Zwinglium* in Helvetia, per *Calvinum* in Gallia, per *Bucerum* in Anglia post luctuosum schisma Henrici VIII. Impia eorum doctrina victoriose fuit compressa cum adplausu totius christianitatis per Canones Concilii Tridentini, qui matrimonio coelemets

Sacramenti praerogativam revindicarunt, Ecclesiae autem divinam potestatem regulandi illius oeconomiam. Incredulitas in *Galliis*, triumphos consecuta in truculentis et probrosissimis effroenis anarchiae formis adplicuit matrimonio subversivas *Voltairi* doctrinas, famosa lege de 21. Septembris 1792. In horrenda illa cuiusvis principii catastrophe, quemadmodum catholicismus generatim crudelem subivit persecutionem, legaliter supplantatus per atheismum, sic et matrimonium omni naturali et religiosa honestate spoliatum, resuscitato pagano divortio deformatum. Quis credet, quod ex adeo impuris fontibus possit derivari quidpiam boni pro reformatione in Statu Catholico logislationis super matrimonio? Triumphavit fors periculosa illa et funesta phalanx astutorum reformatorum, qui post haeresin lutheranam hinc et illinc apparuerunt ad proponendam speciosam novitatem super hac materia, prodendo simulationem professionis orthodoxae, et reverentiae Sacramenti? Surrexerunt postmodum semi-lutherani sub ductu apostatae Spalatensis *Marci Antonii de Dominis*, cui successit *Paulus Sarpi* et Parisiensis *Ioannes Launoius*, plagiator Spalatensis apostatae. Non valendo directe negare Sacramentum, dixerunt illi ipsum esse accessoriam rationem contractus, totam deferentes potestati seculari curam moderandi formas, non omittendo Ecclesiae aliud, quam acceptationem passivam et benedictionem contractus, per humanam legem legitimati. Vestigiis eorum institerunt magno numero *Jansenistae*, et *Regalistae*, qui praeterito seculo non parum contulerunt adulationibus suis ad immolandam libertatem, et sacras Ecclesiae rationes propriae ambitioni, et gratiae terrenorum monarcharum. Ad palliandum haereticum germen, et declinanda Concilii Tridentini anathemata, recognoverunt auctoritatem illorum Canonum, sed negarunt eis valorem dogmaticum, indicando eos esse mere disciplinares, dicendoque eos emanasse non e proprio et nativo iure, sed per indulgentiam principum, et remissione iuris maiestatici. Adulativae hae pseudopoliticorum theoriae, quamcunque solide per Scholas catholicas retusae occasionem suppeditarunt infaustis reformationibus in legislatione caesarea, non sine diminutione Religionis, et

perturbatione conscientiarum. Dogmaticum S. Sedis de *Synodo Pistoriensi* iudicium peremtorie profligavit has theorias. Heterodoxum interim semen praesente seculo infausto omine repululavit per opera *rationalistarum* et *doctrinariorum*. Hi a Deo emancipari volentes, substituerunt ei fallacia humanae rationis dictamina; aut reformare cupientes societates catholicas super vestigiis heterodoxis, surrogarunt cultum Status magisterio Ecclesiae; delegerunt pro finibus suis profanationem matrimonii, et proscriptionem omnis ingessionis ecclesiasticae. Et quo facilius seducant incautos, reproduxerunt vetus systema, qua dictamen civilitatis, sub fallaci colore socialis progressus. Si inhonestae tendentiae horum eversorum novercis temporibus repererunt in nonnullis cathedris et tribunis patrocinium, veritati testimonium perhibere debemus, quod, sint Divinae Providentiae laudes, matrimonii christiani causa fors nunquam habuerit tam numerosam, tam firmam et concordem pro defensione seriem, quam aetate nostra admiramur. Impavidi confessores usque ad offensiones, et oppressiones eam sustentarunt coram praepotentia seculi, et autocratia Status. Illustris sapientia et constantia S. Sedis, et vigilans zelus Episcopatus aggerem opposuerunt artibus et violentiis novatorum, et praeservarunt adusque Italiam a venenata peste. Ad cohonestandam originem in vanum adpellarent auctores proiecti ad illas Scholas catholicas, quae certo tempore disputationem suscitarunt circa Ministrum Sacramenti. Altercationes super hoc puncto non firmant fallacem contractus a Matrimonio separationem; postquam etiam in illorum sententia, qui ad tempus opinabantur, Sacramentum compleri praesentia et benedictione Sacerdotis, est certum et inconcussum, quod consensus inter personas legitimas, legitime manifestatus constituat materiam Sacramenti, et quod ad Ecclesiam unicam depositariam divinarum rationum pertineat determinare regulas huiusce legitimitatis: sicut certum et inconcussum est, non posse inter baptisatos iuxta divinum praeceptum contrahi Matrimonium quam sacramentaliter, et virtutem sacramentalem esse substantialiter unitam actui ipsius consensus, qui constituit essentiam unionis nuptialis; eo saltem sub disputatione remanente, an

virtus sacramentalis immediate inhaereat legitimo consensus actui, uti est plurium opinio, aut mediate per benedictionem sacerdotalem qua formam Sacramenti, ut existimabant propugnatores 'alterius opinionis. Omnem in casum est alienum ab una, et ab altera sententia, quod matrimonium inter christianos possit practice considerari qua nudus contractus civilis competentiae, quod possit admitti existentia proprii et veri contractus matrimonii divisim a Sacramento. Abstracta duorum conceptuum, contractus et Sacramenti, distinctio, in concreto disparet, quia substantialiter identificantur, et constituunt unum idemque ens, quod est Matrimonium-Sacramentum, sic a Christo institutum in nova Lege. Theoria itaque illa, cui innititur proiectata reformatio, ex obtutu historico considerata, sufficienter ostendit heterodoxiam suae originis.

III. Motiva. Quibusnam saepefata innovatio, quae plane civilem validitatem Matrimonio religioso denegat, motivetur rationibus? videamus in praemissis proiecti, et ponderemus breviter earum momentum. 1. *Potestati civili incumbit stabilire conditiones legitimitatis Matrimonii et familiae.* Unitas et stabilitas coniugalis unionis, a qua dependet ordo et prosperitas domestica, maius certe fulcrum habet in iure religioso, quod spiritus ligat et conscientias, quod praestare non potest humana lex suis formulis, et extrinsecis sanctionibus. Prius illud tamquam cardinem familiae ponit Sacramentum, posterior contractum. Non negatur potestati civili concursus in sphaera suae competentiae quoad determinandos Matrimonii effectus respectu societatis; sed id praestare potest ac debet respiciendo inviolabilitatem Sacramenti, et retinendo pro basi, quod unio coniugalis inter christianos non habeat existentiam et efficaciam Matrimonii extra Sacramentum. 2. *Civilis potestas cupit revindicare iurisdictionem ad se pertinentem, ast per invasionem potestatis religiosae, aut voluntariam cessionem perditam.* Quod a parte potestatis religiosae usurpatio locum unquam habuisset, est propositio, quae defectu probae etiam historicae laborat. Proiectum hac in parte recidit in manifestum errorem, quia procedit e supposito, quod

contractus matrimonii inter christianos resolvatur in simplicem ritum religiosum (ut quaelibet benedictio rei profanae) dum interea est Sacramentum, id est actus, qui ex ordinatione divina virtutem habet significandi et producendi gratiam, et per consequens essentialiter sacer et religiosus, necessario ad Ecclesiam pertinens. Invasionem ex adverso committit potestas civilis volens transformare opus Dei, secularisando Sacramentum, sibique arrogando iudicium, quod sibi commissum non habet. Non potest pariter conciliari cum rei natura et cum facto alia affirmatio delegationis, aut indulgentiae Principatus civilis relate ad Ecclesiam, et est in oppositione cum dogmaticis definitionibus et dictamine catholico. 3. *Libertas conscientiae.* Si cum hac libertate, (cuius conceptus est diebus nostris adeo perfrictus et inversus) intenditur, ut cuivis libertas permittatur satisfaciendi religiosis et moralibus obligationibus propriae suae conscientiae, est proiectum ipsum, quod illam non respicit, imponendo quibusvis indiscriminatim sub poena nullitatis formam novam matrimonii conscientiae catholicae repugnantem, puniendo, qui sine illa celebrat Sacramentum. Libertas conscientiae non est libertas erroris, et si iste aliquando toleraretur, nunquam debet auctorisari per legem. Est error inter christianos, quod sit Matrimonium licitum et validum sine Sacramento, et proiectum id asseverat, non concedendo civilem sanctionem nisi matrimonio profano. 4. *Independentia et separatio Status ab Ecclesia.* Si Status, procul ab eo, ut repraesentet opinionem unius factionis, leges suas conformare debeat religiosae fidei gubernatorum, manifestum est, quod in Italia profanatio matrimonii in effectum abire nequeat sine violentia toti nationi illata. Gubernium non se humiliat, suam potestatem non abdicat et independentiam, sed facit suam obligationem acceptando matrimonium in sensu catholico, qui est sensus verus, sensus universaliter recognitus. Independenter a quacunque separatione aut tractatu inter politicam et religiosam potestatem, Matrimonium semper manet res sacra ex sua indole, quam homo profanare potest, sed non evertere. Res sacra ex sua indole: quia institutionis positivae divinae, directa ad productionem entium rationalium, novorum Dei

adoratorum, ac inde ab origine ad praesignandam ineffabilem unionem inter divinum Reparatorem, et societatem regeneratorum. Deus ipse est, et non Ecclesia, quae formavit Sacramentum, et qui Ecclesiae non autem Statui eius concredidit curam et gubernium. Quomodo potest iam post haec in medium proferri (etiam hypothetice) probrosum dubium de erroribus et abusibus super facto et materia ista? Exitialis theoria *separatismi* Ecclesiae a Statu, quae tendit ad hominem a Deo separandum, et societatem a religione, quantum repugnet principio catholico, quilibet perspicit: posteaquam indifferentismum religiosum auctorisat, existentiam tribuit atheismo officioso, Ecclesiam practice reducit ad statum civilis interdicti, exercitium potestatis paralysat, non secus et efficaciam externarum suarum relationum et influxus. Theoria solemniter condemnata ab omni sincero catholico, et ab Oraculo Apostolico. 5. *Spiritus civilitatis et progressus.* Quaenam est ista species civilitatis, quae facit divortium a religione? Quae se protestantismo associat, ignorando in Matrimonio essentiam et praerogativam Sacramenti? Quae adproximat paganismo, reducendo illud ad formam et ritum contractualem, emtio-venditionalem. Verus progressus contineri debet intra limites veritatis et rectitudinis; nec potest cum gravissimo errore conciliari, in quem conscientias catholicas (in re tanti momenti) trahit proiectum, dum asserit honestatem et efficaciam sui connubii pure civilis, quod coram Deo est damnabilis concubinatus, et immoralitas. Sed dicetur: omnis confessio etiam dissidens debet formam iuridicam matrimonii in codice reperire. Ast quid, fors Italia mutavit Religionem? E Dei gratia non. Credit in Matrimonium-Sacramentum. Et aliunde, si progressus legislationis in eo consistit, ut homines sequatur in omnibus eorum deliriis et seductionibus (etiam possibilibus), poterit venire tempus, in quo, praevalentibus Mormonismi, et Communismi horroribus, matrimonium coram lege politica concidet totum, et resolvetur in legale commercium turpitudinum. Deus praeservet Italiam a tali progressu, a tanto infortunio. 6. *Exemplum aliarum civilisatarum nationum.* Argumentum inductionis non mutat logicum rerum conceptum. Est miserabile effugium,

etiam in facto legislationis, aliorum exemplum, dum probatus est intrinsecus reatus, et disconvenientia actus institutionis in praxin deduci intentae. Non convenit Italiae catholicae exemplum proponere guberniorum, quae de principio aut de facto sunt acatholica, legislationes utut in regione catholica natae, sed sub influxu heterodoxo. Invectum est matrimonium civile in Belgium, ibidemque remanet, post separationem protestanticae Hollandiae, qua dolorosus progressus antiquarum servitutum. Est inductum in aliquos Helvetiae Cantones, qui in manus factionum haeresi infectarum inciderunt. Sed quid dicamus de Gallia? Imperialis Codex inductioni maiorem non conciliat auctoritatem. Articuli de matrimonio (1804 editi) fuerunt modificatio ipsius legis de 1792. haereditas suppressi atheismi, aedificium antiquo caemento reconstructum. Fuit impugnatum iudicio Ecclesiae et suffragio conscientiarum catholicarum; pessimos protulit fructus in detrimentum familiae et moralitatis; in parte aliqua fuit iam correctum, aut practice moderatum; estque in votis omnis recte sentientis credentis reductas videre nuptias christianas ad plenum honorem et puritatem religiosam. Aliunde autem historia contemporanea nobis indicat phases et eventus idgenus reformationum in Germania catholica, retegit nobis eloquente cum comparatione, qualiter forma civilis hodierni proiecti multo magis infesta, et restrictiva sit libertatis religiosae, ac aliae alibi adoptatae per Gubernia protestantica; improbat tandem velleitatem novatorum italorum, opponendo ei nobilem et constantem reiectionem irreligiosi proiecti per Comitia non catholica factam. 7 *Creatio actuum Status civilis*. Ista non est sufficiens causa pro gravissima innovatione matrimonii civilis. Historia perhibet testimonium de ea parte, quam Ecclesia et Clerus habuit in inventione et conservatione registrorum Status apud catholicos. Concilium Tridentinum inculcat parochis redactionem matricularum iuxta normam administrationis Sacramentorum; ritualia determinant numerum et formam; synodi provinciales et dioecesanae commendant custodiam et sinceritatem. Testimonium perhibet historia, quantum contulerint registra canonica pro studiis et progressu Statisticae et publicae oeconomiae. Si deinceps

non habebitur etiam ratio insignis huius servitii, si peritiae et probitati sacri pastoris praeferre placet municipalis registratoris fidem, propterea opus non fuit profanare matrimonium, et imponere profanam celebrationis formam. Legi civili plura occurrunt media obtinendi registrationem connubiorum, prout evenit penes nativitates et obitus, quorum denunciatio apud Officium politicum praescribitur per ipsum proiectum, sed ita, ut per id administratio Sacramentorum non vinculetur, et falx in messem religiosam nequaquam immittatur. 8. *Solutio impedimentorum dirimentium.* Non est facile conceptu, qualiter proiectum cum hac enunciatione praesumat censurare divinam institutionem matrimonii in suis constitutivis Sacramenti; acsi reprehendere vellet mirabilem nexum legislationis canonicae matrimonialis, fructum illuminatorum et profundorum studiorum sapientiae catholicae tot seculorum, et paradigma pro omnibus humanis constitutionibus, et reformationibus legislativis super hac materia. Tribuendo huic argumento sensum quantum fieri potest, mitiorem, apparet, quod proiecti auctores taedeat matrimonium in manibus Sacerdotii permittere, illudque videre exercitiis et cautelis iunctam, eorum sensu superfluis et onerosis. Quis non videt hic absurditatem et contradictionem praetextus? Sacerdotium christianum nunquam sibi indebite arrogavit hanc auctoritatem, cum divina sua missione essentialiter iunctam. Nec potest inculpari arbitrii aut abusus, qui nullum in casum quidpiam concluderet contra sanctitatem, et inviolabilitatem institutionis. Sed est valde apertus huius censurae malevolus spiritus. Effective ipsum proiectum, quod e fontibus canonicis quidquid melioris est haurit, eam evertit, et maiori onere invinculat, in quantum civilis celebratio circumdatur molesto concursu formalitatum, saepe vestitarum solemnitatibus forensibus sufficienter confusis et clamorosis; unde resultat incomprehensibilis difficultas practice providendi in casibus particularibus, in specie dum bonum prolis, honor familiarum, conscientia contrahentium expeditum deposcunt et cantum remedium. Debile ergo est positum fundamentum novo aedificio legislativo. Qui scit discernere et sensu pollet catholico, cum resensu videt speciosam texturam emendicatarum

accusationum et ambignarum propositionum contra sacras rationes et Canones Ecclesiae in praeaddnctis motivis.

IV. Dispositiones principales. Magis adhuc apparet aversio haec, in contextu principalium partium, comparando eum cum theorematibus doctrinae catholicae; unde apertus resultat conflictus; postquam proiectum in male simulato scopo emancipandi ab omni influxu potestatis religiosae matrimonii persistit, et inde omnem smuendo oeconomiam, tamquam rem de pleno suam in patrocinium sumit, obliviscitur plane, quantum humanae legislationes in civilibus relationibus emolumentum perceperint e iure ecclesiastico, in multis partibus corrigendo errores, componendo differentias, praestituendo limites; praefigendo principium regulans, quod distingvit, et mirabiliter unit has duas potestates; seu ut iudicium Ecclesiae attendatur in eo, quod religionem, moralitatem et conscientiam respicit. Proiiciamus oculos ad puncta magis substantialia. Sponsalia. Impedimenta. Formam celebrationis. Iudicia. 1. *Sponsalia.* Hoc ex obtutu proiectum legis est in oppositione cum lege ecclesiastica, qnia 1-o abrogat fere ex toto ideam et effectum Sponsalium. „Acceptata promissio de futuro matrimonio non inducit legalem obligationem illud contrahendi, nec praestandi id, ratione cuius conventum fuit pro casu non adimplementi.“ Unde, secundum moralem christianam, a reciproca fide matrimonii, regulariter data, in promittentibus gravis exurgit obligatio eam implendi, et est operativa etiam in foro externo, quia Ecclesia eam considerat tamquam ligamen verae iustitiae, derivans inde impedimentum publicae honestatis. 2-o. Ignorando ius Ecclesiae id pronunciandi, iudicat de sponsalibus tamquam de actu ad Sacramentum praeparatorio. „Promittens, qui sine causa iusta recusat ea adimplere, obligatur parti alteri resarcire expensas e consideratione Matrimonii habitas.“ Incidit taliter in errorem per Bullam dogmaticam *Auctorem fidei* reprobatum, in qua declaratur *falsa, iuris Ecclesiae laesiva, et disciplinae ecclesiasticae derogatoria* propositio, statuens sponsalia qua dispositionem ad matrimonium, velut actum civilem, et unice praescripto civilis legislationis subiectum. 2. *Impedimenta.*

Qua veritas dogmatica est definitum, quod „Ecclesia potestatem habeat dispensandi in aliquibus impedimentis, a gradibus consangvinitatis et affinitatis promanautibus, in libro Levitici expressis; et una auctoritatem habet stabiliendi etiam nova impedimenta dirimentia, et in bis constituendis non errat.“ Proiectum ex opposito potestati civili defert auetoritatem decernendi et tollendi impedimenta, independenter et difformiter a normis Ecclesiae, et facto hoc ignorat in illa potestatem ei propriam, ac ex originaria divina constitntione exclusive ad se pertineutem. Nee iuvat quidquam effugium illud semi-lutberanorum, negans virtutem dogmaticam definitionibus Concilii Tridentini, quia manifesta est huius asserti fallacia. S. Concilium Tridentinum non pronunciavit de re facti, sed de re iuris competentiam et veritatem per Ecclesiam exercitam et traditam circa impedimenta Matrimonii. Natura rei, universalis intelligentia, practica adplieatio invicte pugnant pro dogmatico valore horum Canonum. Pariter foret inutile reeurrere ad antiquam interpretationem, quod definitio haec a Patribus lata sit non ad proprium arbitrium, sed ex annutu et concessione principum. Praescindendo ab evidente rei absurditate, existit alia declaratio dogmatica, eandem proscribens, baec autem est praecitata Bulla : *Auctorem fidei*, quae reprobat 1-o tamquam *eversivam* Canonum Tridentinorum et *haereticam* sententiam, quod in origine ad solam supremam civilem potestatem spectaverit statuere, aut sufferre impedimenta dirimentia, Ecclesiaque hac praerogativa usa sit e consensu aut conniventia principum, cum eadem auctoritas sit proprii eiusdem iuris; 2-do perstrinxit qua *subversivam* potestatis ac libertatis Ecclesiae, Concilio Tridentino *contrariam*, germinantem ex eodem principio baeretico propositionem, quae civili potestati vindicabat ius e numero impedimentorum delendi *cognationem spiritualem*, et restringendi gradus impedimenti affinitatis et consangvinitatis, quia civili potestati facultatem tribuebat abolendi et limitandi impedimenta stabilita et sanctionata per Ecclesiam, supponebatque Ecclesiam per civilem potestatem spoliari posse iure dispensandi in dictis impedimentis. Procul itaque recedit proiectum a dictamine catholico, quia interventionem potesta-

tis religiosae in impedimentis eliminat, surrogando ei potestatem civilem, quae novum efformat, etiam in manifesta discordantia a normis canonicis, contextum impedimentorum sui generis, super quorum valore non aliud potest proferri iudicium, quam quod pluribus vicibus Ecclesia enunciavit, nempe: „Matrimonia fidelium, quibus nullum obstat canonicum impedimentum, habent suam vim et valorem quantum ad nexum maritalem, qualiacunque sint impedimenta nulliter constituta per auctoritatem secularem inscia, et sine adprobatione Ecclesiae.“ 3. *Forma celebrationis.* Ex historia notissimum est, quam lente et praemeditate processerint Patres Tridentini ad promulgandum decretum de forma celebrationis expetitum a parte nonnullarum Aularum catholicarum, et suasum per abusum matrimoniorum clandestinorum. In publicatione S. Concilium declaravit, „e toto inhabiles ad contrahendum Matrimonium illos, qui illud aliter celebrare attentarent, quam in praesentia parochi et duorum aut trium testium, et decernit irritos et nullos eiusmodi contractus, prout illos praesenti decreto invalidat et annullat.“ Tria iam sunt evoluta secula, ex quo lex Tridentina apud nos in vigore est, et tam in civili quam ecclesiastico respectu constituit partem Iuris publici catholicae Italiae. Forma Tridentina semper fuit in respectu habita, in ipsis plane reformationibus anticanonicis, in nonnullis Italiae Statibus per pseudopoliticos propositis. Nunc autem proiectum vellet illam ad arbitrium exauctorare, declarando celebrationem nullam, extra Officialis urbani influxum, quem surrogat parocho. Hinc Tridentinum (unicus Catholicorum Codex) pronunciat nullos huiusmodi contractus, et contrahentes inhabiles, ob radicale vitium clandestinitatis. Quam significationem et valorem possit habere in regione catholica profana celebrationis forma, per proiectum efficta, est sufficienter notum et declaratum per Ecclesiae Magisterium. „*Ubi est promulgatum et receptum Tridentini decretum,* (sic immortalis Pontifex Benedictus XIV. in Brevi ad Missionarios Holland. 1746.) *Matrimonium coram Magistratu civili — et non coram respectivo parocho et duobus testibus celebratum, non subsistit in ratione contractus, nec potest validum reputari sub quocunque respectu. ... Sciant ita-*

que catholici, quod dum se civili Magistratui praesentant pro celebrando Matrimonio, exerceant actum mere civilem, sed actu hoc nulla ratione contrahunt Matrimonium." Proiectum autem soli actui civili adpropriat virtutem Matrimonii, nihil curando, an illud in facie Ecclesiae celebretur, quod unice tunc habet firmitatem et effectum contractus et Sacramenti.

4. *Iudicia.* Super causis matrimonialibus Tridentinum solemnem tulit sententiam, eas *pertinere ad iudices ecclesiasticos,* Canon autem hic est consideratus in ratione dogmatica; quia, si Matrimonium inter christianos est sacramentum, subiectum nempe spirituale et divinum iudicium de validitate et efficacia sua, sine dubio pertinet ad Ecclesiam, unicam dispensatricem et ministram rerum divinarum. Proiectum itaque in apertam semet collocat contradictionem cum veritate catholica, invadit rationes fundamentum suum in ipsa divina Ecclesiae constitutione habentes: dum, praetermissa potestate religiosa, totum facit dependere matrimonii regulamentum a civili registratore, et iudicibus laicis, non solum pro respectu civilis idoneitatis et pro puro facto, sed et pro illis, quae intrinsecam naturam et efficaciam vinculi sacramentalis respiciunt; et dum conditiones capacitatis contrahentium, impedimenta, dispensationes, formae praeparatoriae et simultaneae consensus, impedimenta, nullitas, separationes, iisdem iudiciis attribuit, quae pronunciant tamquam de quacunque temporali et profana materia, nomine legis, et potestatis ex toto incompetentis. Praeterea decisio S. Concilii Tridentini universas comprehendit causas matrimoniales sine discrimine facti aut iuris; distinctio, quam sensus catholicus non potest hodie amplius recipere, postquam S. Sedes, unica et legitima interpres canonum Tridentinorum, eam aperte reiecit: „Verba Canonis sunt generalia ita, omnes ut causas comprehendant et complectantur; spiritus vero sive ratio legis adeo late patet, ut nullum exceptioni aut limitationi locum relinquant: si enim hae causae non alia ratione pertinent ad unum Ecclesiae iudicium, nisi quia contractus matrimonialis est vere et proprie unum e septem Legis Evangelicae sacramentis, sicut haec Sacramenti ratio communis est omnibus causis matrimonialibus, ita omnes haec causae spectare unice debent

ad iudices ecclesiasticos, eum eadem sit ratio in omnibus." (Pius VI. ad Ep. Motulens. 1788.)

V. Consequentiae. Transformato Matrimonio christiano, ut proiectum proponit, in institutionem per omnia humanam, facile est concipere regressum religiosum et civilem, quem exhinc derivari necesse est. 1. *Legaliter favetur irreligioni.* Ea lex est, quae prius ignorat et insuperhabet divinam Sacramenti naturam, contenta civilibus formulis pro eius validitate; hac ratione bonam faciens impressionem in protestantem illud impugnantem, et ritum religiosum qua simplex ornamentum considerantem; associat se incredulitati indifferentistarum et atheorum, de Deo eiusque operibus nihil curantium. Non excludit quidem, nec interdicit celebrationem religiosam, sed eam simpliciter permittit et consulit, quin effectus eius recognoscat, unde celebrationem civilem, quae pro christianis est inanis forma, positive praecipit, et huic soli attribuit civiles praerogativas. Non est ista solummodo abstractio, sed verum repudium legis dictaminis religiosi. Facile est exinde imaginari mala et multiplices effectus, quos tam significativum exemplum in subditis producere debeat, et quam ansam suppeditare ad violationes huius aut alterius obligationis religiosae. Quales exinde promanarunt fructus in ipsa Gallia? — Omnes Episcopi Galliae, cum omnibus secundi ordinis ministris, omnibus directoribus conscientiarum, omnibus auctoribus conscientiosis, qui nostrae regionis historiam periodo ab anno 1789 usque 1850 scripserunt, in eo conveniunt, quod religio catholica nunquam tantos sustinuerit ictus, quantos supportare debuit per hos 60 annos ob institutionem matrimonii civilis. 2. *Est origo incessantis contra Ecclesiam belli.* Manifestam committit Status usurpationem in detrimentum potestatis religiosae, dum sibi totam arrogat auctoritatem regulandi vinculum, statuendi et sufferendi impedimenta, iudicandi causas, vinculum matrimoniale attinentes. Radicaliter subvertit legislationem canonicam, et conculcat primarias regulas disciplinae, dum matrimonio religioso, ordinationibus et decisionibus Ecclesiae omnem practice adimit valorem, omnem efficaciam; quae tamen ne-

cessario tueri debet rationes sibi divinitus creditas de obiecto essentialiter sacro et religioso. Non valens abdicare auctoritatem natura sua inalienabilem, debet resistere despotismo invasoris. En scaturiginem semper vivam offensionum et luctarum. 3. *Compromittit conscientiam subditorum.* Lex illa sola civili celebratione fulcit efficaciam et honestatem nuptiarum, et ista est deceptio : postquam nuptialis consensus, sine forma Tridentina destituitur virtute constituendi ulla ratione sive Sacramentum sive contractum. Qui se committeret huic assecurationi, dando locum connubiali convictui, exponeret se conditioni continui peccati, fieretque coram Deo et Ecclesia reus veri concubinatus. Et quanti possunt capi hac simulatione! Quanti possunt reddi civiliter eius victimae, reiiciendo consensum sacramentalem! proiectum enim istud etiam habet infortunium, quod dum praeferentiam tribuit ritui civili, non permittit ut hic consocietur conditioni benedictionis religiosae. 4. *Est occasio corruptionis morum.* Verum et efficax medium publicae moralitatis, quod est religio, penes matrimonium civile tristi exponitur statui; dum ius humanum, non habito ad matrimonium religiosum respectu legitimat uniones intrinsece pravas et illicitas. Coniuges idmodi merae legalitatis, in habitualiter fornicatorio consortio constituti quales futuri sint, ut suam agendi rationem iustificent, quale daturi sint exemplum, facile est cogitare. Ansa immoralitatis, quae ex peccaminoso eorum statu, e manifesta obligationum religiosarum vilipensione in alios derivatur; facilitas domesticarum discordiarum et separationum, cum sequela licentiosae libertatis, et derelictionis prolis; hac sunt lacrimabiles scenae talium coniunctionum, quas lex civilis sine religionis virtute reparare nequit. Et quorsum deveniet publica honestas, et honor thalami, si similes scenae, invalescentibus matrimoniis civilibus multiplicarentur sub palladio legis? 5. *Periculo exponitur stabilitas nuptiarum.* Lex sola civilis, velit aut nolit, non sufficit per se impedire divortia. Matrimonio ad solas proportiones contractus reducto, e rei indole se adstrictam videbit ad admittendam serius ocyus separationis possibilitatem et sanctionandas illius causas. Cui innititur indissolubilitas vinculi abstrahendo a principio

religioso? Legi naturali? Auctoritati humani legislatoris? Ast prima illa per revelationem nec sustentata nec illustrata obscura est et disputabilis, ac defectuosa (extra Ecclesiam) sine authentico interprete; — secunda est infirma et debilis ac incerta, quia subiecta est mutationi et errori, nec habet virtutem ac dominatum super spiritu ad continendas humanas cupiditates. Ubicunque acceptata fuit protestans doctrina de matrimonio laicali, multiplicata sunt, teste historia, divortia, cum immenso conscientiarum et familiarum damno, quae legislatio humana serius ocyus debuit recognoscere in manifesta oppositione cum iure divino, quo illa absolute vetantur. 6. *Est etiam in periculo unitas Matrimonii.* Redditis frequentibus et legalibus divortiis, lex civilis non potest non admittere polygamiam, recognoscens in solis coniugibus liberam facultatem transeundi ad aliud connubium. Verum quidem est in proiecto prohiberi contrahere secundum, donec subsistit primum (art. 109) et declaratur Matrimonium nisi morte alterutrius coniugis solvi (art. 236). Ast concedendo in pluribus casibus alterutri parti, sine respectu ad vinculum religiosum, actionem ad solvendum Matrimonium iam consummatum, et religiosa celebratione fultum, consequitur, quod annullatio eius sit verum et proprium divortium, ac successivae nuptiae, queis se non opponit, degenerent in legalem polygamiam, iure divino et ecclesiastico damnatam, utpote unitati Matrimonii essentialiter repugnantem. 7. *Subvertit ordinem familiarum.* Primum fundamentum domesticae, non secus ac politicae societatis debet esse vera Religio. Inventores ex adverso Matrimonii civilis pro custodia et tutela familiae solam naturalem probitatem ponunt, et rectitudinem pure legalem; et haec et illa in se imperfectae et fallaces sine lumine et fulcro iustitiae revelatae. Nunc quid sequetur? Cum matrimonio profano, a religione non sanctificato, male repraesentat genitor auctoritatem Dei in gremio suae familiae; in filiis a venenata radice, e qua progerminant, afflatis minus aestimium et respectus patriae potestatis, malumque exemplum et immoralitas auctorum est potens incentivum ad perversionem. Quid dicendum dein de fidelitate et concordia coniugum, de custodia et educatione prolium, de honore et regimine fami-

liae, si aedificium domesticum fundamento arenoso et vitioso superaedificatum, si foecundatrix religionis virtus ab origine eliminata, et a factitio civilis matrimonii nexu supplantata extitit? 8. *Perturbat ordinem socialem.* Si populus assuctus fuerit non alias pro matrimonio recipere formas, quam per articulos codicis et verbum magistratuale dictatas, quid poterunt exspectare patroni matrimonii civilis? Post declaratum aversionis ab auctoritate Ecclesiae argumentum, qualiter persvadebunt populo huic, quod humanus legislator et leges eius mereantur obsequium et obedientiam? En infirmatum et succussum principium auctoritatis, quae est fundamentum machinae socialis. Funesta convulsio inevitabiliter impendet ordini et cursui politico a corruptione morum, eversione familiarum, contaminatione sobolis. Praeterea quis potest calculare effectus profundae idgenus agitationis, per quam corripitur populus, videns attrectari cardines familiae, et germen cunctarum suarum relationum domesticarum et socialium; videns imponi sibi reformationem, qua ad asperam ponitur oppositionem inter conscientiam et legem, inter Religionem et Statum? Si res in regnis catholicis, quae tristis haec reformatio occupavit, necdum in peius adhuc mutatae sunt, id indulgenti S. Sedis sollicitudini tribuendum, illustri Sacerdotii zelo, et religiosis populi moribus. Reformatio talis nunquam exstitit in pacifico possessorio; si resistentia locum habuit a parte Ecclesiae, id solum in religiosa convictione, et habitu nationis suum habet fundamentum. E principiorum lucta, quae constanter perdurat, e permanentia gravium scandalorum et immoralitatis necessario inferri debet, quod illa sicut religioni nociva ita civili tranquillitati et publicae prosperitati sit infesta.

Conclusio. Explicita sufficienter proiectatae reformationis indole, et demonstrata eius pluribus ex obtutibus discordantia cum doctrina, Pastoralis Officii nostri est, totis viribus eo conniti, ut non agat in medio nostri radices, nec populi nostri per eam cadant in seductionem. Oramus praeferenter in humilitate cordis nostri Altissimum, ut liberet Italiam a fatali hoc infortunio videndi irradicatum in sinu

suo germen heterodoxum, quod periculo exponit unitatem fidei, puritatem moralitatis suae. Deploramus porro transformationem, quae operi divino, magno quippe Sacramento, inferri praesumitur eius profanatione, quia cadit in arbitrium iuris humani, vestitur forma profana iis acceptabili, qui Deum non timent. Lamentamur conculcationem rationum sacrarum, ordinationum, decisionum et disciplinae Ecclesiae, legitimae dispensatricis supernaturalium donorum, et Sacramentorum. Lamentamur deceptionem et turbationem conscientiarum christianarum instituto, quod praeponendo cultum Status ingratos producit conflictus cum obligationibus religiosis, seque ut magistram sistit moralitatis legi divinae oppositae. Deploramus praeterea infaustum discrimen, vi cuius in his Umbriae provinciis exceptionaliter promulgatum est tamquam decretorium proiectum, quod nequidem examini subiectum erat, cuive semper deerit suffragium cuiusvis cordis sincere catholici. Idque tanto magis deploramus, cum spectatores simus malignorum fructuum exinde progerminantium, sive per violentiam fidei et traditioni religiosae populi irrogatam, sive per impedimenta et obices in exercitio ministerii sacerdotalis positos, sive per inflictas mulctas iis, qui Sacramentum ante civilem habilitationem susceperunt, sive per incentivum et licentiam ad incestuosas nuptias, et iniqua consortia, sive per inductam in disciplina religiosa, et publicae honestatis regulis sub aegyde novi systematis enervationem. Exhortamur tandem dioecesanos nostros, ut immobiles persistant in doctrina catholica, et reverentes auctoritatis Ecclesiae, divinae veritatis et iustitiae moralis magistrae. Spiritualis illorum sors, prosperitas familiarum, honor thalami, probitas sobolis cum magno hoc dogmate christiano intime connectuntur; recognoscenda itaque est a Deo origo et sanctificatio matrimonii; et qua essentialiter sacer et religiosus actus licite et competenter effectuari nequit nisi sub magisterio et legibus Ecclesiae. Recogitent ergo fideles, quod, si hodie lex humana se ingerat ad regulandam eius oeconomiam et formas, per id non relaxantur religiosae eorum obligationes. Sacri Pastores, ad quos nunc dirigimus super momentoso hoc argumento instructionem nostram, non intermit-

tant eos et privatim et publice de momento borum officiorum instituere, super vero matrimonii christiani conceptu et necessariis conditionibus, ad spiritualem suam salutem contra hodiernas innovationes in tuto locandam. Post haec non est adhuc soluta conscientia nostra, et zelus, quem pro causa catholica et emolumento christianitatis fovere debemus, nisi evangelica cum libertate verba nostra dirigamus ad aures eorum, qui in civili hac reformatione operam suam et suffragium iam locarunt, aut locare debebunt. Ea est effective in proiecto: velit Deus, ut veritas in tota sua luce penetret ac dirigat omnem mentem, priusquam dicta reformatio sanciatur. Dicimus itaque: *Reformatio civilis super Matrimonio,* quae ex se, uti praesens, attentat regulare validitatem independenter a dictamine religioso, *necessario importat violationem dogmatis et oppressionem conscientiarum.* Honestas et efficacia vinculi coniugalis pro christianis innititur iuri naturali et evangelico, non autem formulis iuris civilis. Haec est veritas ordinis divini et absoluta, a qua Ecclesia nunquam recedere potest; et conscientia populi catholici nunquam persvadebitur aliter. Non est materia disciplinae, quae admittit transactionem, aut quaestionem formae, ubi licitum est disputare Sub obtutu revindicationis Status recessit hodie ab hoc principio dogmatico, conculcavit traditiones suas, et conscientias subditorum. Reformatio huiusmodi nunquam potest conciliari cum professione catholica, quam universa natio profunde veneratur. Prudens politica haud consentit in acceptationem institutionis Religioni dominanti et communi fidei adeo adversae; quae alias ad legislationes subalpinas directa concidit, alibi autem infausta scaturigo exstitit perturbationum, et luctarum et corruptelae. *Habet Status sua respectu Matrimonii officia, sed in extrinsecis dumtaxat relationibus, in quantum respiciunt societatem civilem.* Ecclesia non praetendit plenitudinem iurisdictionis, illa continetur iis, quae a Deo sibi commissa sunt, qua ministra rerum religionis, et regulatrix hominis in suis ad Eum relationibus; illud est *validitas vinculi,* quod est ordinis spiritualis et divini. Definivit limites utriusque potestatis sententia evangelica: *Reddite quae sunt Caesaris Caesari, et quae sunt Dei Deo;* sententia apposite ad casum sic

declarata per supremum totius Ecclesiae Doctorem: „Non est aliud conciliationis medium, quam retineat Caesar quae sua sunt, permittat Ecclesiae quod ad illam pertinet. Disponat civilis potestas de effectibus civilibus e nuptiis profluentibus, sed permittat Ecclesiae eiusdem validitatem regulare inter christianos. Teneat lex civilis limites de validitate aut invaliditate Matrimonii, prout per Ecclesiam fuerit determinata, et procedendo ex hoc facto, quod extra suam sphaeram est, disponat eotum de civilibus effectibus." Vult Status concurrere ad avertendos abusus individualis licentiae, et conservandam puritatem et legitimitatem connubiorum? Sed quomodo praestabit id, quin efficiatur invasor? Resumat cum Ecclesia pretiosam illam et desiderabilem harmoniam, quae religiosa et socialia populi emolumenta mirabiliter componit et secura reddit, et praebendo se auxiliatorem non vero arbitrum, acceptet, et civili sua sanctione corroboret sacras illius leges, praescribat subditis in externo etiam ordine earum observantiam, et infallibiliter scopum obtinebit. Habet rationem postulandi, ut celebratio sub legalibus formis reddatur publica? Istud perfecte praestat forma Tridentina, quae sustulit abusus clandestinitatis. Sed si praeterea inducere eam cupit in sua registra medio civilis denunciationis, Ecclesia non erit contraria, dummodo non impediatur administratio Sacramenti. Intendit demum intra limites iustitiae regulare effectus civiles, ordinem politicum respicientes, aut ad alios contractus cum matrimonio nexum habentes, pertinentes, attamen ab illo distinctos? Liberam competentiam ei nemo controvertet. Sed caveat, obsecramus, tribulos et vincula iniicere conscientiis catholicis, et divinum Ecclesiae Magisterium supplantare, unicum, a quo illae percipiunt criteria moralitatis et iustitiae. Rescindat temerariam tendentiam semet constituendi ordinatorem et iudicem suprahumani illius nexus, quem Dei manus ligavit, et cum inviolabili perfectione consecravit: „Quod Deus coniunxit, homo non separet." In Iunio 1861. — (*Ex Actis publicis.*)

Mon. 236.

Instructio Pastoralis de Sacramento Matrimonii Episcoporum Marchiae. 1863.

Matrimonium sive respiciatur ad eius originem, sive ad finem, ob quem institutum est, sive ad dignitatem et sublimitatem, ad quam in lege gratiae elevatum est, est summi momenti. Institutum enim est a Deo ipso, qui divino suo facto maritali vinculo univit progenitores nostros, exhinc formavit naturae legem, voluitque, ut perduraret apud totam eorum posteritatem qua vita et scaturigo Religionis, et civilis societatis : quae, sicut ab ipso suam permanentem habet propagationem, sic a sanctitate ipsius trahit etiam moralitatem, pacem et stabilitatem familiarum; hinc emolumentum et tranquillitas humani convictus. Non est proinde mirum, quod Ecclesia de hac veritate convicta, nunquam intermiserit curas et providentiam tuendi religionem matrimonii christiani tenueritque illud in gradu alto et sublimi, quem habuit a divino suo Institutore, ac constanter manutenuerit stabile illud fundamentum ordinis domestici, religiosi et socialis. Sed o! infortunium summe deplorandum! Opus hocce divinum feros reperit inimicos non solum inter protestantes, aliosque haereticos, sed etiam inter catholicos natos, qui vellent profanare nuptias, abstrahere a Religione, destruere, et omni sanctitate spoliare. Ecclesia gravem suam vocem contra hos semper levavit, fallaces doctrinas impugnavit, anathemata pronunciavit, formas et ritus pro celebratione coniugiorum praescripsit, nec inculcare cessavit, ac cessatura est defendere catholicam de matrimonio doctrinam. Cum itaque nostrum praecipuum munus sit manutenere et tueri sacrum fidei depositum, docere, et intaminatos servare mores ac ecclesiasticam disciplinam inter vos, Dilectissimi nostri in Christo Filii, qui dedit nobis ad regimen Spiritum sanctum, dirigimus ad vos hanc Pastoralem instructionem de gravissimo argumento matrimonii christiani, quod nunquam fuit magis, quam hodie violente impugnatum inter nos ab inimicis sanctissimae Religionis, queis si succederent malesanae

eorum tendentiae, succuterentur etiam solidissimae bases humanae societatis. Nos speramus, quod Deus misericordiarum permissurus non sit in carissima Italia nostra novum isthoc flagellum, quale nobis iam toties imminebat: laicalem videlicet legem super matrimonio, quod nominare volunt civile. Quia tamen periculum non est valde elongatum, et qui amant, metuunt; idcirco nos, qui vos interno affectu paterno diligimus, volumus vos, Dilectissimi, de tempore praemunire de re summi momenti, concernente fidem, moralitatem, disciplinam Ecclesiae. Multi Venerabiles Fratres ex Episcopatu Italico nos iam praecesserunt in gravi hoc et ponderoso argumento; sed nec nos in hac quaestione silere poterimus, cum turbo necdum sit dissipatus. Verba nostra eodem ipso tempore, quo vobis, Dilectissimi, instar aggeris contra impendens nobis malum deservient, erunt una libera et energica protestatio contra eos, qui tale inferre molirentur. Ceterum nolumus nos offendere quemquam, sed solum implere gravissimum, indispensabile officium nostrum. Audite nos attente, legite et relegite verba haec nostra in obiecto tantae considerationis; quia matrimonium est sacrum principium familiae, fundamentum civilis societatis, institutum divinum, Sacramentum magnum, figura indissolubilis unionis Iesu Christi cum sua Ecclesia. Itaque ostendemus vobis 1. Naturam Matrimonii Sacramenti; 2. Exclusiva Ecclesiae super eo iura; 3. absurditatem matrimonii sic dicti civilis; 5. funestas eius sequelas.

I. Indoles Matrimonii Sacramenti. Ante omnia necessarium est, Dilectissimi, ut iustum habeatis conceptum de eo, quid sit Sacramentum Matrimonii. Catechismi nostri dioecesani sunt in hoc nimis breves, quia nulla adusque falsa doctrina spargebatur inter vos, nec metuebatur lex aliqua contraria sanctitati coniugii. Dogma Religionis nostrae est, quod Matrimonium sit vere et proprie unum e septem Legis Evangelicae Sacramentis a Christo Domino institutum, et non ab hominibus inventum, et quod conferat divinam gratiam, quemadmodum alia Sacramenta. (Conc. Trid. Sess. 24. doctrina de Sacr. Matr. Can. 1.) Id ergo, quod erat pure

contractus inter duas personas diversi sexus, conservata veri contractus indole, fuit in lege gratiae a Iesu Christo ad dignitatem Sacramenti levatum, eo modo, ut non sint inter christianos duae res separabiles, et disiunctae, contractus et Sacramentum, sed de iure et facto fiant una eademque res. In mente solum, aut ut philosophi dicerent, cum distinctione metaphysica in abstracto separari potest Sacramentum a contractu; sed practice, ii baptisati, qui faciunt contractum, suscipiunt etiam Sacramentum. Quandoquidem Iesus Christus non constituit Sacramentum distinctum ad sanctificandum matrimonium, sed ipsum contractum matrimonialem, aut matrimonium elevavit ad dignitatem Sacramenti cum virtute conferendi illud recipienti gratiam divinam, et dona sive communia, sive propria cuivis Sacramento. Vix metuebatur, ut lex matrimonii civilis condatur in Statibus Sardinicis; Sanctissimus Pater noster Pius IX. memorabiles scripsit Regi Sabaudo Victorio Emanueli de 9. Septembris 1852 Literas, declarans: „Est dogma fidei, quod Matrimonium a D. N. I. C. ad dignitatem Sacramenti sit elevatum, est doctrina Ecclesiae catholicae, quod Sacramentum non sit accidentalis qualitas contractui adiuncta, sed de essentia Matrimonii ipsius, ut taliter coniugalis unio inter christianos non sit legitima nisi in Matrimonio Sacramento, extra quale est merus concubinatus. Christianus itaque in actu, quo complet contractum matrimonialem independenter a quacunque humana lege, de voluntate divina eoipso efficit Sacramentum Matrimonii, cum in coniugibus baptisatis non possit dari contractus sine Sacramento, et Sacramentum sine contractu, quia contractus non potest distinqui a Sacramento, nec istud ab illo." Quamquam coniunctio duorum sexuum inde a principio mundi consecrata fuerit per immediatam Dei benedictionem, semper tamen non fuit sacramentum, quia non fuit exornatum virtute sanctificandi interiorem hominem, virtute propria et essentiali in Sacramento christianorum. Sed veniente redemtionis humanae tempore coniugium, quod ignorantia et corruptione hominum nimis vitiatum exstitit, per Iesum Christum originali suae perfectioni fuit restitutum, et secus ad ordinem supernaturalem elevatum, ac Sacramentum

effectum. Hinc matrimonium in Ecclesia est medium illud, e cuius efficacia secundum indubitata promissa et opera divina derivantur in coniuges cum infusione gratiae sanctificantis et sacramentalis superna auxilia et actualia pro adimplendis gravibus eorum obligationibus. In tanta ergo sublimitate locatum est humanum connubium per Iesum Christum. Ipse enim dignatus est assistere nuptiis in Cana, sua praesentia sanctificatis, ibidemque primum patravit miraculum in Evangelio consignatum. Hac ratione intellexerunt omnes, quam magnum praestiterit hominibus beneficium Iesus Christus elevando coniugium ex abiectione, in quam reciderat, et sublimando illud in Sacramentum. Non tantum nationes ethnicae primarum traditionum oblitae, et moribus corruptissimae illud deformaverunt, sed ipse populus electus, utut a Deo tantis ceremoniis et legibus et instructionibus succolatus non illud tenebat in splendore nativi sui gradus. Idcirco Moyses propter duritiem cordis gentis illius, et ad evitanda maiora adhuc mala permisit repudium. Sed Iesus Christus veniens in terram propter redemtionem et reorganisationem totius hominis, petulantibus Iudaeis, dum ei Mosaicum repudii libellum obiecissent, reposuit: *ab initio autem non fuit sic.* Revera Deus, vix creato primo hominis ectypo, voluit, ut sint duo in una carne, et ad declarandum, vinculum hoc esse indissolubile a quacunque humana potestate, nos scire fecit, ne ullus audeat separare, quod ille univit: *„Quod Deus coniunxit, homo non separet.“* Excellentiam huius Sacramenti enunciat Apostolus, dum illud vocat Sacramentum magnum; *Sacramentum hoc*, inquit, *magnum est, ego autem dico in Christo et in Ecclesia.* Sacramentum hoc est magnum: ego enim loquor in respectu ad Christum et Ecclesiam. Nuptiae progenitorum nostrorum in statu innocentiae praecesserunt in figura illas, quas cum novella Ecclesia sua inivit tam manifesta ratione, et prorsus admirabili Deus-Homo in plenitudine temporum. Apostolus loquitur de hoc mysterio iam completo, et de unione christiani coniugii. E sublimi hac significatione deducit excelsas adhortationes, et graves obligationes a sancto matrimonio inseparabiles. „Uxores subditae sint viris suis sicut Domino; quia vir est caput uxoris, sicut Christus

est caput Ecclesiae, et ipse est Salvator corporis sui. Igitur sicut Ecclesia subiecta est Christo, sic etiam uxores viris suis in omnibus. Viri diligite uxores vestras, sicut etiam Christus diligit Ecclesiam, et dedit semetipsum pro ea, ut eam sanctificaret mundando eam lavacro aquae in verbo vitae. Sic etiam viri diligant uxores suas, ut propria corpora. Qui diligit uxorem, diligit semetipsum; nemo enim odio habuit carnem suam, sed eam nutrit habens rationem, ut facit Christus de Ecclesia, quia sumus membra corporis eius, et de ossibus eius." Post magnificas has doctrinas his solemnibus verbis concludit magnus gentium Doctor: *„Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, et Ecclesia."*

II. Iura Ecclesiae in Matrimonium christianum. E praemissis legitima deducitur consequentia, clara esse iura Ecclesiae in matrimonium christianum; stante enim fundamento, quod contractus a Sacramento separari nequeat, ipseque contractus sit elevatus in Sacramentum, Ecclesia, et sola Ecclesia potest habere facultatem determinandi etiam conditiones ad validitatem contractus necessarias. — Sicut est veritas dogmatica, quod matrimonium fuerit per Iesum Christum in nova Lege elevatum ad Sacramentum, ita extra omne dubium est, quod dispensatio divinorum donorum et Sacramentorum concredita sit Ecclesiae. Ei, et visibili eius capiti Petro, eiusque successoribus Romanis Pontificibus data fuit a Iesu Christo suprema potestas regendi et gubernandi omnes illos, qui per baptismum facti sunt eius subditi et filii, iis verbis: *„pasce agnos meos, pasce oves meas."* Veritas itaque dogmatica est, quod inter potestates a Deo collatas sit illa, intendendi custodiae et dispensationi Sacramentorum, et, salva eorum substantia, disponendi, quae ad augendam eorum reverentiam et spirituale fidelium emolumentum pertinent. Si christianorum nuptiae nihil aliud forent, quam simplex ritus religiosus, uti alia quaecunque benedictio, nemo profecto auderet impugnare, eas ad ecclesiasticum ministerium pertinere; quanto igitur magis id dicendum est, postquam e divina institutione est Sacramentum, habens virtutem significandi et producendi gratiam, ac eapropter essentialiter sacrum et

religiosum? Non invadit ergo Ecclesia campum civilis potestatis exercendo iura a Deo sibi tributa, sed ex opposito potestas civilis invadit sphaeram Ecclesiae, transformare volens Dei opus in opus humanum. Audite super hoc etiam ponderosa Pontificis Pii IX. verba, in praecitatis Literis allata: „Lex civilis supponens divisibile pro Catholicis Sacramentum a contractu Matrimonii, praetendit regulare validitatem, contradicit doctrinae Ecclesiae, invadit inalienabilia eiusdem iura, et practice aequiparat concubinatum Sacramento matrimonii, sanctionando legitimum unum et aliud.“ Ad Ecclesiam capropter pertinet statuere ritus et ceremonias, determinare modum, tempus, et quidquid respicit Sacramentum. Ab hac potestate non potest abstrahi matrimonium, quamvis pro fundamento habeat contractum coniugum; nec potest laica potestas sibi arrogare auctoritatem illam, quam relate ad alia Sacramenta non praesumit. Basis huius Sacramenti, ut patet, est contractus, quocum unam individuamque rem efformat. Et sicut unum sine alio non potest subsistere, et unum includit aliud, sic non est momentum, quo contractus hic possit subiici alteri praeter Ecclesiam, in cuius ius transit indivisus contractus et Sacramentum, quin laicae potestati relinquatur tempus et modus exercendi ius aliquod etiamsi qua mere contractum. Ecclesiae competit non saltem praescribere ritus et ceremonias pro celebratione matrimonii, sed etiam statuendi impedimenta, quibus redditur illicitum aut invalidum, et iudicandi causas christianorum coniugiorum. Et quamvis ipsa potestatem non habeat in iis, quae spectant ad essentiam et substantiam Sacramenti, potest tamen apponere conditiones, queis redditur aut nullum aut illícitum et vice versa; postquam Sacramenti fundamentum est contractus, qui est factum humanum, hinc ab ea dependet auctoritate, cui subiacent et personae contrahentes, et materia contractus ipsius. Ecclesia in contractibus suae competentiae apponere potest illas formas et conditiones, quibus efficiuntur liciti et validi et vice versa. Sed contractus maritalis est necessaria Sacramenti materia, et contrahentes, quantum ad Sacramentum, unice ab auctoritate Ecclesiae dependent, ergo ipsa, et nunquam civilis potestas habet potestatem ma-

num extendendi ad maritalem contractum et facere, quasi is ad Sacramentum elevatus non fuisset. Concilium Trident. Sess. 24. Can. 4. definivit : *Si quis dixerit Ecclesiam non potuisse constituere impedimenta matrimonium dirimentia, vel in iis constituendis errasse, anathema sit;* et Can. 12. idem ipsum Concilium : *Si quis dixerit causas matrimoniales non spectare ad iudices ecclesiasticos, anathema sit.* Concilium igitur declarat excommunicatum, seu membrum a mystico Ecclesiae corpore recisum, quiscunque auderet asserere, quod ipsa non habeat ius apponendi impedimenta, quibus nulla reddantur matrimonia, aut ea statuendo erraverit, et quod matrimoniales causae ad ius illius non pertineant. Nunc sciendum est, quod oecumenicum istud Concilium non aliud fecerit his canonibus, quam declaraverit, confirmaverit, et defenderit ecclesiasticis etiam censuris additis eam circa coniugia potestatem, quam possederat, et usuaverat Ecclesia non per tacitam aut expressam Principum indulgentiam, ut asserere sunt ausi haeretici temporum nobis proximorum, et nonnulli temerarii scriptores catholici, sed proprio iure nativo, per divinum fundatorem eidem collato. Reipsa nos provocamus effrontes hos inimicos, dicant, quando et quomodo Ecclesia inceperit se ad usum huius auctoritatis ponere, quando et quomodo ei data fuerit per Principes seculares, secundum vanum eorum assertum. Nos ex adverso poterimus ex historia ecclesiastica iis probare, quod Ecclesia inde ab Apostolis hanc potestatem exercuerit, eam semper adversus impetus erroris defenderit, defensuraque est semper, nec poterit illa spoliari per quamcunque mundi potentiam.

E relatis veritatibus derivatur, quod sit potestati laicae negatum omne qualecunque ius, praeter effectus civiles, qui pertinent ad alios contractus cum matrimonio nexos, sed a matrimonio distinctos, et ad ordinem publicum spectantes. S. Thomas docet, quod matrimonium, qua bonum naturae pertineat ad naturalem divinam legem, qua bonum societatis ad leges humanas, qua Sacramentum ad positivam legem divinam. Et subiungit, quod quemadmodum contractus, et certa humana officia stabiliuntur legibus humanis, sic actus officii spiritualis formam et sanctionem exclu-

sive ab Ecclesia percipiant. Hinc in matrimonio christiano ad regimen civile pertinet saltem pars extrinseca, quae respicit relationes cum ipsa civili auctoritate, quas nos vocamus effectus civiles. Qua in re politicum Gubernium, nisi velit inhoneste et iniuste agere, procedere debet e principio validitatis, aut nullitatis Sacramenti, prout ab Ecclesia iudicatum est; quia non contractus civilis, sed naturalis est materia Sacramenti. Hic iuvat referre ponderosa Pii IX. verba in Literis saepe memoratis occurrentia. Attingendo nempe ingessionem, quam lex civilis in facto matrimonii habere potest, dicit: „Non est taliter aliud conciliationis medium, quam reservando Caesari quod suum est, permittatur Ecclesiae quod ad illam pertinet. Potestas civilis disponat de effectibus civilibus, qui e nuptiis derivantur, sed omittat Ecclesiae regulationem validitatis inter christianos. Lex civilis teneat limites de validitate aut invaliditate matrimonii, prout ab Ecclesia determinatum fuerit, et egrediendo ab hoc facto, cuius constitutio sphaeram illius excedit, disponat de effectibus civilibus.“ Insuper S. Concilium Tridentinum (Sess. 24. Cap. 1. de reform. Matr.) statuit, „quod ii, qui attentant contrahere matrimonium, praeterquam in praesentia parochi proprii, aut alterius sacerdotis ab ipso, vel Ordinario Dioecesis delegati, et duorum aut trium testium, sunt eoipso incapaces ad contrahendum matrimonium, ac ideo contractus idmodi decrevit esse irritos et nullos.“ Decretum hoc fuit publicatum et observatum in tota Italia ab annis tercentis, et est lex Ecclesiae. Quicunque ergo inter nos iungeretur Matrimonio non in praesentia parochi et adminus duorum testium, non susciperet secus Sacramentum, sed viveret in turpi concubinatu, in peccato mortali, neque ulla eidem suffragaretur lex civilis. Ad hanc propositionem dicit S. Thomas (Quaest. 54. art. 4.) „Sicut Deus non coniungit illos sponsos, qui uniuntur contra praecepta divina, sic neque coniungit illos, qui uniuntur contra praecepta Ecclesiae, quae eandem vim obligandi habent, quam praecepta divina.“

III. Absurditas Matrimonii civilis. Ut melius perspicere possitis F. D. absurditatem huius, quod civile vocant,

matrimonii, audite breviter *historiam.* In Ecclesia Iesu Christi per quindecim integra secula ignotum fuit systema civilis matrimonii. Quamcunque multi errores diffusi fuerint contra fidem et bonos mores per malesanos haeresiarchas, quamcunque multas et graves subierit persecutiones dilecta Sponsa Iesu Christi longa hac temporis serie, nullus tamen ausus est attentare sanctitatem coniugii. *Lutherus* seculo XVI. sufferendo e numero Sacramentorum matrimonium, aperuit viam illi longae malorum seriei, e qua usque ad nostros dies pervenerunt infaustae sequelae. *Calvinus* in Gallia, *Zwinglius* in Helvetia, *Bucerus* in Anglia post schisma Henrici VIII. disseminarunt eandem fallacem doctrinam, quae dein magna cum simulatione, et non minori cum pervicacia per universam *Jansenistarum* cohortem, ad oppugnandam in omni re Ecclesiae auctoritatem intentorum, tradita fuit. Non est opus dicere, doctrinas has ad palatum fuisse incredulis et atheis Scholae *Voltairianae* praeterlapsi seculi, e qua prodivit in *Galliis* famosa illa lex 21-ae Septembris 1792. omnibus in hoc regno sub convulsione existentibus in ordine morali, civili et religioso. Aliae Europae nationes assumserunt in suos codices infelicem hanc haereditatem, qua hodie funestum donum Italiae ferri intenditur. Post Concilium Tridentinum, cuius superius citavimus canones, S. Sedes nunquam intermisit condemnare hos errores, etiam cum anathemate a Pontifice Pio VI. in Bulla dogmatica „Auctorem fidei." Et vix nostris diebus proposita est Parlamento Sardinico lex, quae profanat matrimonium, mox levavit ponderosam vocem Augustum Ecclesiae Caput, et cum eo universus Episcopatus italicus. Fundamentum erroris positum est in eo, quod velint contractum a Sacramento divisibilem, et ratiocinantur sic: ‚Contractus indubitanter subiacent potestati legis politicae, atqui in matrimonio est contractus, ergo civilis auctoritas habet ius determinandi conditiones sicut in aliis contractibus. Postea Religio benedicat nuptias iis modis, quos censuerit maxime accommodos, et Gubernium laicum nullas ei faciet perplexitates.' Quamvis sufficienter iam reposuerimus ad istud sophisma, dum probassemus contractum a Sacramento indivisibilem esse, eo non obstante ad magis retegendam

doctrinae huius fallaciam, progredimur, Dilectissimi, porro ad considerandam contractus maritalis indolem. Certe nuptiae, quae exurgunt e libero et reciproco consensu duorum individuorum diversi sexus, sunt contractus, sed sui generis, tum ex indole tum ex iure absolute diversus ab aliis contractibus, essentiam et vim a civili institutione recipientibus. In aliis contractibus est certum, quod libera contrahentium voluntas apponere possit conditiones, quae variare possunt pene in infinitum, quantum ad ipsum rei tempus, finem, obligationes personarum; ast in matrimonio iam ex indole determinatus est finis, media, attributa, iura, obligationes. Aliorum contractuum origo derivari potest aut a facto Communitatis civilis, aut a voluntate privatorum, paciscendo de materia absoluti et pleni dominii, sed matrimonium, qua elementare fundamentum omnis societatis immediate, et ante omne humanum factum fuit constitutum a Deo, qui posuit ei leges ante omnem humanam legem. In aliis contractibus voluntas potest praesumi, in isto debet esse explicita; in aliis potest contractus solvi mutuo consensu, in isto non potest. Familia spectata indole et tempore praecedit humanam societatem, hinc est, quod societas nunquam possit destruere iura illa, quae iam reperit constituta et immutabilia. Contractus coniugii praevalet variis et particularibus dispositionibus civilibus, estque praecise contractus ille fundamentalis, quem Christus ad Sacramentum elevavit ea ratione, ut unum ab alio distinqui nequeat, quodipsum sufficienter indicavit his verbis: „*ab initio autem non fuit sic*", iam superius memoratis et explicitis, quorum ope intendebat matrimonium suae primitivae integritati restituere, elevando illud ad Sacramentum. Matrimonium est prius ratio domestica, dein ratio publica; in familia initiatur, consummatur, et perdurat; quomodo ergo societas posset manum extendere ad illud, et mutationem inducere. Matrimonium iungit in unam duas personas ad perpetuo conservandam humanam propaginem. Deus creando hominem, eum distinxit, et quasi dimidiavit in duos sexus, masculum et feminam; propterea dicit: „*qui fecit hominem ab initio, masculum et feminam fecit eos*", propterea dicit: „*erunt duo in carne una*", propterea: *qui uxorem diligit, seipsum dili-*

git. Post has considerationes, quae continent veram historiam hominis, et humani coniugii, an non clare ac manifeste apparet incapacitas et impotentia legis ad semet ingerendum in res, extra suam competentiam, et omne suum ius positas? An non clare ac manifeste apparet, quod Religio sola, seu ordo hierarchicus in virtute divinae potestatis sibi a D. N. I. C. attributae, ius habeat tractandi id, quod fuit a Deo ipso repraesentatum in terra ab ordine sacerdotali: „*Pro Christo ergo legatione fungimur, tamquam Deo exhortante per nos.*"

Visa sublimitate nuptiarum christianarum, non sine maxima afflictione descendere cogimur, Dilectissimi, ad profunditatem et abiectionem, miseriamque inventionis illius protestanticae, quae profanando nomen et rem S. Sacramenti, externo civili actui attribuit nomen et valorem Matrimonii. Maiestati templorum surrogatur receptaculum Municipiorum; augusto characteri sacerdotali substituitur praesentia publici Officialis; ritibus sacris, benedictionibus Ecclesiae aequiparatur vox hominis, qui declarat coniunctos esse sponsos, non iam nomine Religionis, quae non potuit, sed nomine legis. Nulla participatio Sacramenti, nullae preces, queis implorentur a Deo necessarii favores ad implendas graves obligationes maritales, nulla gratia Christi, quae roboret et firmet in novo statu. Quin imo in vicem coelestium benedictionum depluunt super capita miserabilium horum maledictiones Dei, incipientium vivere in turpi concubinatu, ad aeternam perditionem ducente. Hac ratione christianum connubium taliter profanatum aequiparatur quodammodo alteri cuivis contractui venditionali, locationali, aut alteri, acsi non tractaretur de re nobiliori ac sanctiori, quam de palma terrae, aut vili iumento; est ergo lex absurda, idque pluribus e capitibus. Primo quidem matrimonio in actum civilem transformato, quis est, qui non videat absurditatem, reputando naturalem contractum a Sacramento divisibilem, reponendo matrimonium baptisatorum et catholicorum in contractu mere civili sine relatione ad Religionem; unde repetimus: Sacramentum non est qualitas accessoria, accidentalis, sed de essentia positiva ipsius matrimonii. Hinc deducitur, et probatur esse illud de

necessaria competentia Ecclesiae, et non laicae potestatis, usurpantis iura, quae non habet, nec habere potest, utpote incapax illius, quod ei ius divinum negat. Evidens porro est aliud absurdum legis, absolutam potestatem super matrimonio christiano sibi arrogantis, sufferendo impedimenta per Ecclesiam constituta, queis redditur illicitum aut invalidum, substituendo eis alia, quin eatenus haberet facultatem. Absurdum praeterea est, arrogare sibi iudicium super divortio, et super omnibus controversiis maritalibus, existimando validas esse nuptias coram civili magistratu celebratas, quia observatae fuerunt disciplinae legis in contemtum sanctionum ecclesiasticarum. Finaliter quis non videat absurdum gravissimum, quod Legislator, et Magistratus charactere baptismali insignitus, professionis Catholicae, Apostolicae, Romanae, filius et discipulus hierarchiae ecclesiasticae docentis ignoret in nostra Italia formam a Concilio Tridentino (Sess. 24. cap. 1. de ref. matr.) stabilitam, ubi declaratur, matrimonia clandestina esse nulla, seu illa, quae attentarentur absque praesentia Parochi, aut Ordinarii, aut sacerdotis per hos delegati, ac testium. Forma haec respicit substantiam et validitatem matrimonii, quod secus esset nullum; quia contractus in defectu formae huius ecclesiasticae non est legitimus, seu non est contractus capax elevationis ad Sacramentum, ut deposcit institutio divina; recte igitur, quia ob defectum illius formae non est contractus, ideo nec habetur Sacramentum. Cum matrimonio civili, christianus init contractum nullum, coniugium illusorium, ut clare dixit Summus Pontifex Pius IX in Allocutione 27 Septembris 1852: „Quaecunque alia unio inter christianos viri et mulieris extra Sacramentum, facta in vim qualemcunque etiam legis civilis, non aliud est, quam turpis et perniciosus concubinatus, per Ecclesiam summopere reprobatus.“

IV. Funestae sequelae e matrimonio civili promanantes. Sed est iam tempus, Dilectissimi Filii! ut coniiciamus oculos ad funestas sequelas, quae derivantur ex transformatione matrimonii christiani in institutum mere humanum. Considerate primo, qualinam periculo exponatur sancti-

tas coniugii; postqnam regnlatio spiritus, manutentio unionis christianae, et sincerus amor inter sponsos effectus legis moralis, et subsidiorum gratiae est, requiritur certe principium religiosum quod animos liget et conscientias. Id autem haberi nequit, praeterquam in matrimonio Ecclesiae, quae recognoscit Deum esse suum institutorem, non autem in contractu civili, qui qna opns mere humanum est incapax dandae virtutis spiritui, et regendi conscientias coniugum, hinc non datur securitas, et sanctitas iu his nuptiis. Lex civilis non potest dare fundamentum morale familiae, et soliditas aedificii super fragili adeo basi positi, serius ocyus in rudus abire debet cum damno Religionis, societatis, familiae ipsins, quod facile est imaginari. In secundo matrimonii civilis loco occurrit periculum educationis prolium, quae sunt expositae corruptelae morum per prava exempla, quod semper prae ocnlis habent in ipsis genitoribus suis. Praeterea conscientia non potest esse secura et tranquilla in consortio, qnod scit a Religione et sensu catholico esse reprobatum. Maius periculum imminet indissolubilitati vinculi maritalis, quia in variis casibns codex consentit in actionem nnins partium ad solvendum matrimoninm, et dandum divortio locnm; inde consequitur, quod lex indirecte admittat polygamiam. Admisso eo, qnod Codex protegat fideles ad semet ab auctoritate spirituali snbdncendos, depravatissimi et corruptissimi exhinc lucrum tracturi sunt, omnes christianas obligationes concnlcando. Erunt personae per conscientiam et Ecclesiam ab invicem separari obligatae, et ex opposito per Statum ad sibi convivendum adstrictae, praeclusa taliter ipsi poenitentiae via. E converso erunt aliae canonice vinculatae et veri coninges in conspectu Dei, civiliter autem consideratae ut liberae, convolabunt ad novas nuptias per Religionem reprobatas, in facie Status legales. Proles pro Ecclesia legitimae, sed non tales pro regimine politico; legitimae vero pro isto, illegitimae pro Ecclesia; illis paterni reditus, his miseria, et egestas. Hinc turbatio familiarum, confusio iurium, legales iniustitiae, odia, collisiones tribunalium, contemtus auctoritatum, horrida demoralisatio, ideae religiosae in focis domesticis evulsae; conversio familiarnm in scholam malorum

exemplorum. Solvite omne vinculum sacrum, et dicite dein quorsum deveniet consortium humanum? Legaliter favores exhibere irreligioni, incessans bellum inter Ecclesiam et Statum fovere, conscientias perturbare, corruptelam morum animare, stabilitatem nuptiarum discrimini exponere, et periculo unitatem matrimonii, ordinem familiarum et societatis subvertere; ecce funestae sequelae legislationis impiae, et sacrilegae, quae admittit et tuetur matrimonium civile, et de facto ignorat matrimonium christianum! Ad evitanda tanta mala Ecclesia catholica non solum professa est, defendit, docuit doctrinam de matrimonii Sacramento, sed statuit etiam censuras et poenas contra eos, qui profiterentur, docerent et defenderent doctrinas contrarias et adhiberent aliter, quam ordinat illa et profitetur. Recidit eos qua putrida membra a mystico corpore Iesu excommunicatione maiori; sanctis Sacramentis privavit tam in vita, quam in mortis articulo, nisi convenienter retractassent errores suos, reparassent scandala et damna, et connubia legitimari fecissent iuxta sacros Canones. Insuper ut gravissimi delicti reos ecclesiastica sepultura privat eos, qui ante mortem debito modo cum Deo et Ecclesia non reconciliantur. Proles e reprobatis his matrimoniis natae excluduntur ab Ordinibus et Sacerdotio. Haec et his similia sanxit Ecclesia, et nec latum ungvem in hoc recessit ab antiqua sua disciplina.

Conclusio. Si verba nostra ad legislatores illos, qui conceperunt, et proposuerunt dispositiones adeo funestas, dirigeremus, diceremus illis: ponderastisne bene, et noscitis in sua amplitudine damna e vestra lege promanantia? Non loquendo de sacrilegio, de impietate, flagrante sacratiorum Ecclesiae iurium invasione, annon observastis, his vestris factis usque ad fundamenta aedificium sociale subrui? Profanatis nuptiis, et vitiato primo elemento humanae familiae, creditis regi posse in integritate ordinem societatis? Non videtis infelix experimentum, quod cum idmodi legibus fecerunt aliae nobis vicinae nationes? Dum hae a mala illa via se retrahunt, et ponendo eas in oblivionem aut emendando substitutione aliarum salutiferarum institutionum quaerunt

remedium malo, vos vultis infausto hoc dono beare Italiam, illam Italiam, quam praetenditis amare, et quam vestris codicibus praecipitastis in abyssum horrenditatis? Utinam Dominus disperdat vestra maligna consilia, et pravas vestras intentiones! et postquam Divina Providentia in corde fortunatarum harum regionum centrum unitatis catholicae locavit, et principalem fidei et morum magistrum posuit, non permittat unquam, ut irradicetur illic mala planta institutionis corruptricis morum ac fidei. *Nos interim impugnamus omnibus viribus nostris ac solemniter protestamur contra qualemcunque legem de civili matrimonio, declaramusque, quod non simus aliam doctrinam propositurі, quam Ecclesiae, cuius dispositionibus volumus unice obedire, in re, quae est tota sancta et divina.* Et hic finaliter reducendo sermonem nostrum ad vos, o carissimi, et dulcissimi Filii nostri in Iesu Christo, vos oramus et obsecramus, ut firmi stetis in doctrina Ecclesiae catholicae, vestrae tenerae matris, sitis dociles ad audiendas instructiones nostras, state constantes et immobiles in principiis illius fidei, in praeceptis eius moralis, quam professi sunt, et opere compleverunt per XIX secula patres vestri, et quae indispensabiliter requiruntur ad salutem aeternam. Gratia et pax Iesu Christi sit semper vobiscum, Dilectissimi Filii, quibus cum teneritudine cordis paterni Pastoralem damus Benedictionem. Datum festo Assumtionis BMV. 15. Augusti 1863. — (*Ex Actis publicis.*)

Mon. 237.

Remonstratio Archi- et Episcoporum Neapolitanorum ad Suam Mattem Regiam, Regem Victorium Emmanuelem, contra Circulares Custodis Sigilli, respicientes Matrimonium Acatholicorum. 1863.

Maiestas! Circulares Ministri Custodis Sigilli dd. 3-ae Iunii proxime evoluti, attingendo certum dubium circa matrimonium Acatholicorum, ut dicit sibi propositum, derogant Rescripto R. dd. 6. Sept. 1824, et articulis 67 et 189 Codicis

civilis, virtute quorum stabilitum est: *in meridionalibus provinciis matrimonia celebrari non posse, nisi in facie Ecclesiae et secundum praescripta Concilii Tridentini.* Circulares Rescripto R. et Codicis dispositionibus derogantes, videbantur exorbitantia talis, quae iustas Corporum legislativorum reclamationes provocare debuit, quae statuerunt in provinciis his Codicem civilem provisorie in vigore suo usque ad publicationem novi Codicis permanere debere; expectabamus igitur cum resignatione. Sed posteaquam nunc Camerae prorogatae sunt, et non obstantibus suprafatis reclamationibus, a parte preli Catholicae Ecclesiae inimici canitur vox triumphi de novo ictu eidem Ecclesiae inflicto, non licet amplius silere nobis, qui a quacunque ingessione personalis politicae alieni, non possumus non vocem nostram attollere, dum de revindicandis iuribus Ecclesiae catholicae, cui regendae Episcopi a Spiritu S. sunt praepositi: „Spiritus S. posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei." Act. 20. agitur. Ad regium itaque thronum Mattis Vrae accedimus eo fine, ut avitam pietatem aemulando, consurgat ad defensionem conculcatorum Ecclesiae cath. iurium, quod nos obtenturos eo maiori fiducia speramus, cum ictus hic proveniat a sola potestate executiva, quae ab augusta voluntate Maiestatis Vrae penitus dependet.

In primis non comprehendimus, qualiter potuerit dubium oboriri super re, quae declaratur esse stabilita in praevio Rescripto, et legum articulis; quod quidem dubium eo maiorem excitat admirationem, cum ibidem reflectatur, idem Rescriptum R. et attactos articulos, cum primo Statuti fundamentalis articulo, in iisdem Circularibus provocato plene concordare. Reipsa autem non declarat ipsum illud Statutum, quod *Religio Catholica sit sola Status Religio*? Phrasis ista est identica in praeattacto R. Rescripto, et Codice Neapolitano; ergo, si identicum est principium etiam in Statuto provocatum, necesse est etiam consequentiam deducere identicam, seu in Statu matrimonium non potest legitime celebrari, nisi secundum praescriptas a Concilio Tridentino formas, quod essentialem efficit doctrinae Catholicae partem. Nota sunt verba *Portalis*, qui anno 1801 Corpori Legislativo praesentando Concordatum, sic fatus est: „Dum admittitur, aut

conservatur Religio, opus est, ut reguletur ad normas principiis suis conformes: arrogare sibi arbitrium perficiendi ideas et iustitutiones religiosas, sunt praetensiones naturae rerum adversae." Verum quidem est, quod ipse articulus Statuti subiungat, tolerari cultus actualiter existentes; sed recte, quia in Regno Neapolitano actualiter nullus eorumdem cultuum, ad quos Statutum alludit, existit, nihil obstat, quominus vigentium legum executio continuetur. Secundo, eaedem Circulares in subsidium vocant aliud principium, nempe omnes cives coram lege esse aequales. Episcopi non sunt ii, qui impugnare vellent veritatem pulcherrimam ex Evangelio derivatam, et quae impossibilem reddidit tyrannidem in societate vere christiana. Ast recte, quia quilibet civis indiscrimiuatim legi obedire debet, lex autem fundamentalis declarat, catholicum civem plene esse liberum in actibus religiosi sui cultus, civis autem acatholicus est dumtaxat toleratus, idcirco iste tenetur obedire legi, nec potest praetendere, ut aequiparetur catholico. Et quia essentia tolerantiae deposcit, ne admittantur actus publici, uti est Matrimonium, nisi in quantum sunt tolerati; hi vero secundum vigorem legum in Regno Neapolitano tales non sunt, hinc nos ipsi oramus aequalem legis in terminis, quos ipsa praescribit, adplicationem, seu plenam libertatem pro cive catholico, pro acatholico saltem tolerantiam. Sed non sufficit, ut in iisdem Circularibus in exercitio cultus civis catholicus aequiparetur acatholico, sed insuper praetenditur, ut privilegium hoc etiam ad extraneos sub praetextu principii iuris naturae, et libertatis conscientiae extendatur. Maiestas! classicis his duobus vocabulis, praeviae Circulares impositam nobis vellent obligationem regestrandi matrimonia etiam Turcarum, imo et Mormonnorum, quod ipsa illimitata libertas Americana repudiavit. Exinde hostile prelum Ecclesiae catholicae extollit Circulares has, qua grandem passum versus sic dictum *civile Matrimonium*, non solum per Ecclesiam Catholicam, sed etiam per Senatum Subalpinum, cui adaequatam Statuti Albertini cognitionem nullus negabit, adeo reprobatum. Necesse est sine dubio iuris naturae principiis praestare obsequium, quorum praecipuum est illud, quod, dum Deus, Creator, et Dominus omnium rerum,

voluntatem suam medio Ecclesiae catholicae revelavit, ut ipse primus Statuti articulus recognoscit, non possit existere ius humanum, in obversum excipiens. Libertatem conscientiae bene intellectam respicere oportet; sit ergo extraneus acatholicus liber in contrahendo iuxta suum ritum matrimonio, sed in Ditionibus illis, in quibus Religio Catholica est *sola* Status Religio, iustitia deposcit, ut praeferenter respiciantur religiosae convictiones novem millionum, civium catholicorum, qui in meridionalibus his regionibus, in pacifico, et immemoriali usu sunt, Matrimonia non secus, quam in facie Ecclesiae, et iuxta praescriptam a Concilio Tridentino formam celebrandi. Maiestas! nunc etiam praeter infaustas has Circulares, acatholicae sectae, etiam tales, quae hactenus in Italia ignotae erant, tantis favoribus locupletantur a parte Gubernii, quod ab Ephemeridibus, suis utique organis, publicas excipit gratiarum actiones, ut non toleratae, sed revera protectae in Italia videantur. Est iam tempus, ut Maiestas Vestra interveniat, et efficax remedium tantis malis adferat, faciatque manifestum, pietatem Amadaeorum in regali suo pectore non esse exstinctam; sed in Domo Sabaudica solius verae Religionis, quam Ecclesia Catholica, Romana, Apostolica profitetur, haereditariam persistere. Festo Assumtionis BMV. — *L'Armonia*. Torino. 1863. p. 1070.

Mon. 238.

Protestatio Epporum Aemiliae et Marcarum ad Regem directa contra civile matrimonium. 1863.

Iam alias exposuimus M. Vrae iustum dolorem, quem series gravissimarum iniuriarum, per Gubernium M. Vrae Ecclesiae I. Christi illatarum pectoribus nostris expressit. Oppressiones et angustiae, quae ab eo tempore continuo augentur, non secus ac illae, quae adhuc imminent, nos novitus cogunt, ut ad M. Vram accedamus, atque animos nostros cum profundissima, quam Eidem debemus, veneratione, et cum iniuncta nobis a conscientia libertate adaperiamus.

Longnm et dolorosnm foret singillatim ob oculos sistere miserum statum, ad quem Ecclesia in Dioecesibns nostris per continuas leges et dispositiones, eidem tanto magis inimicas, quo stndiosins velo speciosornm verborum tegnntur, — redacta est. Postrema decreta, dd. 5 Martii et 26 Inlii huius anni, de exercitio sic dicti *Exequatur* et *Placeti Regii* satis demonstrant, ad quem terminum nsque protensa sit Ecclesiae imposita servitus; atque manifestum sigillum veritatis et iustitiae apprimunt lamentis SS. Patris, qui in Allocutione 9 Iunii 1862 apostolicam suam vocem levavit contra illos, „qui omnia immutant, snbvertunt, et auctoritatem, constitutionem et potestatem Ecclesiae annihilant ... neque asserere erubescunt, illam non esse veram et perfectam societatem, omnimode liberam; neque propria sibi et constantia iura habere, a Divino suo Fundatore sibi collata; sed ad civilem potestatem pertinere, definere: quaenam sint iura illius, et intra quos terminos liceat ea exercere." Dum interim pondus acerbitatis attactorum vinculornm, eo magis insupportabilinm, qno recentiora et magis insolita snnt, — nobis obligationem imponit, nt coram M. Vra solemniter reclamemus, atque vocem nostram remonstrationibus Episcopatus tantarum partium Italiae coniungamus; — non minorem sollicitudinem excitarunt in animis nostris novae leges, quarum propositionem, — officiose saepe iam promissam, et per ephemerides omni e parte annnnciatam, — proxime subsecuturam praemetuere debemus. Loqnimur Clem. Rex! de sic dicto *civili matrimonio*, in serie reformationnm libri 1. Codicis iam occurrente et discussioni Senatus 15 Iulii a. c. proposito. — Non est opns M. Vrae prolixins enucleare iniquitatem, tristissimasque huiusmodi legum sequelas. Quod quidem ad civile matrimoninm doctrinae et praeceptis catholicis tantopere adversum, attinet: quas sapientiores, magis validas atqne certas considerationes in medinm proferre possemns, prae illis, quas ipse infallibilis Magister, et summnm capnt Ecclesiae, augustissimus Pius IX in paterna sua epistola dd. 19 Sept. 1852 Matti Vrae exposuit? Nos tantum expendere oramus Mattem Vram, qnonam deventura sit domestica et civilis societas, a tantis illecebris, omnisqne gene-

ris scandalis iam succussa, si repudiato sacramentali vinculo, perfectus concubinatus ad sinum familiarum introductus fuerit, et lex, — quae moribus populorum invigilare deberet, — publicae licentiae aditum reseraverit? Scimus quidem, nobis isthic continuo opponi exemplum magnae cuiusdam catholicae nationis, quae non obstantibus vivacissimis Ecclesiae reclamationibus, civile matrimonium per suas leges sustentat. Sed non deberet eodem tempore reticeri horrenda depravatio, inde exorta; quemadmodum statisticae, — testimonia insignium publicistarum, — et enormia pericula, quibus hic civilis convictus expositus est, clarissime perhibent. (*Sequitur protestatio contra alias leges de Religiosis et bonis ecclesiasticis, tum concludunt Eppi:*) —

Exposuimus Matti Vrae nostra gravamina, nostrasque protestationes, pro defensione illius Ecclesiae, quae Eiusdem quoque mater est, quaeve eam subivit sortem, ut non amplius favorem, aut protectionem, — ad quam ius illi omnino competeret — sed iustitiam, et libertatem, per leges omnibus assertam, flagitare debeat. Nos, quorum querelae hucdum exauditae non fuerunt, qui continuis amaritudinibus saturamur, qui a quinque fere annis in agone, ipsa morte crudeliore, constituimur, — nos, — secundum divinum praeceptum, — semper fuimus, erimusque obedientes in omnibus, quae legi Dei et Ecclesiae non adversantur; ast non possumus, nec unquam poterimus acquiescere — quidquid nobis eveniat — illis civilibus dispositionibus, quae Caesari dare intendunt, quod Dei est. Propterea alte infixum manebit menti, cordibusque nostris monitum magni Cypriani: „Annihilaretur vigor Episcopatus, annihilaretur sublimis et divina potestas gubernandi Ecclesiam, si propter humanum metum suis officiis deesset.“ Superest, ut Mattem Vram fervide obsecremus, velit auctoritate et potestate sua uti, ut tanta mala, quae Ecclesiam affligunt, desinant, et imminentia ab eadem avertantur. Liceat tandem nobis afferre sententiam celebris cuiusdam, quamvis noncatholici, Principis: „Volumus — scribebat Theodoricus — ne quisquam, cuiuscunque conditionis, iniuriam patiatur; nam securitas subditorum, est gloria Principis. Sed in primis volumus Ecclesias a quacunque iniustitia praeser-

vare; nam praestando illis hoc, quod ab aequitate deposcunt, divinae misericordiae nos dignos efficimus." — In Novembri 1863. (*Subscripti 3 Card. AEppi, 4 Eppi, et 4 Vic. Gen. Cap.*) — *Ghilardi L' Episcopato e la rivoluzione* etc. Mondovi. 1867. t. 2. pag. 412—417.

Mon. 239.

Episcopus Acerratensis contra Circulares Ministeriales de Matrimonio Acatholicorum. 1864.

Domine Minister! Cum stupore legi propositum Ministerio huic dubium in Eiusdem Circularibus de 3. Iunii p. p. quae continent notificationes de matrimonio acatholicorum; dubium, quod nunquam poterat in cuiuscunque mente oboriri penes certitudinem legum civilium in meridionalibus hisce provinciis vigorem habentium; dubium, quod facile evanescit penes clarum lumen contextus doctrinae. Patiatur ergo Illtas V. ut inter angustias Apostolatus impleam ministerium meum sacrum, residens in medio gregis adiungam me protestationi confratrum meorum de 15. Augusti p. p. Eidemque nonnulla proponam. Et primo quidem matrimonium institutionem suam repetit ab auctore naturae, perfectionem a legibus civilibus, sanctitatem suam a catholica Religione. Si reipsa consideretur matrimonium qua nuda societas a Deo ipso Creatore instituta, et a primariis eius legibus confirmata, consistit in mero consensu contrahentium, estque subiectum tribunali Altissimi. Si dein examinetur in respectu civili, in nostro codice est statutum, ut reguletur id solum, quod praecedit, dein sequitur matrimonium, nempe pacta nuptialia, conventiones, donationes inter sponsos, legitimitas prolium, ordo successionis, et his similia. Super hoc obiecto doctus ille iurisconsultus *Capone* in egregio suo discursu de historia legum patriarum scripsit: *omnes solemnitates civiles reducuntur ad meram promissionem matrimonii de futuro, cuius defectus importat simplicem privationem effectuum civilium, et cuius non-adimpletio redit ad resarcitionem damnorum;* (art.

67, 77. 78.) Si denique consideretur matrimonium, ut societas a Religione consecrata, cum sit Sacramentum novi Foederis, celebrari potest nonnisi sub conditionibus per Ecclesiam praescriptis, quae unica iure divino conservat depositum venerandorum mysteriorum, et potestatem infallibilis eorumdem interpretationis. Hinc aperte docet Doctor Angelicus: *Matrimonium, in quantum est in officium naturae, statuitur iure naturae, — in quantum est in officium communitatis, statuitur iure civili; in quantum est Sacramentum, statuitur iure divino.* Effective in temporum plenitudine ipse naturae et gratiae auctor elevavit illud ad dignitatem Sacramenti, quin ullam in contractu naturali induxisset mutationem. Hinc solus naturae contractus, conditionibus per Ecclesiam praescriptis munitus est Sacramentum, in catholicis illud suscipientibus spargens charismata gratiae supernae, custodire quenntis coniugalem illam fidelitatem, quam sibi contrahentes in conspectu Altaris iurant, et ad implendas graves obligationes statui adnexas. Hinc coram lege distinqui non potest contractus naturalis a Sacramento quod suscipitur, acsi essent duae res distinctae; quia dignitas venerandi mysterii et Redemtoris gratia è divina institutione contractui naturali adhaerent. Et aliunde *Acatholici* separati ab unitate fidei et caritatis Iesu Christi, sunt tamquam rivuli segregati ab inexhausto omnis boni fonte, quasi rami a foecunda arbore vitae immortalis recisi, quasi membra a mystico Redemtoris corpore separata. Hinc leges civiles qua tales, secundum publicistas, absolutam et relativam bonitatem, seu harmoniam cum principiis naturalibus praeseferre debent, et relationes cum statu nationum non possunt permittere acatholicis, ut hi in Statibus catholicis, aequaliter peragant cum catholicis publicas denunciationes apud Officialem Status civilis, domininmque exerceant cum tenoribus art. 67: *quod matrimonium in regno utriusque Siciliae non possit legitime celebrari nisi in facie Ecclesiae, secundum formas per Concilium Tridentinum praescriptas.* Repugnat vero, ut praeexistente mox memorato legali praecepto acatholici in actis publicis regestrare possint praeliminaria matrimonii ad contrahendum illud coram ministris. — Primus hominis superior est Deus,

explicat idem Toullier: suprema auctoritas divina, est unum e fundamentalibus dogmatibus moralis, et civilis societatis, unum eorum dogmatum, cuius momentum omnes legislatores antiqui et hodierni, omnes veri philosophi recognoverunt. *Pax et ordo societatis*, prosequitur ille, *non invenirent sufficientem securitatem in principiis legislationis humanae, nisi principia haec protegerentur salutari influxu Religionis.* Hinc sacrum depositum fidei et moralis evangelicae a Deo revelatae, et docentis Ecclesiae corpori concreditae inviolabile custodiri debet in sua unitate et integritate. Confitemur, ait Mirabeau, e cuius ore haec memorabilia verba exciderunt: *Confitemur in facie nationis et omnium seculorum, quod Deus sit adeo necessarius, prout libertas hominis, ideo in culminibus omnium departamentorum plantemus augustum crucis signum.* Sic est, Religio, subiungit Rousseau, et Montesquieu, *collocari debet in primo gradu negotiorum Status.* Ea revera in corde populi catholici scripta est, vivitque etiam in persecutionibus, quae eam succutere videntur, ast exinde attollit vocem suam immortalem, ipsaque ministrorum et fidelium exilia eam in corde ipsorum reddunt cariorem. E brevibus hic relatis doctrinis, Domine Minister, clare apparet, qualiter evanescat attactum dubium de matrimoniis acatholicorum, propositum huic ministerio, dubium Statuto diametraliter oppositum, quod recognoscit dominantem in istis provinciis Religionem catholicam, et permittit dumtaxat intra limites tolerantiae cultus praeexistentes, quales e divina clementia adusque vitam civilem non habent; dubium repugnans decreto de 6. Decembris 1824, et legibus vigorem habentibus, quae a Parlamento, et corporibus legislativis non tantum non sunt abrogatae, sed quibus ne in minimo quidem derogatum est, quinimo expresse sunt confirmatae apposita dispositione, usque promulgationem novi Codicis. Placeat itaque D. V. Illmae facere opportunas provisiones pro firmanda Ecclesia et societate. Acerrae, 2. Februarii 1864. Iosephus, Episcopus Acerratensis. — *L' Armonia*. 1864. p. 220.

Mon. 240.

Eppus Recinetensis et Lauretanus in prima Pastorali epistola de Matrimonio christiano. 1864.

— §. 3. Christus divinitatem suam quemadmodum in constituenda ac dilatanda Ecclesia, ita etiam in decernendis iis manifestavit, quae ad eius perpetuitatem maxime pertinent. Ut Ecclesia, quae usque ad mundi exitum est duratura, corporaliter renovaretur et augeretur, et ex sancta maris et feminae unione filii ad Dei cultum procrearentur, religioseque educarentur, firmata eiusdem indissolubilitate, matrimonium fuit a Christo Domino ad Sacramenti dignitatem evectum. — Quoniam vero Christus ad Sacramenti dignitatem coniugium elevans contractus naturam non immutavit, sic, ut speculative sub duplici respectu, prout est contractus, et prout est sacramentum, matrimonium considerari possit: inter catholicos Theologos non defuere, qui practice quoque in christianorum coniugiis rationem contractus a ratione sacramenti separari posse existimarent, et contenderent, inter baptisatos nuptias dari posse, quae validae essent in ratione contractus, quin sacramenti rationem induerent. Hanc sententiam, cuius vestigium apud Patres et antiquos Theologos nullum extat, primum propugnasse Guilelmum Parisiensem tradit Benedictus XIV (de Syn. Dioec. l. 8. c. 13.); etenim cum hic theologus sacerdotem sacramenti matrimonii ministrum constituisset, ut facilius cum Ecclesiae doctrina, quae clandestina coniugia ante Tridentinum rata habuit, suam sententiam componere posset, distinctionem illam invexit, atque nuptias clandestine initas validas esse dixit in ratione contractus, minime vero in ratione sacramenti. At invictissimis argumentis plurimi ac gravissimi Theologi hanc opinionem numquam non impugnarunt. Et re quidem vera *in matrimonio baptisatorum ratio contractus a sacramenti ratione nullimode separari potest, ita, ut coniugium christianorum, qui nuptias valide inire volunt, nullo obstante canonico impedimento, sacramentum quoque sit.* Etenim illud ipsum vinculum, seu maritalem coniunctionem a

Deo in terrestri paradiso institutam, de qua Protoplastus dixerat: ‚Hoc nunc os ex ossibus meis etc.' et quae, licet unionem divini Redemtoris cum Ecclesia apte repraesentaret, conferendae tamen gratiae vim sibi insitam non habebat, Christus Dominus sanctificantis gratiae signum efficax reddens, ad dignitatem sacramenti extulit, dicente Apostolo : ‚Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo et in Ecclesia.' At procul dubio huiusmodi coniunctio est illa eadem, quae in ipso matrimoniali contractu inter virum et mulierem indissolubili nexu per mutuum consensum concluditur; ipsi igitur matrimoniali contractui, quo mutuo partium consensu maritalis unio initur, est a Christo Domino sacramenti dignitas attributa. Paucis dicam : Christus Dominus in ea ipsa primitus instituta unione, quam ad primaevam indissolubilitatis institutionem revocavit, sacramentum constituit. Cum itaque ipsum matr. contractum ab initio institutum ad pristinam indissolubilitatem revocaverit, liquet ipsum contractum matr. ad sacramenti dignitatem fuisse evectum. Quapropter cum matrimonium significet ac efficiat sanctificantem gratiam ratione vinculi seu coniunctionis quam producit, quae coniunctio ad intrinsecam et essentialem contractus vim pertinet, ideo ratio sacramenti non est qualitas extrinseca et accidentalis naturae contractui superaddita, sed ipsi matr. contractui insita est. Itaque pronum est, in baptisatorum matrimonio contractum a sacramento separari non posse, sed eorum validas nuptias semper sacramenti naturam induere. Haec doctrina optime cum iis convenit, quae Innocentius 3. docuit. En eius verba : ‚Etsi matrimonium verum inter infideles existat, non tamen est ratum, inter fideles autem verum et ratum existit : quia sacramentum fidei, quod semel est admissum, numquam amittitur, sed ratum efficit coniugii sacramentum, ut ipsum in coniugibus illo durante perduret.' (Cap. *Quanto* de Divort.) In hac celebri Decretali Innocentius discrimen inter infidelium et fidelium matrimonium in eo constituit, ut illud verum sit at non ratum seu Ecclesiae sacramentum a Christo Domino institutum, hoc autem verum et ratum seu Ecclesiae sacramentum. Si latiori sensu sacramenti nomen sumatur, infidelium quoque matrimo-

nia propter significationem coniunctionis Christi cum Ecclesia sacramenta ab eodem Innocentio alibi appellantur: ,Sacramentum coniugii apud fideles et infideles existit'; (Cap. *Gaudemus* de divort.) huic consonat responsum ab Honorio 3 datum: ,Coniugii sacramentum non solum apud Latinos et Graecos, sed etiam apud fideles et infideles existit', (Cap. *Ex parte tua* de transact.) quod nonnisi de sacramento late accepto intelligi potest, cum ii duntaxat, qui fuerunt baptismate tincti, Ecclesiae Sacramentorum sint capaces. Innocentius itaque fidelium duntaxat matrimonium ratum dicens, hoc solum Sacramentum esse significat. At quid est, quod illud ipsum signum apud infideles ad gignendam gratiam inefficax, apud fideles efficax reddit? est profecto fidei sacramentum, seu baptisma, quod semel admissum numquam amittitur; baptismate enim abluti homines membra Christi fiunt, atque ita idonei ad ipsius sacramenta suscipienda. Cum igitur haec una baptismatis ratio fidelium matrimonium sacramentum Ecclesiae reddat, eaque in omnibus christianorum nuptiis inveniatur, omnia eorum coniugia, modo sint valida, sacramenta Evangelicae legis sunt, adeoque ex Innocentio ratio contractus a sacramento separari non potest. *Contraria huic doctrinae sententia a viro catholico nunc absque temeritatis notu defendi nequit.* Etenim Summus Pontifex Pius IX supremus veritatis magister animadvertens, haereticos ac infensos religionis hostes ea abuti opinione ad asserendum, Ecclesiam, cum de matrimonio agitur, potestatem habere iudicium ferendi solum circa sacramentum contractui superadditum, minime vero circa ipsum matr. contractum, quasi hic universim civili potestati subiiciatur, passus non est, ut error in re tam gravi impune grassaretur, et quid ab omnibus catholicis tenendum esset, apertissime declaravit his verbis: ,Dogma fidei est, matrimonium a Iesu Christo Domino nostro ad dignitatem Sacramenti elevatum esse; et doctrina Ecclesiae est, Sacramentum non esse quampiam qualitatem contractui accidentaliter annexam, sed ad substantiam matrimonii pertinere, ita, ut coniunctio matrimonialis inter Christianos tantum qua Sacramentum legitima, et absque hoc mere concubinatus sit. Lex civilis, quae apud catholicos

rationem sacramenti a ratione contractus seiungeret et ipsum matrimonium quoad valorem regulare vellet, doctrinae Ecclesiae adversa foret, huius iura inalienabilia usurparet, concubinatumque pari cum sacramento matrimonii sanctione muniret.' Id ipsum tradidit, quando legem de civili matrimonio in Neogranatensi Republica propositam gravissimis verbis reprobavit hac de causa: ,cum nemo (inquit) ex catholicis ignoret, aut ignorare possit, matrimonium esse vere et proprie unum ex septem evangelicae legis sacramentis a Christo Domino institutum, ac propterea inter fideles matrimonium dari non posse, quin uno eodemque tempore sit sacramentum, atque idcirco quamlibet aliam inter christianos viri et mulieris praeter sacramentum coniunctionem, cuiuscunque etiam civilis legis vi factam, nihil aliud esse, nisi turpem atque exitialem concubinatum ab Ecclesia tantopere damnatum, ac proinde a coniugali foedere sacramentum separari numquam posse.'

Ex his principiis illico eruitur: *Ecclesiam tantum potestate gaudere impedimenta matrimonium dirimentia statuendi eaque abrogandi, necnon leges coniugalis foederis firmitatem respicientes condendi, nullamque auctoritatem super his seculares Principes obtinere.* Ecclesiae eam potestatem competere a Concilio Tridentino definitum est Sess. 24. can. 3. et can. 4: ,Si quis dixerit, eos tantum cons. et aff. gradus etc.' Hoc Ecclesia ipsa constanti usu ac praxi firmavit, et eadem S. Synodus impedimenta affinitatis spiritualis, affinitatis, quae ex illicita copula oritur, ac publicae honestatis arctioribus finibus conclusit; matrimonia clandestina in locis, ubi decretum *Tametsi* promulgatum fuisset, irrita fecit, ac raptus impedimentum aut de novo induxit, aut pene obsoletum instauravit. Sane Christus Dominus validum matr. contractum ad sacramenti dignitatem attollens neque formam, neque conditiones ad vim contractus ipsius praescripsit, neque qualis sit contractus validus, definivit; at ea, quae ad sacramenta pertinent, si a Christo definita non sint, iure proprio Ecclesia decernit, ut eorumdem Sacramentorum dignitas et fidelium utilitas postulat. Est igitur ecclesiasticae potestatis

ferre leges, quae formam conditionesque ad contractus valorem necessarias designent, et quibus deficientibus contractus reddatur invalidus, atque ita sacramentum matrimonii nullum sit. Dicet fortasse quisquam: Ecclesia Sacramentorum essentiam immutare non valet, qui ergo impedimenta matr. dirimentia sancivit? Sed animadvertere oportet, Christum Dominum non in omni, sed in legitimo solum contractu sacramenti matrimonii materiam posuisse, et conditiones vel solemnitates, ex quarum defectu illegitimus fieret contractus, Ecclesiae praescribendas reliquisse. Quum igitur Ecclesia impedimenta constituit, sacramenti materiam non immutavit, sed contractum, qui legitimus olim erat, illegitimum reddidit, vel quia a personis quae inhabiles factae sunt initur, vel quia solemnitates praescriptae desunt; quemadmodum Eucharistiae materiam non mutat, qui ex vino acetum faciens materiam illud sacramento inceptam reddit, uti optime in C. Tridentino Patribus plaudentibus Card. Campegius observavit. Perperam autem aliqui Scriptores secularium Principum potestati in ecclesiasticae auctoritatis praeiudicium blandientes asseruere, unice ex indulgentia Principum Ecclesiam potuisse impedimenta matr. dirimentia statuere. Nam cum ecclesiasticae leges, quae huiusmodi impedimenta statuunt, generales sint, omnesque cunctarum nationum fideles, etiam Imperantes, ligent, quaerimus: a quonam Principe et omnium regnorum domino Ecclesia potestatem hanc mutuata est? Quinimo Ecclesia temporalium Magistratuum sacra iura invadentium leges, quae matrimonii vinculum respiciebant, ceu nullas habuit, eosque anathemate perculit, qui valida ac rata esse negarent coniugia adversus civiles praescriptiones inita. Id a Tridentina Synodo de iis nuptiis definitum est, quae clandestine antea contractae fuerant, vel modo sine parentum consensu contrahuntur, licet haec matrimonia tam graviter quorumdam regnorum sanctionibus prohibita sint, ut irrita esse videantur. Eademque ratione coniugalia foedera inita iuxta civilium Imperantium decreta divino vel ecclesiastico irritanti iuri adversa ab Ecclesia constanter indicata sunt invalida, iis decretis nullimode attentis; et qui in huiusmodi damnatis coniunctionibus perseverabant, tamquam publici

concubinarii gravibus poenis mulctati fuerunt. Firmissime enim tenendum est, Imperantium leges nullam habere vim, si evangelicis, apostolicis, atque canonicis decretis adversentur, uti tradit Nicolaus I. En! quomodo Patres civilem Imperatorum legem, divortium quoad foedus permittentem insectantur. Audiatur Chrysostomus, qui expendens illud ‚Mulier alligata est legi,' ita loquitur: ‚Ne mihi leges ab exteris conditas legas, praecipientes dari libellum repudii, et divelli. Neque enim iuxta illas iudicaturus est te Deus in die illa, sed secundum eas, quas ipse tulit.' S. Ambrosius eos, qui secundum civilem legem dimittebant uxorem, sic arguebat: ‚Dimittis ergo uxorem, quasi iure sine crimine, et putas id tibi licere, quia lex humana non prohibet? Qui hominibus obsequeris, Deum verere. Audi legem Domini, cui obsequuntur etiam qui leges ferunt: Quae Deus coniunxit, homo non separet.' Quapropter Pius VI posito dogmate de veritate sacramenti matrimonii concludit: (Ep. ad Ep. Motul. 1788.) ‚Hinc fit, ut ad solam Ecclesiam, cui tota de Sacramentis est cura concredita, ius omne ac potestas pertineat, suam adsignandi formam huic contractui ad sublimiorem sacramenti dignitatem evecto.' Cum omne coniugale foedus sacramentum sit, et iuxta divinas et canonicas leges celebrari debeat, iam quisque facile videt, *Ecclesiam tantum matrimoniales causas circa idem foedus ad suum tribunal posse avocare;* quod Tridentina Synodus definivit: ‚Si quis dixerit, causas matrimoniales non spectare ad iudices ecclesiasticos, anathema sit.' Exploratum autem est, omni aetate Ecclesiam hac usam esse potestate. Ex his luculentissime patet, quibus civilium Imperantium potestas circa matrimonium christianum limitibus coërceatur. Eorum potestatis est, matrimonii, quod Ecclesia ratum habet, civiles moderari effectus. Atque hanc catholicam doctrinam sequentibus verbis declaravit Summus Pontifex Pius IX cit. epist. ad Regem Sardiniae: ‚Potestas Civilis effectus matrimonii civiles regulet, et Ecclesiam sinat de validitate matrimonii inter christianos solam decernere. Potestas Civilis in coordinandis civilibus matrimonii effectibus pro cynosura sumat id, quod Ecclesia circa valorem aut

nullitatem matrimonii decrevit, nam de hac decernere extra sphaeram iacet civilis auctoritatis.'

Quid igitur sentiendum de *matrimonio*, ut aiunt, *civili*, quod absque sacerdotis praesentia ad normam civilium legum coram magistratu seculari a fidelibus contrahi solet in quibusdam christianis regionibus, et cuius usum nefarii scelestique homines in nostram Italiam inducere vehementer optant? Dicimus: *legem, quae matr. civile statuit, omni vi carere, in Deum impiam esse, ac matrimonium evertere.* Cum lex fertur circa ea, quae extra legislatoris potestatem constituta sunt, omni caret vi at superius iuxta catholicam doctrinam demonstravimus, coniugalem contractum inter Christianos cum sacramento ita coniungi, ut nullimode unum separari possit ab altero, quippe idem contractus sacramentum sit; lex itaque civilis contractum matr. afficiens de ipso sacramento disponit, ideoque de re sacra, de qua ex Christi institutione non Principibus sed Ecclesiae soli nativo iure disponere datum est; igitur lex de matr. civili est prorsus irrita. Praeterea uti in Deum impia est lex existimanda, quae nuptias mere profanas habens, eas civilibus aliis contractibus aequare praesumit, et sacris ab Ecclesia praescriptis ritibus exuit. Iam vero matrimonium, uti iam meminimus, in terrestri paradiso ab ipso Deo, coniugali foedere protoparentes deviciente, ortum ducit, et sacram coniunctionem Christi cum Ecclesia significat. Ethnici ipsi passim, maxime si de populis bene moratis sermo sit, ob primaevam traditionem inter gentilitatis tenebras haud penitus extinctam, veluti rem quadam ratione sacram matrimonium considerabant; idcirco nuptias sub deorum auspiciis ac superstitiosis ritibus solebant celebrare, sic, ut divinum quiddam in iis latere videretur. Hac de causa Tertullianus refert, Christianos coniugale foedus cum ethnicis non iniisse, apud quos nuptiae ab idololatria incipiebant. Ecclesia vero ad nuptias divino ritu sanctificandas ab ipsis eius primordiis voluit, ut fideles omnes coniugium contracturi coram sacerdote consensum exprimendo benedictionem peterent, atque ita uberiores etiam Christi gratiae fructus impetrarent. Id vetustiora Ecclesiae monumenta testantur. S. Ignatius Martyr

in Ep. ad Polycarpum scribit: ,Decet, ut sponsi, et sponsae de sententia Eppi coniugium faciant, quo nuptiae sint secundum Dominum, et non secundum cupiditatem.' Et Tertullianus: ,Unde sufficiamus ad enarrandam felicitatem eius matrimonii, quod Ecclesia conciliat, et confirmat oblatio, et obsignat benedictio?' Quibus verbis innuit, iuxta illius aevi disciplinam nuptias publice a sacerdotibus conciliari, postea oblationibus in Sacrificio Missae confirmari, et denique orationibus ac sacerdotali benedictione obsignari consvevisse. Idem Tertullianus haec habet: ,Penes nos occultae quoque coniunctiones, i. e. non prius apud Ecclesiam professae iuxta moechiam et fornicationem iudicari periclitantur.' Addamus postremo Conc. Carthaginense IV quod pariter auctoritate sua consvetudinem nuptias in Ecclesia benedicendi ac consecrandi confirmat: ,Sponsus et Sponsa cum benedicendi sunt a sacerdote, a parentibus suis vel a paranymphis offerantur.' Priscis illis ferventis caritatis temporibus tanta erga matrimonii sacramentum fidelium erat veneratio, ut ipsa sponsalia sacro celebrarentur ritu; ideo veluti sacrilegi putabantur, qui datam fidem de matrimonio ineundo absque legitima causa adimplere detrectabant, uti eruitur ex epistola S. Siricii PP. ad Himerium Tarraconensem: ita enim ille: ,De coniugali autem violatione requisiti, an desponsatam alteri puellam alter in matrimonium possit accipere: hoc ne fiat, modis omnibus inhibemus, quia illa benedictio, quam nupturae sacerdos imponit, apud fideles cuiusdam sacrilegii instar est, si ulla transgressione violetur.' Ecclesia itaque perpetuo clandestinas nuptias sacerdotali benedictione haud obsignatas detestata est; idcirco etiam in locis, in quibus C. Trid. decretum de necessaria ad vim nuptiarum praesentia parochi ac testium promulgatum non est, qui praetermissis ecclesiasticis ritibus matrimonio se iungunt, lethalis peccati reatum contrahunt. Iam vero haec omnia manifeste ostendunt, quam impia lex sit, quae, sanctitate sacramenti despecta, matrimonium omissis sacris ritibus ab Ecclesia praescriptis initum coram civili magistratu, validum habet. Neque minus manifestum est, hanc legem matrimonium evertere, atque cedere in damnum tum civilis tum christianae societatis,

cuius perennitas ab illo dependet. Et primum in locis, ubi Tridentini decretum *Tametsi* est promulgatum, vel usu receptum ,qui aliter (verba sunt Concilii) quam praesente parocho, vel alio sacerdote de ipsius parochi seu ordinarii licentia, et duobus vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt, eos S. Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, et huiusmodi contractus irritos et nullos esse decernit, prout eos praesenti decreto irritos facit et annullat.' Superius exposuimus, solum Ecclesiam potestate gaudere impedimenta matr. dirimentia constituendi; hoc itaque decreto Synodus eadem utens potestate ad vitanda gravissima mala, quae ex clandestinis coniugiis oriebantur, atque eorum peccata, qui relicta uxore clanculum ducta et cum altera palam matrimonium attentantes in perpetuo adulterio vitam ducere temerario ausu non dubitabant, novum hoc clandestinitatis dirimens impedimentum induxit, ac in locis, ubi promulgatum sit decretum, nuptias absque ea praefinita forma initas irritas fecit. Igitur matrimonia, quae coram seculari magistratu ad normam legis civilis celebrantur, nulla prorsus sunt; qui ita sunt coniuncti, non in matrimonio, sed in publico concubinatu vivunt, uti publici peccatores; nisi ab ea fornicaria coniunctione separentur, urgente Christi praecepto ,nolite sanctum dare canibus' a sacramentorum participatione, sive occulte sive publice ea petant, removendi, Ecclesiae poenas merentur; eorum denique filii coram Ecclesia et societate fidelium habentur illegitimi.

At alia gravissima mala in matrimonii perniciem, ex lege de coniugiis civilibus promanant, non solum in iis locis, in quibus conciliare decretum est promulgatum, sed etiam in iis, ubi decreto ob promulgationis defectum non vigente, nuptiae absque ullo sacro ritu ac sacerdotali praesentia initae, licet gravissime illicitae, validae tamen sunt. Et primum ubi decretum illud obtinet, si quis matrimonium cum una iuxta civilem legem inire ausus, postea cum altera coram proprio parocho nuptias contrahat, quoniam non primum sed alterum verum est matrimonium, cum secunda divino et ecclesiastico iure vivere tenetur; at civilis lex primum uti legitimum retinens, cum prima in adulterina coniunctione et in

habitnali statu peccati lethalis cum cogeret permanere. Sed huiusmodi legem etiam in locis, ubi decretum Tridentinum non est promulgatum, sancire legale adulterium facile intelligitur. Si quis coniugali foedere coram Ecclesia tantum devinctus, postea novo cum altera coram magistratu civili matrimonio nniatur, in hac secunda copulatione, quae vere coram Deo et Ecclesia adulterina est, civili lege vivere adigeretur. Haec quam gravia sint mala, quisque videt; at, quaeso, ne pigeat aliud sane deplorandum malum, quod ex ipsa civilium nuptiarum natura dimanat, considerare. Cum lex civilis matrimonium tamquam mere civilem contractum habeat, consequitur, ut quemadmodum de aliis civilibus pactionibus, ita de nuptiali vinculo disponere audeat; atque hinc conspicimus iis in regionibus, in quibus civile matrimonium invaluit, eam legem quosdam praefinire casus, in quibus matr. vinculum dissolvatur: quapropter ubi Tridentina lex viget, si connubium nedum coram magistratu, verum etiam in facie Ecclesiae adhibitis solemnitatibus contractum fuerit, iam fieri potest, ut illa civili sanctione dissolvatur, idemque ubi matrimonia clandestina adeoque etiam civilia rata sint, poterit contingere. At contra divina lex clamat. *Sane indissolubilitas matrimonii* iuri naturae apprime consentanea, — divina ordinatione in ipso paradiso terrestri confirmata est. — Ad primaevam hanc indissolubilitatem libello repudii abrogato Christus Dominus coniugii nexum revocavit. — Porro si ex divina lege coniugalis vinculi insolubilitas est repetenda, a qua nulla hominum auctoritas dispensare valet, sequitur solum Deum aliquos casus constituere potuisse, in quibus lex illa exceptionem pateretur, quia legislatoris est, non subditi, exceptiones in lege praefinire. (*Uberius probata indissolubilitate, concludit:*) — Ergo lex civilis divortium quoad vinculum in aliquo casu permittens divinae legi adversatur, adeoque irrita et impia est. Qui vi huius legis civilium magistratuum auctoritate coniugem dimittit, ac novum postea coniugale foedus attentare praesumit, non verum matrimonium, sed adulterinum nexum init, seque adulterii crimine maculat; filii vero ex hac damnata coniunctione orti illegitimi imo spurii sunt; tandem qui in hac legali moechia vivunt, cum in statu

peccati lethalis sint, de Ecclesiae sacramentis participare minime valent, et, nisi ante mortem resipiscant, non secundum civilem legem, sed iuxta divinam a Deo iudicati aeternisque poenis addicti nocte ac die cruciabuntur in secula seculorum.

Praecipua enumeravimus mala ex lege dimanantia, quae matr. civile inter christianos constituit, atque abunde ostendimus eam irritam esse, iniuriam Deo irrogare, et matr. ipsum evertere. En cur tanta cura ac studio perversi homines, Christi eiusque Ecclesiae inimici, christianas nuptias nonnisi rem aliquam profanam esse incautis svadere, easque a divina Ecclesiae potestate ereptas soli civili auctoritati subiicere contendant. Scilicet sperant arescente radice (christiano nimirum matrimonio), qua Ecclesiae corpus alitur et augetur, fore, ut Ecclesia ipsa exarescat. Verum o spes inanis, o stulti conatus! Christus Dominus, qui Deus est, promisit, inferorum portas adversus Ecclesiam non esse praevalituras: coeli et terra transibunt, verba autem eius non praeteribunt. — Datum Romae extra portam Flaminiam ipsa die Ass. BVM. 1864. — *Epistola pastoralis ad Clerum populumque Recin. et Lauret.* 1864.

Mon. 241.

Epporum Regni Neapolitani nova repraesentatio ad Regem contra civile matrimonium. 1864.

Clamor doloris, quem Italia catholica ministerio Epporum suorum attollit ad regalem thronum, est clamor mulieris sapientis: Serva me Rex. II. Reg. 14. — Unde nobis impendent minae? Proiectum legis — de matrimonio civili in novo Codice Italico propositum minatur completam negationem Religionis Catholicae, Statuti, et ipsius Dei benedicti. Sapienti et illuminato Regi sufficit indicasse periculum; comprehendit enim extensionem et gravitatem illius; surculo antiquissimae christianae Dynastiae, quae tantos dedit Eccle-

siae Sanctos, uti Augusta Domus Sabaudica, sufficit id intellexisse, ut promtum afferat remedium. Iam si e respectu formae constitutionalis, qua regimur, conveniens est, ut auctores et fautores proiectorum legis motiva, queis ad faciendam propositionem inducuntur, exponant: nostrae quoque obligationis est, throno regio remonstrare praecipua motiva et rationes nostri recursus, quia error, cui non resistitur, approbatur; veritas, quae minime defensatur, opprimitur. — Proiectum legis de matrimonio sic dicto civili in manifesta est oppositione contra Ecclesiam Catholicam. Nam matrimonium inter christianos non est saltem officium naturae ad generandos, et secundum rationem educandos filios, quod est etiam gentilibus commune, sed est etiam ius, ut parentes aggregent filios suos Ecclesiae, ad eam augendam et conservandam. Unde Apostolus dicebat, filios christianorum iam esse *Sanctos*, idest, ad sanctitatem destinatos: *alioquin filii vestri immundi essent, nunc autem Sancti sunt*. Et in hoc etiam consistit *Sacramentum magnum*, quod coniuges christiani repraesentant, coniunctionem quippe Iesu Christi cum Ecclesia; sicut nempe Iesus et Ecclesia continuo generant filios spirituales medio Baptismi, educantque aliis Sacramentis, sic coniuges christiani virtute coniugii ipsius destinantur pro officio divino, filios suos in fide et religione instituendi, ut fiant viva membra Ecclesiae; pro quibus officiis rite adimplendis confertur iis gratia sacramentalis. Facite nunc, ut vir et femina coram Officiali civili stipulent contractum emtio-venditionalem suorum corporum, *per coemptionem*, et non amplius habebitis Sacramentum magnum christianorum, et Ecclesiae sustulistis medium ordinarium semet conservandi. Annon itaque dici debet, matrimonium civile esse directam negationem Ecclesiae catholicae? Adminus proiectum isthoc salvasset Statutum, ut auctores illius vane gloriati sunt! Sufficiet citare solum articulum primum, qui declarat Religionem catholicam esse *solam Religionem Status*, ad conclusionem faciendam, quod, si hoc proiectum est negatio Ecclesiae, per id ipsum etiam Statuto opponatur. Sed ponamus etiam non existere articulum primum, qui per se nullum admittit dubium et ideo inimicis Ecclesiae adeo est odiosus, consideretur saltem Sta-

tutum in *suo contextu*, *in suo spiritu*, ad illud intelligendum ut alii praetendebant, nihilominus comperietur, haec duo proiecta in relatione ad Statutum esse perfecte antipodes. Albertinum enim Statutum non reperit populos Italiae in illo feritatis statu, de quo somniabat scriptor romanensis ‚Giuevrino' qua philosophus, ut ab eo creata fuissent originaria iura et primordiales populorum obligationes. Statutum hoc asserit iura, quae ipsummet omni concessione anteriora declarat, quodque recognoscit, quaecunque demum sit origo, et dignitatem naturae humanae, et christianam civilitatem 18 secculorum. Homo itaque prius est religiosus dein politicus, ut dicebat philosophus, adeo ut si diceret: meus campus, mea domus, habeat maius ius dicendi mea religio, mea fides; primum civium ius, quod Statutum tueri debet, est, ut absque obstaculo implere possit obligationes per Religionem ei impositas. Hinc est, quod etiam Status, qui pro fundamento sic dictam libertatem conscientiae sumunt, declarent, quod singulus proprii cultus protectione gaudere debeat. Quod vero propria Religio civium in Italia, praeter pauca millia dissidentium, sit catholica, nemo unquam dubitabit. Lex proinde, quae civi Italo impossibilitatem adimplendi obligationes e Religione catholica promanantes induceret, flagrans violatio *spiritus et literae* Statuti foret, quod eo fine concessum est, ut istud, quemadmodum aliud quodcunque ius civis securum reddat.

Nunc ergo, quae est doctrina Ecclesiae catholicae in respectu matrimonii christianorum? Audiatur infallibile oraculum Vaticanum: „Nemo catholicorum ignorare potest Matrimonium esse vere et proprie unum e septem Sacramentis a Iesu Christo D. N. institutis, igitur fideles non possunt contrahere matrimonium, quin una sit Sacramentum; unde quaecunque coniunctio viri et feminae extra Sacramentum, etiamsi in virtute cuiuscunque legis civilis contrahatur, apud christianos nihil aliud sit, quam probrosus et perniciosissimus concubinatus." (Pius IX.) Novella ergo dispositio proiecti Codicis, quae simpliciter a Sacramento praescindit, et civem ad contrahendum coram Officiali Status civilis matrimonium obligat, est lex Catholicum ad propudiosum et exitialem concubinatum obligans; seu ponit eum ad habitualem statum peccati contra

iudicium practicum propriae conscientiae. Ubi est ergo tutela Statuti de libero exercitio propriorum iurium? Sed plus adhuc: si iuxta doctrinam catholicam *verba consensum exprimentia, sunt ipsum Sacramentum*, novellum proiectum omnem civem ad verba haec coram Officiali civili pronuncianda obligans, eum obligat eodem tempore ad actum religiosum contra praescriptum suae Religionis. Ubi est libertas illa conscientiae, quae secundum asserta hodiernorum politicorum est basis omnis Statuti? Adhuc plus: auctor proiecti legis in Parlamento solemniter enunciavit, „non esse lege illa regulandas relationes societatis civilis, nec laedenda iura libertatis conscientiae.“ Sed pro conscientiis catholicorum existit regula infallibilis, quae est in Ecclesia, definiente, esse in potestate Ecclesiae stabiliendi alia impedimenta, ultra ea, quae in Levitico continentur, et tamen proiectum legis ea solum recognoscit, quae Martinus Lutherus e Levitico excerpsit; Ecclesia declarat *irritum* et *nullum* ipsum matrimonii contractum sine praesentia parochi et testium celebratum, proiectum vero praetendit validum coram Officiali Status civilis celebratum. Ecclesia dicit anathema iis, qui assererent matrimonia filiorum sine consensu parentum nulla, proiectum ea reiicit velut nulla. Ex adverso Ecclesia declarat matrimonium eorum, qui Ordine sacro, solemnibus votis, ligati sunt et inter personas cultu dispares *nullum*, proiectum autem recognoscit valida, etiamsi inter christianos et turcas inita. Ecclesia dicit anathema iis, qui asserunt causas matrimoniales non spectare ad sola iudicia ecclesiastica, proiectum vero ab opposito eas exclusive tribunalibus laicis attribuit. Aetas, quae secundum ius canonicum sponsos habiles reddit ad contrahendum matrimonium, sunt anni 14, et 12; ex adverso proiectum eam defigit in annis 18, et 15. — Praetermissis aliis, Ecclesia sibi reservat facultatem dispensandi ab impedimentis, proiectum autem tribuit eam Regnanti. Regulatne lex idgenus, bona fide, iura socialia, aut vero laedit iura libertatis conscientiae civium catholicorum, quales sunt Itali (paucis millibus demtis) omnes, iura, si aliud deesset, a magnificentissima, quae unquam exstitit, praescriptione, novemdecim scilicet seculorum, quibus Italia catholica est

firmata? Non solum ius civis dirigendi suam conscientiam secundum propriam religionem violat proiectum istud, sed et quaelibet alia iura, quae e Sacramento derivantur circa coniugium, potestatem patriam et familiam. Reipsa obligationes viri et foeminae iunctorum matrimonio, ut hodie sumitur, non profluunt e revelatione rationis. Consulantur tempora ante generationes 40 et opus Calvariae, et videbitur apud gentiles foeminam nunc aequiparatam fuisse gregi per virum custodito, nunc ut rem mancipii declaratam, et ut plurimum qua filiamfamilias consideratam, propria personalitate semper destitutam; filius apud gentiles erat minus nihilo, erat proprietas patris, et si hic eum de terra levavit, intravit primo in familiam, secus ad immunditias referebatur; et magnus ille legislator Lycurgus, e metu, ne pater ad compassionem moveatur, patri substituit magistratum pro iniqua hac operatione. Sed vix divinus Legislator christianorum matrimonium ad suam primitivam a Deo profectam institutionem revocavit, illudque ad Sacramentum elevavit, destinatum significare coniunctionem ipsius Iesu Christi cum Ecclesia, et iam mulier facta est *os de ossibus* mariti sui, *adiutorium simile illi*, digna ut ametur, *sicut Iesus Christus dilexit Ecclesiam;* et proles declaratae pusilli, quibus assistunt Angeli ante thronum Dei, fratres Iesu Christi, et cohaeredes regni coelestis, quos parentes sancte educare debeant, si cordi eis est propria aeterna salus. Infanticidia, expositiones et venditiones prolium, non secus et abortus, aliique barbari actus per sapientissimos paganorum commendati disparent in societate christiana. Verbo, veram emancipationem mulieris, verum conceptum patriae potestatis ac familiae, quae basin constituit fanstitatis in societate christiana, pro fundamento habet conceptus christianus, seu legitimum matrimonium viri et mulieris inter christianos est *magnum Sacramentum, sive symbolum coniunctionis Iesu cum sua Ecclesia.* Si ergo praedicta consecratio matrimonii sufferatur, ut proiectum proponit, redibit ad statum, ut fuit apud gentiles, et iura legitima, quae e matrimonio christiano in maritum, uxorem, patrem, matrem et filios derivantur, amittent suum fundamentum, et cessabunt existere. Verum quidem est, quod

proiectum illud firmare tentet appositis rubricis iura et obligationes, quae ex matrimonio oriuntur, ast sublata de medio sanctione religiosa quomodo poterit Status penetrare intra parietes domesticos, et imponere obligationem mutuae fidelitatis et assistentiae? Quomodo declarare maritum esse caput et non despotam familiae? Quomodo filiis imponere, ut diligant et revereantur parentes? Quis impossibilia reddet divortia, et polygamias, sublato Sacramento indissolubilis unionis Iesu Christi cum unica sponsa sua, Ecclesia? Exemplum antiquorum et hodiernorum gentilium non secus et eorum, qui diebus nostris per id, quod a Christianismo apostataverint, proclamant feminam liberam, et propudiosum Communismum ac Mormonismum cum aliis abominabilibus paganae libidinis polituris, evidentem et convincentissimam praebet probam, matrimonium aut habere sanctionem sublimem religiosam, qua Sacramentum, aut prorsus nullam, verbo, aut matrimonium Sacramentum, aut concubinatum et communismum. Sublata itaque per praesens proiectum praefata *sublimi religiosa sanctione*, ut clare enunciatur, violantur sanctissima iura sponsi, patris, filii, quae e matrimonio Sacramento in cives derivantur. An ergo lex ad violanda tantis modis civium iura, per Statutum asserta, tendens, non debet ipsius Statuti negatio nominari?

Porro traditio omnium populorum ab annis sex mille indicat, matrimonium a religione separari non debere, nec extitisse unquam actum humanum tantis tamque variis religiosis ritibus stipatum, quam coniugium. Sufficiat pro omnibus testimonium Plutarchi, qui describendo ritus et sacrificia apud gentiles, concludit: „Cogitaverunt illi se auxilio non minus quam quinque divinitatum opus habere contrahentes matrimonium, Iovis praesidis, Iunonis pronubae, Veneris, Suadae, et Dianae.“ Imo pro singulis actionibus sponsorum voluerunt divinitatem protectricem, unde nunquam magistratum civilem, sed sacerdotes voluerunt intervenire suis nuptiis: quandoquidem traditio omnium populorum docebat familiam esse institutionis divinae, non socialis, et generationem sobolis continuatam Creatoris operam. Idcirco Iesus Christus coniugium ad primitivam suam institutionem revo-

cavit, illudque in efficax signum conferendae gratiae elevavit ad fovendam supernaturalem reciprocam caritatem inter coniuges; Ecclesia ad sacramentalem hanc qualitatem christiani coniugii sensibilem reddendam disposuit, ut se sponsi proprio suo Episcopo aut parocho praesentarent, qui eos ritu religioso benedicerent. Convictio haec, quod nuptiae sint res sacra et religiosa, radicatur in conscientia christianorum, quae etiam post fatalem reformationem, testimonium habet protestantium, pastoris sui praesentiam in nuptiis deposcentium. Dum igitur novellum proiectum, contra consensum totius generis humani profanat matrimonium, deprimendo illud ad conditionem emtio-venditionalem, eoipso ignorat divinum eius institutorem Deum, unde recte quidam dicebat, secularisationem matrimonii esse primam consequentiam iuridicam atheismi.

Maiestas! haec sunt principalia e plurimis motiva, quae in conscientia nostra censuimus remonstranda R. Throno, ad contradicendum expositionibus per auctores et sustentatores huius proiecti propositis, ut sciant universi, quod, si Episcopi primi sunt in dando exemplo dum reddendum est Caesari quod Caesaris est, iidem, sint Deo laudes, pariter constantes et unanimes sint in vindicando quod Dei est. Ad Maiestatem Vestram Regiam pertinet finalis decisio. Nos expectamus tranquilli, quod D N. Iesus Christus, qui Sacramentum matrimonii pro sociali constitutione Ecclesiae instituit, habendo in manibus suis divinis cor Regum, permissurus haud sit, ut Repraesentans gloriosae Domus Sabaudicae, de Ecclesia Catholica adeo meritae, Rex, auctoris ipsius Statuti, quod pro Religione Status solam catholicam declarat, filius, Rex, qui super titulo ‚Dei gratia Rex' gloriatur, apponat unquam sanctionem suam tali legis proiecto, quod praeterquam quod despiciat Sacramentum, conculcare intendit iura Ecclesiae, Statuti, ac Dei, cui sit honor et gloria in aeternum. Neapoli, festo S. Mariae de monte Carmelo 1864. — *L' Unita Cattolica.* Torino. 1864. p. 1061.

Mon. 242.

Repraesentatio Epporum Provinciarum Taurinensis, Vercellensis et Genuensis ad Senatum Regni, contra proiectum civilis Matrimonii. 1864.

Dum maxime sublimes veritates, quae intimam rationem incrementi et prosperitatis humanae societatis constituunt, oppugnari vidissemus; dum in honoratissimis aulis, quae audiendo sensui nationis patere, atque patriam in via honestatis et iustitiae ad promeritam magnitudinem evehere deberent, acerba dicta contra catholicam fidem et christianam moralem proferri audivissemus: haec verba profunde sauciarunt animos nostros, qua Epporum, et Civium; qua Epporum, qui Deum super omnia amant, et qui defendere debent aeternas veritates, quarum depositarii constituti sunt; — qua Civium, qui, quemadmodum omnes alii, patriam amore prosequuntur, quive, ut omnes alii, in vera eiusdem gloria sibi complacent, hancque incontaminatam, salvamque desiderant et precantur. Dum iam hoc, iam illud sapiens et religiosum institutum', inexorabiliter percussum, cadere conspexissemus; tunc Statum nostrum conditioni aliorum temporum, aliorumque regnorum comparantes, gravi metu perculsi sumus: ipsum maxime vitale obiectum sustentandae dignitatis, securitatis et prosperitatis societatis christianae et civilis controversum iri; — tunc timuimus, apud catholicos, nobilem et sublimem matrimonialis vinculi sacramentalem characterem oppugnandum, — nosque cogendos fore, ad deplorandam hanc quoque ruinam, cuius funestas sequelas serius populi et amata patria nostra experiri deberent. Et hic angor cordium nostrorum, atque omnium sincerorum Catholicorum minime cessavit, dum iam reiici, iam prorogari videremus propositionem sic dicti civilis matrimonii, substituendi loco illius, coram Ecclesia unice veri et sancti, quod Deus Creator instituit et I. Chr. Redemptor sua gratia sanctificavit; — non cessavit, dum in sinu parlamenti eloquentia expertissimorum oratorum, et doctissimorum magistrorum ea omnia refutavit, quae in refor-

matione civilium effectuum matrimonii in praeiudicium Religionis et detrimentum familiarum Statusque tenderent; — non cessavit, dum (non loquendo de ecclesiasticis viris, Eppis et Oratoribus fama doctrinae et integritate vitae inclytis) eminentissimi Iurisperiti surrexissent, ad deploranda dolorosissima facta, quae apud nationem, per eiusdem fidei professionem et consvetudines suas nobis tantopere propinquam, ex introducto civili matrimonio dimanarunt, atque continuo dimanant. *) Non cessavit angor cordium nostrorum: imo nunc novitus eundem persentiscimus; sed hac vice inter adiuncta longe formidabiliora, propter metum, quod in corpore novi Codicis, aliis plurimis reformationibus, — quarum effectuatio unice ad civiles leges pertinet, — immixta et decisa comprehendatur reformatio Matrimonii, quae sua indagine omnes alias superat. Ad praevertendum hoc novum periculum, ad salvandam, si fieri potest, a tanto malo patriam nostram, nos subscripti Eppi et spirituales Rectores Dioecesium collegimus nonnullas ideas, quas Senatui — conspicuae huic parti parlamenti — exhibemus, qui — ut confidimus — expendendo hoc gravissimum obiectum, priusquam vota et proiecta, civilem coordinationem tangentia Regi substernantur, non dedignabitur easdem percurrere, atque videre: num praefatae res quamdam considerationem mereantur, et num decorum, honestas, vera utilitas christianae familiae, securitas et consueta vivendi ratio civium non deposcant: ut proiectum, de vinculo matrimonii in novo Codice factum reiiciatur. Non aliud, nisi ardentissimum desiderium promovendae moralitatis populi, curae nostrae concrediti nos proloqui facit. Si hoc non esset, longe commodius, magisque proficuum foret, his praesertim diebus, silere, et a tempore expectare condemnationem et medelam factorum; verumtamen id coram Deo et coram nostris in Episcopatu fratribus ex parte nostri reprobanda

*) Nemo ignorat, in Gallia duas societates christianae charitatis, unam ab *Ozanam* institutam, aliam vero a *S. Francisco Regis* nuncupatam omni zelo studere sanationi flebilis conditionis patrum et filiorum, qui sine Deo, sine fide, sine divina consecratione mutuorum officiorum, vitam crudelis incertitudinis et deplorandae immoralitatis plenam ducunt.

inertia foret, quae indolem probrosae condescensionis assumeret, et causam iustitiae et veritatis proderet; inertia, quam fideles nobis iure merito improbarent, et quae cumprimis acerbam reprobationem conscientiae nostrae experiretur. Suffulti praesidio gratiae Domini, et persuasione adimplendi boni operis, a sequelis libertatis nostrae nos neutiquam conturbari patiemur. Dicemus veritatem in nomine Domini; Ipse sit benedictus, si accepta fuerit, — quemadmodum confidimus, — et in ipso exultabimus, quia ipsius est omne meritum; — Ipse sit benedictus, si repudiata exstiterit, et in ipso recollecti fervide orabimus, — orabimus, ut infinitae suae misericordiae praevalere non sinat suam iustitiam, et ut malis, ex ingratitudine filiorum oriundis, per inexhauribiles thesauros paternae suae bonitatis remedium parctur. Hac quoque vice, quemadmodum prius, ex nobismet ipsis quaesivimus: cur tantus furor desaeviat contra vinculum Matrimonii, a Iesu Christo sanctificatum, ad dignitatem Sacramenti evectum, — quemadmodum docet Ecclesia, — et specialibus gratiis coelestis Redemtoris hominum communitum? Quid mali civili societati conscivit hoc divinum Sacramentum, ut a nonnullis tanta cum acerbitate et obstinatione oppugnetur? Quae iura nationum convulsit aut convellit? Quaenam obstacula ponit progressui? Quam virtutem domesticam aut civilem neglexit? Quaenam spes liberioris, laetiorisque futuri affulgerent patriae, si Sacramento e medio sublato, Gubernium merum civilem contractum, per quemdam suorum Officialium recognitum et approbatum adoptaret? Passionum expertes, recto corde et in simplicitate lingvae examinamus statum, sub quo hanc maxime vitalem quaestionem obtutui omnium, a partium studio alienorum sistimus.

Iesus Christus vinculum Matrimonii ad sanctitatem Sacramenti elevando, voluit: ut per hoc medium legitime et divinitus firmetur reciproca traditio, quam sponsi sibi invicem praestant; — voluit: ut sub munimen Ecclesiae collocetur fundamentalis actus, per quem familiae et Status subsistunt; — voluit: ut ad originalem suam conditionem revehatur matrimonium, purgando illud ab omni inquinamento, quo post originis culpam deformatum fuerat; — voluit: ut foemina,

quae per perversas passiones et iniustitiam virorum tam dolorose prostrata gemuit, erigatur, et primitivae nobili conditioni uxoris et matris indissolubiliter, digneque restituatur. Attamen talis illaesaque solum erit foemina, donec fidelis perstiterit verbis Divini Magistri; donec vinculum, quod illam vitae suae socio alligat, protectum et servatum fuerit per Religionem, quam Divinum Verbum in hac terra stabilivit; donec malum ex originali peccato procedens necessarium remedium invenerit in applicatione meritorum sangvinis Iesu Christi, quae fit medio Sacramentorum. Incarnatum Verbum itaque Matrimonium suae originali dignitati restituit. In principio Dominus unum solum masculum, et unam solam foeminam creavit, et nonnisi duritia et depravatio cordis humani deformavit hoc magnum institutum Divinum, atque indebitos abusus invexit; per hoc institutum maritus et uxor duas quasi vitas in una carne efficiunt, et, poscente necessitate vir domum patris et matris relinquit, ut adhaereat uxori suae; nam quod Deus coniunxit, homo separare neutiquam potest. Nos, spreta isthic omni arrogantia humanae scientiae, omnique celebrata austeritate paganorum, aut pure civilium morum, dicimus: Matrimonium nunquam assecuturum, vel saltem speraturum fuisse hanc magnificentiam, quam eidem Christus tam simplicibus, tamque sublimibus verbis attribuit, Ecclesiae suae concredendo hunc fundamentalem actum, unde originem ducit familia, unde stabilitatem, vires, decoremque nanciscitur societas. Socrates, vir in Philosophia tantopere celebratus, — Cato, tantis encomiis idolatrarum paganae moralis exornatus, — Augustus, qui in gloria civilis humanitatis et potentiae sibi parem non habuit, quales isti se exhibuerunt relate ad delicatissimam conditionem foeminae? Contegamus velo eiusmodi turpitudines. Ad Iesum Christum spectabat, alta voce proclamare reciproca officia coniugum, et hac ratione per vivificans verbum suum nova vita donare mulierem, — eandem suae dignitati restituere, atque sua divina auctoritate, postmodum Ecclesiae concredita, marito praescribere conditiones, per quas unice matrimonium legitimum, sanctumque reddere poterit. Ille, qui dixit, sanctificate diem festum et honorate domum

Patris mei, — atque hac ratione in domo Divini Patris liberam, puramque fraternitatem resuscitavit; — Ille, qui dixit: completo labore date operario mercedem suam, et mundum conditione mancipiorum liberavit; mulieri quoque dixit: Ego sum, qui te coniungo socio vitae tuae, et nemo te separabit ab illo; ipse in te partem sui considerat, ac velut se ipsum te amabit, honorabitque, — et hoc modo illam e vilitate, in qua prostrata iacuit, eduxit. Sed haec omnia non perficiuntur, quia perfici nec possunt, nisi a solo Deo; omnia haec non obtinentur, quia obtineri non possunt, medio puri civilis contractus, et extra Sacramentum Matrimonii, a coelesti Redemptore generis humani institutum. Profecto magnum est hoc Sacramentum, ex obtutu sublimium suorum effectuum et emolumentorum. quae humanitati praestat; magnum est, attamen „ego dico — exclamavit S. Paulus — magnum est in Christo et in Ecclesia.“ Deus est, propter quem vere magnum fit, et scopum desideratum atque promissum consequitur; Deus est, qui praeesse debet huic unioni, Deus, utpote Dominus omnium, — Deus, et non homo, — Deus, et non Magistratus. — Deus, et non arbitrium atque passiones, — Deus, qui solus continet rationem et vadimonium indissolubilitatis vinculi matrimonii. Cur ergo nationi, quae hoc sublimi beneficio gaudet, quaeve favente Deo, in Ecclesia ab Ipso instituta sanctitatis nuptiarum particeps est, — cur, inquam, huic nationi omni adstrictione virium surripere volunt hoc beneficium, ut illi, loco Dei, frigidam et in respectu excelsae significationis Sacramenti, inutilem praesentiam Magistratus, aut cuiusvis civilis Officialis substituant? Quid mali fecit Deus civili societati, ut huiusmodi ostracismum mercatur? Quid mali fecit? Sanctificando nuptias, puritatem et castitatem in implemento omnium officiorum coniugum deposcit, et intima conscientiae illorum repagula penetrat, ut testis sit affectuum et operum, quae ad assequendum finem, in quem hoc magnum Sacramentum institutum fuit, ordinantur. Nihil ibi tolerat, quod reciprocam fidelitatem et affectum, quem sibi iuramento spondent, labefactare posset; in abditissimis visceribus aggreditur minus honestas cogitationes, et in ipsa scaturigine passiones, ne funestas producant sequelas, quae illos comi-

51*

tari solent, qui Deum in coniugali vinculo non reveriti, in poenam et intolerabile iugum convertunt, quod praesidium et gaudium vitae ipsorum constituere debuisset. Virtus a Deo in Sacramento collata est, quae sollicite custodit et conservat pacem et inviolabilem unionem, tam in domibus divitum, quam in tuguriis pauperum; quaeve illorum gaudia moderatur, hos in doloribus sublevat, instruit, emendat et ad sui resignationem disponit; — virtus Dei est, quae affectum excitat, aut temperat, et per gratiam Sacramenti occurritur innumeris malis, alleviantur ineffabilia infortunia, impediuntur multae lugubres separationes. Numquid haec mala sunt, contra quae familiae aut civile gubernium Status se praemunire deberent? Num loco verbi Dei, et mirabilium effectuum, quos in animis coniugum sacramentalis gratia producit, sufficiet ad obtinendum hoc bonum, vox et praesentia civilis Officialis?

Quin isthic in causas investigaremus, quae divites a matrimonio abstrahunt, expendere iuvabit: maiorem numerum contrahentium consistere ex opificibus et pauperibus, qui adiutorio indigent, quo obligationes suas implere, se laborando prudenter sustentare, atque rem domesticam coordinare possint, ne aliquid, quod commune illorum emolumentum promovere potest, pessumdetur, et ut resistere possint illecebris vitii, atque satisfacere sacris officiis tum erga se invicem, tum erga sobolem. Expendere oportet, haec omnia repetenda esse unice a lumine et fortitudine, quam vita, iuxta voluntatem Dei instituta ipsis conciliat; a gratia huius Sacramenti, unionem illorum sanctificantis, et a cogitatione: Divinum Remuneratorem et Patrem strictissimas rationes exacturum de implemento, aut transgressione legum, quae homines in conditione, a Deo sibi praefixa, obligant. Auferatur Matrimonio virtus et sanctio Sacramenti, — redigatur illud ad puram, miseramque conditionem contractus — quemadmodum intenditur — et spoliatum erit hoc necessario fulcro adiutorii et providentiae. Oportet intrasse quamdam domunculam opificum et pauperum societatis; oportet quodammodo partem cepisse de illorum consvetudinibus et indigentiis, ut agnoscatur: quale, quantumve beneficium sit

interventus divinae Religionis, quae in hoc fundamentali actu, in matrimonio, potiorem partem talium familiarum sanctificat et confortat, quae robusta brachia sua officinis, foecundum sudorem agriculturae impendunt, et exercitui fideles, strenuosque milites praestant. Non colligimus, artificioso quodam sentimentalismo, plurimum moventes scenas, quovis momento occurrentes, discurrimus tantum in quaerenda pura et aperta realitate; quot miserae matres eriguntur ad patiendas inauditas afflictiones, dolores supremos, ad vigilias et ineffabilia fatigia, ut honeste vivere, necessitatibus domus suae prospicere, iracundum temperamentum mariti pacifice supportare, illum mansuetum reddere, eique ingenerare possint cogitationem de Deo, atque de benedictione, quae vinculum coniugale, illos stringens, indissolubiliter consecravit? Quos assultus passionum cadunt hac cogitatione devicti, quot iracundiae et inhonestae flammae exstinquuntur? Loquimur de opificibus et pauperibus, qui potiorem numerum constituunt, omnemque attentionem mereutur; — sed numquid divites, et sic dicti optimates fors carere poterunt hoc divino adiutorio, quod mentem ipsorum illuminat, corda moderatur, gressusque in semita virtutis et officii dirigit? Num fortassis poenitendum erit opulentis uxoribus, se ea, quae ipsis Dominus hoc in respectu praescribit, adimplevisse? Et num christianae familiae lamentari debebunt, si mariti e sua parte quoque id adimpleverint? Et quid relate ad educationem prolium? Quantas molestias nutritionis alleviat, quantam sollicitudinem educationi impendere facit scientia, prolem tutelae Dei committendi, cognitio et persuasio, quod in christiano matrimonio, ad Sacramenti dignitatem elevato, benedicti sint hi fructus reciproci casti amoris? Quam diversum animi statum subiret coram Deo et coram hominibus pater, eademque mater, — haec fragilis et delicata creatura, quae nonnisi per sensum religionis tam provida et magnanima fit, — in respectu prolium, qui fructus a Deo reprobatae unionis, a religione instar concubinatus habiti civilis contractus, forent, ad differentiam prolium, pretiosorum donorum Sacramenti, in nomine Dei suscepti? Fors divina benedictio, genitoribus impertita, non continuatur in tenella

sobole, et non descendit e capite unius supra capita reliquorum? Quam pulchra, provida et sancta est haec divina institutio, quae matrimonialem unionem ad dignitatem Sacramenti elevavit! Quam improvidum foret, matrimonium, etsi solum in facie Status, hac dignitate spoliare, eiusque significationem extenuare! O! priusquam in hoc maximi momenti actu tam gravis lapsus admittatur, — priusquam per inimicam legem a matrimonio avellatur tam benefica et necessaria sanctio religionis, legislatores nationis serio rem expendere deberent, ne tristissimarum sequelarum, inde derivandarum responsabiles fiant. Profecto si talia sint emolumenta vinculi matrimonialis, a religione consecrati, necessarium foret, ut populus, qui fortitudine et virtute se munire, securitati familiarum prospicere et per familias incrementa nationis promovere cupit, illud exoptet, et omni virium contentione effectui mancipet, si illo antea fruitus non fuisset; et habendo iam illud, habendo illud, usu et observantia 18 saeculorum consecratum, in consvetudinem nostrarum familiarum conversum, desiderium et vitam tantorum cordium constituens, — habendo illud, — cum sinceritate dicimus, — habendo illud, qua probatum magistrum et adiutorem in implemento tantorum officiorum, et exercitio tantarum virtutum, quae per contractus praescribi non possunt: (nam vox hominis, et mutabilium atque fugitivarum eiusdem cupiditatum imperio suo neutiquam penetrat intima conscientiae repagula, quorsum penetrat, et ubi imperat vox Dei) cur haec dilecta patria nostra violente privari deberet tantorum bonorum fonte, privari tam valido documento suae moralis perfectionis et magnitudinis, ut in locum huius exilem mercem communis contractus obtineat? Fors ideo, quod vinculum matrimonii, sacramentum factum et pro tali agnitum, influxum et progressus civilis libertatis impediat? Videamus.

Quisquis rite examinaverit ea, quae Ecclesia relate ad vinculum Matrimonii in declarationibus Patrum, in Bullis Pontificum et decisionibus Conciliorum, maxime Tridentini statuit, concludere debebit, in huiusmodi obiecto, difficultatibus pleno non posse desiderari maiorem accurationem et teneritudinem. In conditionibus, quae matrimonium praece-

dunt, comitantur et sequuntur, omnia rite disponuntur, omnia praeveniuntur, omnibus prospicitur. Securitate actus nuptialis, et essentia Sacramenti hac ratione sarta tectaque reddita, remanet libera pars, effectus civiles, et mutua officia ex his pro coniugibus orta, respiciens, circa quae Civilis Potestas pro diversitate temporum et locorum disponere potuit, quin metuere debuerit, Ecclesiam eiusdem decretis quaepiam impedimenta oppositaram. Certum est, Ecclesiam, donec consentire et cedere potest, id nentiquam recusare; et dum amplius non potest, et ad recedendum cogitur, tunc quoque certum est, bonum morale nec pro individuis, nec pro familiis, nec pro Statu obtineri posse; et aut indolem vinculi matrimonialis insuperhabitam, aut essentiales eiusdem effectus periculo expositos esse. Interim lex ecclesiastica tantum abest, ut hoc facto civili et morali progressui impedimenta poneret; ut potius hunc succolet et animet, atque divina sua sanctione tale vadimonium praestet, tales beneficos effectus producat, quorum nonnisi ea lex capax est, quae in intimis conscientiis imperat, cogitationes et affectus dirigit; quae immutabiles suas normas ad totam vitam extendit; quae sanctitatem connubii protegit in coordinatione familiarum, in generatione prolium, atque in educatione illarum pro exercitio virtutis, et hinc pro salute et decore patriae. Nolumus hic uti energicis quibusdam eloquentiae et doctrinae speciminibus, quae originem suam a celeberrimis ecclesiasticis scriptoribus repetunt; nam haec, — quamvis non aliud essent, nisi viva declaratio magnarum veritatum, a morali sensu enunciatarum et a religione confirmatarum, — qua praeoccupatorum hac in causa ingeniorum partus sisti possent; sed recurrimus ad alterius generis homines, qui hoc in argumento suspecti esse non possunt, ne quidem apud illos, qui in desiderio libertatis et progressus omnes alios antecellunt. *Claudius Fauché*, homo revolutionis, dum socii eius (a. 1789) per fiscalem et parlamentarem actionem se definitores moralitatis constituere, et Religionem ultimo praesidio stabilitatis et securitatis familiarum et Statuum spoliare voluissent, sic ad eos locutus est: „Leges civiles nunquam creare poterunt Moralem, quam ipsae potius semper sequi et ab aliis

observari facere deberent. Vos instar primae legum vestrarum, quae fundamentum ceterarum constituit, Religionem habetis. Oportet itaque spernere omnes has argutias, quas nonnulli Theologi et Iurisperiti, ad adulandum despotismo tribunalium in Germania et Gallia invenerunt, ut de Matrimonio qua Sacramento, et in suis relationibus ad Moralem considerato, disponere queant. Haec ad competentiam Ecclesiae pertinent. Id, quod ipsa in Concilio Tridentino stabilivit, omnibus moliminibus thronorum praevalet, et conscientias super omnia ligat. Ibi est Sacramentum, ubi Ecclesia Sacramentum esse dicit; ibi sunt boni mores, ubi Ecclesia bonos mores adesse declarat. Omnes seculares potestates nec unum iota mutare poterunt de veritate horum principiorum.“ (Discorso sopra la Religione nazionale. Parigi. 1789) „Fremui — dicit protestans *Deluc* — quoticscumque audivi philosophice disserenti articulum de matrimonio. Quanti diversi obtutus, quanta systemata, quantae passiones commotae! Neque dicatur, ad civilem legislationem pertinere, isthic providere; numquid enim haec legislatio non in manibus hominum est, quorum principia, atque ideae continuo mutantur, sibique contradicunt? Observate accessoria vinculi matrimonialis, in manibus civilis legislationis relicta; propius considerate diversas nationes, atque variationes, arbitrarios actus, et abusus, quibus eadem diversis temporibus subiacuerunt: et haud operose intelligetis, ad quid reduceretur tranquillitas familiarum et Status, si humani legislatores absoluti domini Matrimonii essent. Felices, multum felices sumus, quod in hoc puncto divinam legem habeamus, quae omnem humanam potestatem superat.“ Attingendo deinde diversas opiniones Politicorum et Philosophorum, de bonitate aut malitia legis matrimonialis, ex ipsa discrepantia harum opinionum confirmare pergit suam propositionem: quod videlicet Matrimonium, ad solam civilem legem restrictum omnibus variationibus subiectum foret, quibus aliae civiles leges obnoxiae sunt; atque ideo „magnus hic actus, qui in sua essentia, pro utilitate et pace humanitatis uniformitatem et constantiam deposcit, perpetuum obiectum vehementissimorum dissidiorum fieret;“ — demum concludit: „Religio itaque immensum

beneficium praestitit humano generi, statuendo et effectui dando legem matrimonialem, cui, quidquid in hominibus arbitrarii est, cedere debet." *) Haec iusta, atque clarissima effata omnino sufficiunt ad persuadendum: quod lex Ecclesiae, et Sacramentum, scopo sanctificationis nuptiarum institutum, civilem societatem in suo progressu non tantum non impediat; quin imo huic faveat, efficaciterque succurrat; ex adverso vero, quod civitati funestum vulnus infligeretur, eiusque progressus sisteretur, si vinculum matrimoniale salutari influxui et — dicamus libere — permanenti ac beneficae potestati Religionis subtraheretur.

Sed fortassis in constituenda nova familia, quae intimae et indissolubili unioni coniugum, eandem creantium innititur, civilis Status aliquid perfectioris praestabit, quam Religio? Fors ille imponere potest obligationes et officia, ad desideratum finem certius et constantius conducentia? Fors illis, qui pulcherrimas virtutes domesticas exercent, magis efficacem remunerationem, et consolationem promittere poterit, quam Religio nomine Dei promittit? Si ita sit, extendant manus ad opus Dei, destruant illud faciantque melius! Sed si ab opposito aliter eveniat; si sublato e medio christiano matrimonio, atque ad simplicem actum civilem redacto, officia matrimonialia sanctione caruerint, fides coniugalis vacillaverit, firmitas vinculi cessaverit et coniugatis necessariae virtutes, a suo fonte, qui est Deus, remotae, exaruerint; si educatio prolium, atque curae et fatigia, eam concomitantia, conscientia obligationis a Deo impositae priventur, et per altissimum scopum, a fide propositum non amplius consecrentur; si familiae, indissolubili et sancto ligamine illas coadunanti privatae, dispersae fuerint; si privata et publica moralitas hoc improvido facto prostrata iacuerit: o! tunc Sacramentum Matrimonii est ve-

*) Amaram pro demagogis, sed innegabilem veritatem deduxit inde *De Flotte*, de civili matrimonio scribendo: (La Souveraineté du peuple, part. 2.) „Hoc factum maxime retrogradum atque abnormem saltum constituit, quem unquam humanitas fecit. Societas nostra civilis omnino perdita foret, si haec usurpatio ... aliud esset, quam transitoria et imbecillis velleitas."

rum beneficium pro humanitate, verum medium perfectionis moralis, verus progressus; nam non datur progressus, hoc nomine dignus, sine moralitate, quae ipsius fundamentum est; — atque crudele facinus foret, hunc summi momenti actum vitae, hoc fundamentum familiae et societatis eliminare! Nullum privatum, aut ignobile commodum nos stimulat ad ita loquendum, — nisi illud: virtutis, pacis, stabilitatis et prosperitatis familiarum et Status, veritatis ac honoris Iesu Christi atque eius Ecclesiae, implementi demum officiorum nostrorum, et salutis aeternae animarum. — Quodsi, agnita evidentia rationum nostrarum, pervicaces amici civilis — et adversarii christiani matrimonii porro institerint, dicentes: se illud ex amore libertatis optare; subiungemus: an non sunt nobis in amanda patria pares cultissimi populi Germaniae? An non Angli? Et tamen in *Borussia* parlamentari proiectum legis de civili matrimonio mense Martio 1861 Camerae Magnatum secunda vice propositum et secunda vice ab eadem reiectum fuit; — et tamen haec lex neque Pastores Protestantum, neque Catholicos Parochos privavit facultate, matrimoniis suorum parochianorum assistendi, matrimoniis, quae postmodum per denunciationes efficacia reddi debuissent; et nonnisi illis civibus, qui matrimonium coram Ministro suae confessionis celebrare noluissent, permissum erat: illud coram civili Iudice contrahere. Et in Anglia? In *Anglia*, regno, ab amicis omnis libertatis tantopere celebrato, antea catholici sponsi fine recognitionis et immatriculationis coram Anglicano Ministro se sistere debuerunt, iuxta proiectum, quod Cancellarius Nardwiche 1754 Parlamento exhibuit; postea constituto nomine Status civili Registratore, hic interveniebat matrimonio, quod catholici coram suo Parocho celebrant; imo ex deferentia erga Anglicanismum, Gubernium pro validis agnoscit matrimonia anglicanorum, coram solo ministro suo, absque omni immatriculatione, et alia formalitate, a Statu praescripta, celebrata. Hac ratione conatur anglicum Gubernium et libertati civium consulere, et suam venerationem erga Anglicanismum testari, qui ibidem sic dictam *recognitam et per leges stabilitam Ecclesiam* constituit.

Attamen ii, qui apud nos introductionem civilis matrimonii, in praeiudicium principiorum Catholicae Religionis, — quam patria nostra fauste suam profitetur — proposuerunt, et iterum obstinate proponunt, ad exemplum vicinae *Galliae* confugiunt, dissimulando mala, ex eodem ibi orta. — Profecto ignorare non possunt, primum exemplum separationis. primumque factum civilis matrimonii apparuisse intra horrendos motus reipublicae Gallicae; neque ignorant, quam gravia lamenta resonuerint in Gallia ex ore facundissimorum et doctissimorum virorum, ut „cesset deploranda hereditas legis 21 Septemb. 1792, legis, tam per datum suum, quam per effectum funestae; legis, quae primo Deum matrimonio expulit, ut divortium introducat, illudque ad conditionem civilis contractus redigat;“ (*Sauzet*) non ignorant scandala, ibidem exorta, tristissimasque eius sequelas, nam lex reductionis matrimonii ad contractum civilem „ad spernendas omnes obligationes, e coniugali unione ortas ducere debet, factoque ducit;“ (*Nougarède* Repertorio universale e ragionato di Giurisprudenza) Matrimonium ad conditionem contractus nundinalis et negotiationis redegit, originem praebuit his clandestinis et spuriis associationibus, quae in Gallia putidissimum ulcus amplarum civitatum constituunt; personas ex professo, aut facto incredulas unicae sollicitudini materialis suae sustentationis immergi sinit, privando illas christianis institutionibus et exercitiis. Praeterea numerus expositarum prolium (non computando infantes, a nubilibus matribus suis furtive lactatos, quibus 52 departementa fixa subsidia largiebantur) tam magnus est, relate ad augmentum populationis, adeoque excessivus, ut moralitati summopere periculosus, et cuivis administrationi metuendus appareat, — quemadmodum elucet e statisticis operibus illorum quoque, qui gravem conditionem Gubernii alleviare nitebantur. Hinc producta fuit generatio, quae priusquam ad Ecclesiam ferretur, sine legitimis genitoribus, sine affectu domestico, asylis publicae charitatis committebatur; eliminatis sublimibus vadimoniis, quae religio suis cultoribus praestat, exortae sunt in gremio nationis hae edaces tineae, quae illam arrodunt, atque in memoriam revocant precariam existentiam priscarum societatum, ingenti

multitudine mancipiorum in sinu suo comprehensorum, quotidie territarum;" — et suffossis fundamentis familiae, substituta vero et ab Ecclesia approbato matrimonio hac apparente et ephemera imaginatione nationis — „unio et harmonia socialis perturbata, firmitas, atque subsistentia Status impossibilis reddita est." *) Eppi Galliae, potior pars Magistratuum et Scriptores tenerioris conscientiae, hoc argumentum pertractantes, unanimes sunt in affirmando: moralem statum, qui in Gallia ante 1789 viguerat, moderno aevo non rediturum, imo subsistentibus introductis modificationibus, nunquam revehendum fore, nisi matrimonium materno stipiti, Religioni quippe, a qua violente avulsum fuerat, restituatur; affirmant, sat considerabilem numerum civium more maritorum vivere, quin in facie Ecclesiae et coram Deo veri coniuges sint; nam, ut praevideri poterat, et ut quivis, praeiudiciis non occupatus rerum arbiter perspiciet, — cessante obligatione divinae sanctionis Matrimonii, et depostis solummodo civilibus praescriptis, quibus conscientia facile elabi potest, latissima porta patere debuit concubinatui, in funestissimam plagam societatis converso. Hinc coniuges per solum civilem contractum, se in spurio, ab Ecclesia, atque ab ipsa sua conscientia graviter reprobato situ cernentes, exercitia religiosa passim negligunt; hinc si genitores sint civiles coniuges, neque filii erubescent naturales patres fieri, et non rarum exemplum est, tribus successivis generationibus talium patrum, taliumque filiorum occurrere; — imo auditi sunt nonnulli e populo,

*) „Legislatores, — prosequitur *De Flotte* (Esprit de la révolution p. 2. lib. 2. c. 2.) omnes conatus vestri coniuncti non valebunt aliquid substituere magnifico operi Christianismi..... Videte, nos non metuimus asserere, si hoc institutum matrimonii, sociali ordini vestro tantopere necessarium adhuc perduret, vos illud christianae ideae in acceptis refertis.... Verumtamen attendite; auctoritas matrimonii quotidie magis vilescit, *et sine religiosa idea, legitimae familiae vestrae nec uno anno persistent.* Vos asseritis: vobis religionem, tam legaliter, quam politice indifferentem esse.... Archimedes punctum quaesivit, quo fulciente mundum levaret; vos fortiores videminor mihi: vos illum in nihilo sustentare vultis."

crassioris intellectus et crassioris independentiae repetere: quid isthic agendum babet Officialis Status civilis? Numquid non possumus habere filios absque illo? — Humanitatis lapsus, reipsa immoralis, plurimumque deplorandus? Haec omnia e testimoniis scriptorum, qui — ut dici amat — ingeniis liberis, atque a praeiudiciis immunibus acceptissimi sunt, collegimus, et eo scopo in medium protulimus, ut pateat: nentiquam sufficere, quampiam legem, consuetudinem aut doctrinam, alibi adoptatam et propositam, amplecti, — quemadmodum saepe praecipitanter fieri solet; — sed oportere diligenter examinare doctrinam, cum sequelis, quas secum invehit, et in locis ubi usu invaluit reipsa iam causavit; — oportet examinare, num effectus, quos lex quaepiam producit, et iam reipsa produxit, sint funesti, quemadmodum effectus civilis matrimonii, — si adoptaretur — funesti forent; quo sub obtutu Gallia nobis clarissime demonstrat: hos effectus, hasque sequelas tales esse, ut in aliis sapientibus et prudentibus Guberniis desiderium faciendi huiusmodi experimenti extinquere debeant.

Sed dicitur: nos legi civili suam partem tantum vindicamus, erga Religionem vero deferentissimi sumus; — nos nolumus attrectare divinam sanctionem Matrimonii, cuius momentum agnoscimus; imo gratulabimur, si civilis repraesentans, — quemadmodum in alio proiecto legis iniungebatur, — Catholicis suaserit: ut per Sacramentum compleant illud, quod Status civilis medio contractus perfecit. Hic — sit venia verbo — crudelis irrisio subversatur! Illo momento, quo Ecclesiam sua auctoritate exuitis; — quo eandem cum ingenti detrimento familiarum et Status saluberrima atque sanctissima praerogativa spoliatis; — quo intimas eiusdem rationes spernitis et populos ad illas infringendas invitatis; illo momento, quo — dicente Mirabeau — proclamato civili matrimonio *gravissimum attentatum contra Religionem committitur*, prorumpere in similes expressiones, impertiri huiusmodi consilium! o crudelis irrisio! Magis aperte, et absque reticentia loquitur famosus auctor operis cui titulus: „Della Giurisprudenza del matrimonio in Francia, e del mutamento provato per l'abolizione del divorzio“ affirmando: „quod

Gallica lex, solum naturalem contractum matrimonii adoptando, per id ecclesiasticam Iurisdictionem penitus excludere voluerit; neque alia sit intentio legis, quam declarare: ad validitatem matrimonii non esse necessarium quemcunque actum religiosum." Neque adhibeatur isthic magica vox *libertatis*. Multa exempla vicinae Galliae docent, cuiusnam indolis sit haec celebrata libertas, utpote quae illis tantum favet, qui praecepta divina pedibus conculcare voluerint; imo quae illis quoque, qui eadem uti cupiunt, saepe in acerbam tyrannidem convertitur, cogendo ipsos, ut in statu continuae violentiae, propriaeque religiosae convictioni contrario vivant, cum per civilem legem indissolubili vinculo constringuntur, quod coram Deo nullum est. Atque omnino talis est lex, quam in obversum solemnium declarationum Ecclesiae summa cum claritate, et argumentorum vi factarum, nobis quoque obtrudere vellent, ut catholicorum conscientias manifestae pugnae secum ipsis exponant, sicque, sub praetextu religiosae libertatis, irreligiositati, disordini et immoralitati aditum pandant! Concilia et Summi Pontifices sat clare loquuntur, eorumque sententiae in omnibus theologicis operibus, et tractatibus Iuris ecclesiastici contentae, ab omnibus consuli possunt. Benedictus PP. XIV, cuius eruditio, et animi generositas omnibus nota est, anno 1746 ad Missionarios Hollandiae de matrimonialibus contractibus, coram civilibus Magistratibus et haereticis ministris initis loquendo, diserte statuit: „Sciant catholici, curae vestrae concrediti, contrahentes, nisi nuptias coram catholico sacerdote et duobus testibus celebraverint, coram Deo et in facie Ecclesiae nunquam pro legitimis coniugibus recognoscendos fore; eosque, sibi mutuo convivendo, ac si in coniugio essent, graviter peccaturos. Sciant denique, quod si filii ex huiusmodi unione prognati fuerint, hi ita considerandi sint, quasi ex illegitimo thoro nati essent, et ideo ipsi quoque coram Deo illegitimi erunt; et nisi parentes, secundum praescripta Ecclesiae consensum renovaverint, sciant, se iuxta tenores ecclesiastici Iuris in perpetuum illegitimos mansuros."

Post haec omnia, videant Legislatores nostri, ad qualem situm ponerentur conscientiae Catholicorum, eorumque

religiosa, atque domestica conditio: si matrimonium ad purum civilem contractum reduceretur; quam formidanda series perniciosorum et fors sanari nequeuntium concubinatuum aperiretur, pro desolatione familiarum, pro damno et gravissimo opprobrio prolium, pro ruina demum verae stabilitatis socialis. Quapropter regnans Summus Pontifex iam 19 Sept. 1852 in familiari epistola augusto Regi nostro scripta sic fatur: „Non existit alter modus conciliationis, quam ut Caesar, retinendo, quae Caesaris sunt, — omittat Ecclesiae ea, quae Ecclesiae sunt. Potestas civilis disponat de civilibus effectibus, qui e connubiis oriuntur; ast permittat Ecclesiae ius, de validitate illorum apud Christianos decernere." Nos firmiter confidimus in sapientia illorum, ad quos pertinebit, decisiva sua vota offerre; confidimus, quod lex tantorum malorum ferax non sit proponenda sanctioni Principis, tantopere amati, et vi naturalis inclinationis tantopere generosi, — Principis, cui obtigit hereditas tantarum, tamque nobilium religiosarum virtutum, propter quas familia eiusdem familia Sanctorum dicta fuit, — Principis, qui prosperitati suorum, magis filiorum, quam subditorum, studet; — confidimus, quod non sit proponenda sanctioni Regis lex, quae tam amara fieret cordibus omnium catholicorum: ipsorumque summo Capiti, qui nomine aeterni Pontificis et Salvatoris mundi Iesu Christi, ac nomine omnium Catholicorum paterno cum affectu ad Eundem se convertit, ad praevertendum tam funestum eventum. Confidimus, non fore sanciendam legem, quae implicite atheismum Gubernii profiteretur; memores horrendi, sed veri effati *Portalis*: „Irreligiosus spiritus, in politicum systema conversus, propius — ac credi vellet — accedit ad barbariem." Et Vos, o Domini! Vos, in quibus situm est, hoc proiectum in legem convertere, dum manum versus urnam, a qua tam grave factum dependebit, extenderitis, cogitate matres vestras, quae in matrimoniali vinculo a Deo benedictae Vobis vitam dederunt, Vobisque in Deo, atque benedictione sua hereditatem tantarum religiosarum et civilium virtutum reliquerunt; — cogitate uxores vestras, matres filiorum vestrorum, quae rubore suffunderentur, nisi religio castitati nuptiarum suarum praecesset; — cogitate alias spon-

sas, et futuras matres; — cogitate, voto vestro in opprobrium Religionis emisso, summos dolores supra caput mulieris accumulandos fore, quae praecipue per vinculi coniugalis ad Sacramentum elevationem protracta fuit a Iesu Christo ex antiqua vilitate, ad honorificum locum, qui ipsi in familia obtigit, et quem hoc momento matres et uxores vestrae tenent. *) Neque solam foeminam tantum cogitate, sed cogitate simul totam generationem patrum et filiorum, uxorum et matrum; cogitate honestam firmitatem, ordinatam fortitudinem et stabilitatem familiarum, quae firmitatem, fortitudinem et stabilitatem Status constituunt: et post has considerationes indolem et intimam essentiam rei expendite. Qua honorandi et sapientes viri, nolite exaggeratione uti, in tam delicato, summi momenti et (si insuperhabeatur) terribilium sequelarum ferace argumento; nolite exaggerare nonnullas isolatas et transitorias imperfectiones, quae potissimum vel ex incompleta legum Ecclesiae observantia, vel ex individuali quodam facto oriuntur, atque substantiam Sacramenti neutiquam attinentes, unice a humana et variabili conditione diversorum locorum et temporum dependent: serio ponderate haec omnia, et plura adhuc, quae nos dicere non potuimus, et postea decidite. Quodsi in dando voto vestro nonnisi in bonum et stabilem gloriam ac honestatem patriae — quam — ut confidimus — in corde gestatis — intenti fueritis: nihil dubitamus, Vos, per vota vestra, hac quoque vice exhibitum Vobis proiectum reiecturos. Mense Novembri 1864. (*Subscripti 8 Eppi et 6 Vic. Gen. Cap.*) — *Ghilardi L' Episcopato e la Rivoluzione in Italia.* Mondovi. 1867. t. 2. pag. 171—189.

---

*) „Vos Deo substituitis Statum, — legi, quae mutari non poterat, substituitis vestram, quam alter mutare potest. Dignitas mulieris profunde laeditur; mulier, quae hucdum suo iuramento obedivit, postmodum parere debebit vestris legibus, quas ipsa non fecit. Sub praetextu libertatis, vos domini eius eritis, sub praetextu progressus, Romam (paganam) reditis.... Quid igitur facitis? O! vos id probe scitis. Cum fide, in Ecclesia coniuges tantum dantur; — extra Ecclesiam in amore, proci tantum erunt; — extra Ecclesiam et extra amorem concubinae tantum manebunt." Sic *De Flotte.* (Esprit de la Révolution. p. 2. l. 2. c. 3. n. 24).

Mon. 243.

Protestatio Epporum Hetruriae altera contra civile matrimonium, secularisationem bonorum Ecclesiae et suppressionem Ordinum Religiosorum, ad Regem. 1864.

Nolit vitio vertere nobis M. Vra, si Thronum Eiusdem iterum reverenter accedentes, clamorem terroris emittamus, in conspectu trium factorum, quae dolore complebunt patriam nostram, quaeve sunt: *concubinatus lege sancitus*, suppressio Ordinum Religiosorum et destructio patrimonii Ecclesiae et pauperum Iesu Christi. Per primam harum legum profanabitur familia; — per secundam contemnetur et laedetur exercitium maxime sublimium Christianismi virtutum; — per tertiam pia hereditas, quam patres nostri cultui divino et sublevamini pauperum obtulerunt, ad voraginem debitorum Status proiicietur, cum sacrilegio, quod illud perpetrantibus nonnisi indesinentem ruinam fructificabit. Mater, virginitas, paupertas, — Religio, quae illas sanctificavit, et quidquid sacri et venerandi in his terris superest: omnia ignominiose profanabuntur. Quali cum detrimento fidei, moralitatis, publicae et privatae virtutis? nemo est, qui non videat: et solum Gubernium M. Vrae tam infelix est, ut id ignoret. Non adducemus isthic argumenta, e canonicis rationibus petita, id iam praestitimus: et, proh dolor! fors incassum. Nos solummodo M. Vram nomine Iesu Christi, et nomine animarum, sangvine eius redemptarum orabimus: ut christianum matrimonium, magnum hoc Sacramentum a contaminatione et sacrilegio praeservare velit. Non indulgeat, ut quoquo modo laedatur magnifica legislatio catholica circa matrimonium, quam Ecclesia per octodecim seculorum seriem, in basi iuris naturalis et sacramentalis institutionis Iesu Christi evolvit; — non consentiat, ut id, quod vi suae naturae, in religiosa nostra conscientia identicum, et indivisibile est, separetur, et ut in Statu christiana nostra origo negetur. Mala, quae inde in societatem dimanarent, immensa forent. Deus imperium

suum supra vinculum familias generans, exercendo, illud ad omnia ligamina, quae civilem societatem, e familiis ortam coniungunt, extendit; et si homines auctoritate pollentes Deum e thalamo nuptiali pepulerint, necessario e tota societate exulabit. Habebimus a cunis usque ad tumulum societatem, iussu Gubernii atheam! Profecto quivis honestus homo isthic causam pavendi reperit. — In Decembri 1864. (*Subscripti 4 AEppi, 12 Eppi, 7 Vicarii Capit.*) — *Ghilardi l' Episcopato e la Rivoluzione in Italia.* Mondovi. 1867. t. 2. p. 293.

Mon. 244. 245.

Episcopi et Ordinarii Dioecesium provinciarum ecclesiasticarum Taurinensis, Vercellensis, et Ianuensis ad Commissionem centralem Senatus Regni circa proiectum novum legis de sic dicto matrimonio civili duplicem faciunt remonstrationem. 1865.

244. *Remonstr. I.* Episcopi et Vicarii Generales Capitulares antiquorum Statuum obsequiosum Exc. Senatui Regni iam vice una exhibuerunt recursum circa proiectum libri primi novi Codicis civilis, mediante quo introducendum foret sic dictum matrimonium civile, dum annunciabatur futuram eius discussionem in reassumtis Sessionibus praeteriti Novembris; cum interim penes pertractationem proiectum illud varias sumsisset directiones, necessario adiungi eidem adhuc debent nonnullae observationes, quas ut Exc Praeses, et Inclyti Domini Senatores, in Centrali Commissione occupati, et super proiecto legis de legislativa unificatione relaturi bono recipiant animo, rogamus.

Sapientes discussiones in Parlamento anni 1852 super propositione eotum facta habitae ad summam evidentiam locarunt, quod matrimonium e sua indole et praeferenter sit actus religiosus, quod omnes gentes, omni tempore id qua tale consideraverint; sufficiat reflexisse ad egregiam dictionem Comitis Stara. Celeberrimi publicistae, et hodierni philosophi,

incipiendo a *Montesquieu, Gerdil, de Bonald, de Maistre, Chateaubriand, Troplong, De Savigny, Tapparelli, Deuros, Della Motta, Gousset, Parisis, De Flotte, P. Sauzet* consentiunt in hac sententia. Demonstrationes per *Rosmini* factae in philosophia iuris, et in libro Dominis Senatoribus praesentato, sunt quoad totum convincentes, nec possunt refutari. Matrimonium itaque est praeferenter res sacra, et necessario pertinens ad religionem, et eoipso pertinet ad familiam, in qua initium sumit, consummatur, suosque effectus internos producit. E familia sunt duo sponsi, qui a familia separantur ad formandam novam coloniam, familiae dant fundamentum in novo statu quem subeunt; igitur dumtaxat in sphaera duorum membrorum familiam constituentium quaerenda est facultas influendi secundum leges a natura dictatas, et a Deo, in Matrimonium; nisi admittatur illud absurdum, quod societas civilis producta et constituta ex familia unice pro securitate et communi defensione destruere potuerit ipsam familiam. Post haec principia, quae dici possunt iura naturae, tenendum est, quod sit dogma de fide matrimonium a Iesu Christo ad dignitatem Sacramenti elevatum esse; doctrina autem Ecclesiae est, Sacramentum non esse qualitatem accidentalem contractui adnexam, sed de essentia ipsius matrimonii, ut adeo coniugalis unio Christianorum non sit legitima nisi in Sacramento matrimonii, extra quod est merus concubinatus. (Lit. SS. Patris Pii IX ad R. Victorium Emanuelem de 19. Sept. 1852.) Ius publicum Statuum istorum a longa annorum serie recensitis iuris naturalis et divini principiis, ac doctrinae catholicae conforme est; in plena conformitate et observantia iurium horum ac doctrinae proclamatum fuit fundamentale Statutum politicum, quod art. primo statuit Catholicam, Apostolicam, Romanam Ecclesiam esse unicam Status Religionem, alii cultus saltem tolerantur legi conformiter. Ius publicum millenarium, Statutum, cui per potestatem Status detrahere nefas, civibus catholicis respectu gubernii civilis omnem speciem iurium socialium asserunt, adeoque etiam iura religiosa, cum haec aliis omnibus anteriora sint, cum prima obligatio creaturae rationali-moralis sit cultus Dei creatoris. Cives itaque catholici gaudent iure a Guberuio

praetendendi, ut ius sociale manuteneatur, ius publicum et Statutum, quod sub observantia eiusdem iuris publici fuit sanctionatum, observetur. Habent ius exigendi, ne ius sociale degeneret in professionem incredulitatis, introducendo legislationem, quae a Religione abstrahat totam fere civium universalitatem, sed ut declarata Religio Status per ipsum ius sociale repraesentetur. Habent ius deposcendi, ne ullo modo concitentur per potestatem socialem ad agendum, quod fides illorum declarat peccaminosum, et multo magis ius habent exigendi, ne adstringantur, et violente compellantur ad actus hos peccaminosos. A praemissis principiis iuris socialis derivantur necessaria illatione aliae obligationes potestatis socialis, alia iura civium catholicorum, quae brevitatis causa saltem recensebimus: ius, ne quis adstringatur sub *ulla fictione legali* in concubinatu permanere; — ius, ne sub ulla *fictione aut praetextu* imminuta videatur libertas et dignitas mulieris per Religionem catholicam ei asserta; ius, ne sub ullo *praetextu aut fictione legali* stringantur parentes pro matrimonio filiorum et parentum suorum reputare id, quod non est; ius exigendi, ne seminentur dispositionibus huiusmodi discordiae in familiis et Statu. His catholicorum civium iuribus in potestate sociali respondent totidem obligationes, quae debent adimpleri, respici, defendi, quaeve everti nequeunt, quin Status repugnet nativae suae institutioni, fiatque oppressor civium. Ignorarentur autem ac violarentur illae per proiectatam introductionem sic dicti matrimonii civilis, quo abrogaretur ius publicum ac millenarium; violaretur Statutum; laesa et conculcata fierent recensita iura adeo evidentia et summe pretiosa, cum respiciant Religionem, quae est praecipuum bonum individui, familiae et societatis, cuius certo sub respectu constituit fundamentum.

245. *Remonstr. II.* E propositione et factis relationibus patet, quod propugnatores sic dicti matrimonii civilis pro motivo duo principalia argumenta adduxerint, *quod* scilicet *gubernium respiciat dumtaxat contractum — quod item imponere nolit matrimonium religiosum.* Cives catholici respondent ad primum: „Lex civilis, quae supponendo apud catholicos

divisibilitatem Sacramenti a contractu matrimonii, eius validitatem regulare praetendit, contradicit doctrinae Religionis, inalienabilia eiusdem iura, omnibus aliis superiora invadit, et practice concubinatum matrimonio parificat, unum et aliud legale esse sanctionando. Istud autem nefas est sociali potestati, cuius stricta obligatio est, religiosa civium iura tuendi, neque facultate gaudet eadem sufferendi, aut variandi. Altero argumento sibi potestas socialis contradicit, et una cunctorum civium iura laedit. Sibi contradicit; quia dum allegat, se nolle imponere matrimonium religiosum ad respectandam conscientiae libertatem, stringit ipsos cives ad praetensum matrimonium non religiosum, per conscientiam eorum reprobatum; laedit libertatem civium catholicorum, in quantum supraindicata eorum iura ignorat, opponendo dogmatibus et legibus Religionis eorum, laedendo hac ratione libertatem conscientiae Hebraeorum, Valdensium, qui binos hos toleratos cultus profitentur. Laedit omnia civium iura, quia arrogando sibi ius creandi matrimonium cum abstractione ab omni religione sub praetextu respectandae libertatis conscientiae supponit personas absque religione, personas atheas, et pro his inducit suam inventionem, quae est merus concubinatus. Iam autem cives omnes, sub regimine Status viventes sunt membra societatis, seu Status religionem habentis, qui in fronte fundamentalis sui Statuti declaravit, quam profiteatur religionem, quos toleret cultus; igitur cives omnes qua membra societatis huius habent ius praetendendi, ne in ipsam, seu in Statum admittantur membra athea, familiae atheae absque religione Status, aut cultuum toleratorum. Potestas socialis ad praetensum matrimonium civile admittendo personas et familias atheas non saltem violat Statutum, sed violat, conculcat iura omnium civium; quod quidem ei facere nefas; committeretque enormem potestatis abusum, actum tyrannicum id faciendo, cum nemini sit ius alterandi nativas et ab ipso Statuto declaratas societatis conditiones, quae praeferenter et ante omnia sunt conditiones etiam religionis, matrimonii religiosi, familiae religiosae. Sicut societas, cuius membra sunt cives, habet formam monarchicam, et praeposita ei potestas non potest in ea inducere formas

republicanas aut communisticas pro individuis in ea ut republicanis aut communistis vivere volentibus; eo minus vero eos in societatem admittere potest, quin insuperhabeat et conculcet ius omnium sociorum, suumque prodat officium; ita id ipsum dicendum de individuis atheis, aliisque matrimonium religiosum inire recusantibus. Nec hi nec illi possunt ad societatem a Statuto et iure publico Regni rectam admitti, ambo enim requirunt matrimonium religiosum, et subiectionem monarchiae.

In ipsa Gallia, etiam post Statutum *Charté verité* et in praesenti gubernii forma „nulli gallorum est permissum, nullum habere cultum. Principium hoc est recognitum in discussione legis de institutione... Exigi ergo potest, ut quilibet civis ineat matrimonium secundum suum cultum, qui admissus est ad materialia emolumenta sub protectione civili.“ (Parisis.) Sed forte videbuntur temerariae illae designationes limitum potestatis socialis. Ast examinata primordiali et nativa societatis indole apparebit, eos a celeberrimis philosophis et publicistis recognitos haberi, nominandosque eos esse iuri naturae et gentium, aliisque quomodocunque liberalibus plene conformes. Allegatur semper exemplum nationis gallicae, quae matrimonium civile habet et non cessat esse catholica. En quid dicat desuper praementionatus *Parisis*: „Matrimonium civile, quale nos in Gallia habemus, est institutio plene revolutionaria. Nunc gubernium se consolidare volens opus habet, ut reiiciat immisericorditer totum, quidquid e revolutione ortum ducit, inprimis si id fundamenta societatis respiciat, et per religionem repudietur. Id ipsum est pronunciatum in relatione Consilio quingentorum 1797 facta: Leges, quae concomitabantur, aut sequebantur anarchicam Constitutionem a. 1793, non aliud nisi odium erga cultum, et contemptum omnium continent, semper tamen de libertate loquentes.“ An non similis macula odii religioni catholicae accederet e praesenti et futura adoptione legalis concubinatus in Italia? Damna et detrimenta ab inductione civilis matrimonii in Galliam derivata, sunt innumera, gravissima, et ratio principalis continuarum revolutionum, quibus est exposita. A copulationibus coram Officio Praefecturae

dumtaxat, potissimum ab immoralibus, criminosis individuis, a depravatissimis, et nequissimis delinquentibus initis, ab his matrimoniis contractualibus, ut sapienter praeviderant Nogared, et Merlin, effective provenerunt contemtus obligationum omnium, ex unione coniugali profluentium; provenit contemtus ipsius matrimonii civilis per ironiam ‚Sacramentum adulterii' nominati, hinc ipsum matrimonium civile plane ob simplicem concubinatum relinquitur. Sed fors dicetur, haberi pro eo votum ipsius Camerae electivae; sit ita. Sed attendendum, pro favore dumtaxat vota 149, contraria 77; absentia 218, adeoque *ducenta nonaginta quinque* vota non adprobarunt propositionem, itaque magna maioritas Camerae electivae aliena esset et contraria illi provisioni. Historia synchrona testatur, quod gubernia catholica falsa systemata circa legislationem de matrimonio reiecerint, ita, in utraque Sicilia, Parma, Hetruria, Mutina, et 1854 in Austria; quod gubernia heterodoxa introductionem legalis concubinatus, sive matrimonii civilis repulerint, uti Borussia et alia Germaniae; quod Anglia ipsa et Hollandia abrogarint leges catholicis in respectu matrimonii contrarias. Et gubernium populare, in quo pene omnes sunt catholici, faciet contrarium, arripiet id, quod alii, plane haeretici repudiarunt?

Alia gravissima, quae praeteriri non potest, observatio est: Provisio talis, uti est matrimonium civile, realiter in legali atheismo fundatum, idem est, ac quaedam species apostasiae; in oculis catholicorum est specialis professio haereseos; quia affirmare, quod matrimonium non sit sacramentum, in quo intervenire debet Ecclesia, est haeresis; et doctrina, quod inter catholicos sit matrimonium etiam extra Sacramentum, est damnata. Ideirco celeberrimi nostrae aetatis Theologi, uti Em. Card. *Gousset, Rosmini, Scavini, Perrone, Audisio, Knoll, Martin*, docent, quod legislatores catholici sine aggravio conscientiae non possint votisare pro lege, quae pro scopo haberet inductionem matrimonii civilis; et his conformiter scribebat praelaudatus *Parisis*: „P. De Ravignan, Cardinalis Gousset affirmant, quod catholicus non possit in conscientia suffragium suum dare legi, quae pro scopo habet inductionem matrimonii civilis.“ Quod celeber

Cardinalis *Gerdil, Deodatus, Alasia, Palmieri* etc. eandem sententiam retinnerint, ex eornm operibus colligitur. Refugit animus snper tristibus reflexionibus; sed quid posset evenire, si personae, qnibus tanto tenemnr obsequio, erga quas tanto ferimur aestimio, andaciam sibi snmerent ignorandi dogmata et doctrinam Ecclesiae catholicae, et supportandi seqnelas hnins facti, apponere nomen familiarnm suarnm provisioni barbarie infectae, et destructlvae non tantum Status, sed et Religionis, familiarum et societatis. Certum et immotum historiae universalis resultatum est, quod quo magis matrimonium in popnlis conservavit primitivam snam indolem religiosam, eo felicior fuerat eorum conditio; et quanto magis recessernnt ab illa, corrnperunt et detnrparunt eam, tanto magis fnernnt infausti populi et properarunt in ruinam. Snfficiat reflectere ad historiam et legislationem populi Romani, splendidas probas suppeditaturam ad convictionem de hoc resnltato historico acquirendam. Cum inductione ergo matrimonii civilis, quod non aliud foret, quam merus concnbinatus legalis, et pro favore atheorum, praepararetur ruina popnli italici et patriae. Quoad alind magnae pro Religione considerationis argumentum, insignis Generalis et vir multae sapientiae civilis, Senator Marchio Colli in Senatn anni 1851 dicebat: „— Tristins spectacnlum non suppeditat historia, quam populi patrum suorum religionem evertentis, religionem multorum veneratione conspicuam a secnlis: hoc spectacnlum dare intendimus orbi: id certe non foret gratum magnanimo Datori Constitutionis, Regi illi, qui scivit fortitndinem cum pietate Ludovici IX coniungere et qui ut martyr causae, qnam propngnabat, decessit in terra aliena; et adplicando hic ad graves, in quibus versamnr, circnmstantias, celebre effatnm: Attendite vobis Domini: Carolns Albertus, et 18 secula vos de alto contemplantur.“ — Veneratissimi Domini Senatores! Mementote verborum antiqui collegae vestri, et recogitate, quod Carolus Albertus, et 18 secula vos de alto intueantur, et infaustum proiectum votis vestris reiicietur. 5 Martii 1865. — *L' Armonia.* 1865. p. 233.

Mon. 246.

Declaratio Episcoporum et Ordinariorum Dioecesium Umbriae contra civile matrimonium. 1865.

Ad popularem reddendam in tota Italia matrimonii civilis institutionem in nova legislativa unificatione provocatio facta est ad exemplum *Umbriae*, ubi mediante decreto Commissarii extraordinarii Marchionis Pepoli (31. Oct. 1860) promulgatum est quasi lex, proiectum revisionis Codicis civilis super matrimonio, et super actibus Status civilis. In relationibus hodiernum proiectum novi Codicis praecedentibus, et disputationibus in sinu Commissionum et Consessu legislativo, per id suscitatis est dictum; *quod Umbria a quatuor annis hanc reformationem possideat, absque resensu introductam, quin ullum ibi detrimentum religiosum produxisset.* Infrascripti, ad dandum super re tam gravi omni cum convenientia et libertate testimonium obstricti, existimant se tacere non posse super idmodi affirmationibus, et pro religioso, circa quod versatur, momento, obligationis suae esse reputant clarificandi rerum veritatem etiam ad instructionem cuiusvis sinceri catholici, et boneste cogitantis. In memoria sane erunt solemnia illa iudicia, quae a parte auctoritatis Ecclesiae de consequentiis et indole commissarialium harum reformationum publice edita sunt. Summus Pontifex Pius IX in sua Allocutione 27. Septembris 1860 dicebat: „Publicatum est in Umbria decretum, quo matrimonium, vocatum ab Apostolo Sacramentum magnum, invinculatum est peculiaribus dispositionibus civilibus, et fere subductum potestati Ecclesiae, verosimiliter cum intentione illud postea subiiciendi soli legi civili, et sic (quod Deus avertat) introducendi legalem concubinatum, cum extremo animarum detrimento.“ Infrascripti Pastores Dioecesium Umbriae in collectiva sua ad Commissarium regium mense Decembri data protestatione unanimiter declararunt: ‚Protestamur porro (semper maiori cum dolore) contra illatam sensui catholico et inviolabili dignitati Sacramenti a peregrinis et anticanonicis super matrimonio civili dispositionibus

iniuriam.' — Mense Iunio 1861 emiserunt in lucem doctrinalem Declarationem, in qua demonstrata prolixius reformationis huius discordantia cum principio catholico, spectato suo conceptu, origine, motivis, principalibus dispositionibus, et consequentiis practicis, concludunt: „Lamentamur reformationem, quae se ingerit in opus Dei, in Sacramentum magnum, profanando illud, quia subiicitur arbitrio iuris humani, et redditur forma profana acceptabilis illi etiam, qui non timet Deum.... Deploramus proiectum infaustum exceptionaliter promulgatum in his Umbriae provinciis, qua decretorium, proiectum vix examini subiectum, cui omnis cordis sincere catholici suffragium perpetuo deerit; illudque tanto magis deplorare cogimur, cum simus spectatores funestorum fructuum, qui exhinc progerminarunt." Porro 27. Septembris 1861. medio Purpurati sui collegae Episcopi Perusini formaliter petierunt a Maiestate Regis Victorii Emanuelis revocationem, et abrogationem commissarialis huius decreti, odiosam et funestam anomaliam constituentis non solum respectu religioso sed et iuridico; quae petitio his concludebatur: „Reddat M. V. hoc iustitiae officium religioni catholicae, quae unica est vera, unica recognita in tota Italia. Faciat, ut matrimonium christianum ocyus restituatur religiosae suae libertati et superhumanae dignitati. Cesset ingrata illa exceptio, quae graviter premit conscientiam horum populorum, dispareat heterodoxa institutio, quae profanando augustum hoc Sacramentum, germen domesticarum et socialium relationum vitiat, et gravi tentationi exponit puritatem fidei et moralitatis." Nullam praetermisere occasionem in posterioribus etiam actis renovandi hanc reclamationem et instantias contra civilem hanc reformationem, ut videre licet ex eorum *Memorando* ad Consilium Ministeriale de 24 Martii 1862; Repraesentatione ad Maiestatem Regis super *R. Exequatur* de 8 Iunii 1863, et postremo e remonstratione ad eandem Maiestatem de 2. Februarii 1865.

Ad iudicium auctoritatis religiosae accedit illud, quod sit per honestos laicos cum adplausu exceptum, quod sufficienter declarant duo facta manifestissima, ex ipsa officiosa statistica promanantia. In *primo* sunt multi processus et con-

victivae, (in specie decursu anni 1861 et 1862) inexorabiliter inflictae iis, qui legi commissariali contraveniebant, praetermittendo civilem celebrationem, aut huic praemittendo celebrationem religiosam. Omnis fiscalium zelus, omnes mulctae pecuniariae fuernnt adhibitae ad imponendam novae institutionis observantiam, et inducendos per intimidationem ad obedientiam praeceptivae reformationi praestandam contrahentes. *Aliud* notabile factum sunt freqnentes civium postulationes tam indigenarum quam extraneorum, scopo ineundorum extra territorium Umbriae in aliis Status provinciis religiosorum connubiorum, ne subiiciantur profanis et peregrinis formis celebrationis civilis, propositae; restringendo se postea ad faciendas intra terminnm iuridicum dennnciationes eo fine, ut molestias declinent, et necessariam pro civilibus effectibus recognitionem nanciscantur. Praxi huic ipsi adhaerent Officiales guberniales ob repugnantiam, quam experiuntur, dum legitimari faciunt coram lege humana suas, suorumque filiorum nuptias per laicum officialem. Haec sufficienter manifestant, quo sensu, quo animo populi Umbriae spectarint hanc matrimonii civilis reformationem apud se implantari, quae dicitur sponte sua, et sine contradictione acceptata fuisse; et qualiter successisset, si fnisset mere facultativa, et sine poenali coactione intimatae commissariales dispositiones. Argumentum inductionis minus adhuc ponderat, quam illud assertum, quod Umbria reformationem hanc sine inconvenientia, sine detrimento religioso sortita sit. Proiectum hoc legis pro sola Umbria 1860 evasit decretorium, et quamvis in articulo cardinali declaretur *considerandum esse matrimonium unice in relatione civili, et respectandas esse obligationes per religionem praescriptas,* tamen de facto ignorabat ubique validitatem matrimonii religiosi, ntut omnes essentiales conditiones contractus et Sacramenti adfuerint, totumque ad se pertraxit regulando vinculum independenter, et normis catholicis difformiter. Proiectum itaque, quod nunc in aulis legislativis discutitur, fundatur in principio absolutae abstractionis contractus a matrimonio, Status ab Ecclesia, legalitatis a Religione. Infrascripti in doctrinali sua Declaratione de a. 1861 clare demonstrarunt:

degradatione et transformatione matrimonii christiani has funestissimas conseqnentias induci: 1. Irreligiositati legaliter favere; 2. incessantem lnctam contra Ecclesiam incendcre; 3. conscientias subditorum aggravare; 4. corruptelam mornm snstentare; 5. stabilitatem nuptiarum pcricnlo exponere; 6. ipsam matrimonii nnitatem discrimini obiicere; 7. ordinem familiarum subvertere; 8. socialem quoque ordinem perturbare. Et erraruntne infrascripti in sua praedictione, in suo iudicio? Iuvat hic repetere in documento publico realem delineationem, quam ipsi velut oculati testes malornm fructuum e reformatione hac ortorum repraesentarunt Maiestati Principis in supramemorato recursu. Casus legalis concubinatus non infrequenter se sistunt oculis uostris cum dolore et ruina animarum; et hic peculiariter reflectendum, quod quo facilius eveniunt, eo difficilius reparentur propter conditionem civilis servitutis, et interdicti, cui hodie ministerium ecclesiasticum subiacet. Lex ipsa est, quae id frequenter producit et sustentat. Nam, conferendo capacitatem contrahentium, probas habilitatis, qualitatem et gradum impedimentorum cum normis differentibus et quandoque contrariis iuri canonico, accidit non raro, nt civiliter contrahantnr connubia; quae Religio propter impedimenta dirimentia consecrare neqnit; in tantum itaque est lex ipsa, qnae favet contrahentibns ad convivendum in statu peccati et maledictionis, stringendo ad id etiam partem repugnantem; et perditus christianus, cui parum in Deo, et anima situm est, post actum civilem neglecto Sacramento, invenit in ea salvum conductum, et omnes praerogativas legitimi coniugii. Ad incentiva legis accedunt etiam alia, quae dum et quando ex abusu Officialium proveniunt, qui in vicem, ut contrahentibus implementum officii christiani inculcent, efficaciam formae civilis magnificant, et superfluitatem celebrationis religiosae propugnant. Anne visi non sunt abusus et praevaricationes in puncto coactionis sacri parochialis ministerii cum interminatione mulctarum et carcerum, quia immediate post actum civilem ad benedictionem sacramentalem accedebant, quin praescriptis quoad formam et disciplinam ecclesiasticam satisfactum fuisset? Annon praeexistunt exempla studiosae praecipitationis et inconsiderantiae in admissione ad celebra-

tionem civilem, et detectorum post eam impedimentorum irritantium, ignavae conniventiae in tolerando, ut incestuosi, etiam civiliter non rite coniuncti, maneant in illegitimo consortio? Tristia facta, quae ob propriam conscientiam memoramus! Unde cum fundamento concluditur: „Lex huius indolis, foecunda fructuum adeo iniquorum, certe non est catholica, ipsa principia moralis honestatis isthic vapulant, nec diu esse potest, quin ipsa societas christiana contabescat," et succedat religiosa illa et moralis ruina, quam sapientissimus Pontifex (Lit. de 19. Sept. 1852) M. V. dolorose praenunciavit.

Si ita erant res circa exitum anni 1861, fors deinceps in melius mutatae sunt ita, ut possit hodie Umbria sincera cum fide adduci pro argumento innocuae inductionis matrimonii civilis? Infrascripti cum dolore, cum verum sit, affirmare debent, quod eorum praevisiones, timores e successiva experientia indubitanter in effectum abierint, et quisquis secus opinatur et loquitur, seipsum decipit aut decipere vult. Series funestissimorum factorum multiplicatur, iniquorum effectuum messis abunde correspondet malae qualitati sementis. Coniiciamus oculos ad praecipua resultata civilis huius reformationis. *Primo. Ea non parum influit ad ingenerandos in corde minus providorum funestos errores in materia fidei et religionis.* Et qualiter non? Lex illa est, quae in societate christiana matrimonium considerat abstractive a Deo, vero auctore et sanctificatore illius, facitque se independentem arbitram et moderatricem normarum et adpertinentiarum religiosarum. Est officiosa professio atheismi in obiecto essentialiter sacro et augusto; est ignoratio principii catholici de Sacramento Matrimonii; est subiectio, et dominatus iuris humani super auctoritate iuris divini et revelati; est posttergatio omnis rationis et disciplinae potestatis religiosae; est renunciatio traditionibus et dispositionibus seculorum observantia apud nationes catholicas consecratis, necessarioque disponit incautum vulgus prius quidem ad dubitandum, dein vero ad non credendum id, quod Religio de sanctitate et inviolabilitate nuptiarum docet. Generatim de anno in annum observant dilatari laxitatem in fide et observantia disciplinae ecclesiasticae de matrimonio, in sequelam idgenus incenti-

vorum et fallacium opinionum a nova legislatione matrimoniali productarum. *Secundo. Fallit et saepe conturbat conscientias catholicorum. Fallit*, quia sub nomine potestatis terrenae iis proponit ut efficacem et honestam formam matrimonii, quod tale non est coram Deo et sua Religione — et illi, qui in sola hac civili assecuratione confidunt, (sunt autem penes hodiernam incuriam et indifferentismum non pauci) sunt incapaces ad detegendam in ea haeresim, quod scilicet matrimonium non sit Sacramentum et dum ad Statum, qui Religionem catholicam profitetur, pertinent, recipiunt ab eo institutiones super atheismo fundatas, quive aversatur dictamina Religionis, quam profitetur. *Conturbat*, siquidem non pauci dentur casus, ubi lex ad connubialem cohabitationem stringit coniuges coram Deo et conscientia non rite coniunctos, difformitate et conflictu inter duas legislationes intercedente. Dantur ad matrimonium civiliter admissi, non impetrata canonica dispensatione, consobrini in secundo, affines in tertio gradu, imo impediti crimine, quia iudicialiter pro talibus non sunt declarati. Lex vigens inter vincula obsistentia non numerat impedientia, et e dirimentibus non recognoscit cognationem spiritualem, clandestinitatem, et professionem religiosam. Hinc facile erui potest dura oppositio cum officiis christianis, asperae perplexitates, ad quas per ipsam legem coniicitur, qui connubio civili infauste ligatus est, per supramemorata impedimenta prohibitus, et dein e statu maledictionis spiritualis liberari, et cum Deo vere reconciliari cupit. *Tertio. Aperit campum concubinatui et publicae immoralitati*. Super dolorosis idgenus factis infrascripti pene quotidianam habent experientiam. Indubitanter affirmari potest, vix dari in civitate parochum, qui in gremio sui gregis non deploret multiplicata, et saepe etiam civiliter legalisata turpia et scandalosa consortia cum omnibus infaustis fructibus et consequentiis pro familia et sobole. Non pauci sunt, qui partim ex oscitantia, partim e defectu religionis, partim ex erronea fiducia in formula civili differunt et procrastinant celebrationem sacramentalem, aut eandem effectuaturi insuperhabent disciplinam religiosam, et praeparationem pro Sacramento magno catholicis dignam. An non

est iste ictus pro Religione, quae consideratur qua pure scutum, et munimen publicae existimationis? Et frequens illud spectaculum simulati connubii coniugum merae legalitatis; manifestus ille contemtus officiorum religionis, impudens perseveratio in peccaminosa coniunctione non excitabit necessario effectus perniciosos etiam apud alios, non praebebit maiorem adhuc ansam ad crescentem immoralitatem? *Quarto. Detrimentum inducit concordiae et stabilitati nuptiarum.* Siquidem lex ipsa, creando se ordinatricem et iudicem nexus coniugalis utut apud catholicos habeat characterem eminenter religiosum et spiritualem ob rationem Sacramenti, pariat motiva et multiplicet praetextus dissidiorum, divortiorum et nullitatis. Unicus intuitus iudicialis Statisticae sufficeret ad cognoscendum quam frequentes sint in his regionibus recursus, querelae, decreta separationum inter coniuges, ex quo in usum abivit matrimonium civile: quamvis cuivis notum sit, quod minor saltem pars horum casuum, eorumque minus gravium et scandalosorum pervenerit ad notitiam tribunalium; quod de cetero nullus obex hodie obiiciatur malitiae coniugum dissolutorum, libertati reddi optantium ad litandum turpibus passionibus, et iniquis commerciis. Et dein non lex ipsa succutit stabilitatem connubii cum irreparabili sacrificio unius partis, et cum possibilitate secuturae polygamiae, dum auctorisat respectivos ad annullandum matrimonium minorennis, cui assensus praebitus non est, dum minorenni facultatem tribuit idipsum faciendi intra sex menses ab aditu maiorennis aetatis, et prohibito e defectu mentis intra trimestre ab obtenta iuridica rehabilitatione? In hac et illa hypothesi matrimonium civiliter et sacramentaliter contractum consideratur nullum, et est semper resolubile etiam ad arbitrium tertii. Qualis hic manebit contrahentium conscientia, qualis erit sors unius partis, si annihilatio dehinc postularetur? Et quis poterit dissolvere et revocare vinculum sacramentale, quod eam coram Deo indissolubiliter iunxit cum priori connubio?

Infrascripti praescindunt ab enumeratione funestorum effectuum (essent autem multi adhuc) per ipsos dolorose observatorum in his catholicis regionibus, ex adplicatione matri-

monii civilis promanantium. Iam haec delineatio sufficiens est pro comprobanda ad evidentiam offensa, quam producit in sensu et fide populi catholici, item inconvenientiis, quibus latissimum aperit campum, ruina gravissima, quam infert Religioni. Qui affirmat aut existimat aliter, repetimus, et sibi gravissime illudit, et vult alios in deceptionem inducere, dissimulando, aut celando mala, vera mala, multa mala, quae secum fert civilis reformatio huius cathegoriae. Tristi quatuor et ultra annorum experientia sufficienter docti, semper renovant suas impensissimas preces, in eo, ut quo ocyus in Dioecesibus ipsorum finem sortiatur funesta haec anomalia, et ingemiscunt super hac religiosa calamitate, quae aliis etiam provinciis catholicae Italiae de praesenti imminet; alta voce repetentes illam Scripturae sententiam: „Filii sanctorum sumus, et non possumus coniungi, sicut gentes quae ignorant Deum.“ 8. Martii 1865. — *L'Armonia.* 1865. p. 262.

Mon. 247.

Instructio S. Poenitentiariae Apost. ad Eppos Italiae circa sic dictum matrimonium civile. 1866.

1. Quod iamdiu timebatur, quodque Eppi cum singillatim tum una omnes protestationibus zelo ac doctrina plenis, virique plurimi cuiusque ordinis eruditis suis scriptis, et ipsemet Summus Pontifex vocis suae auctoritate avertere conati sunt, id, proh dolor! videmus in Italia constitutum. Quem vocant civilem matrimonii contractum, eiusmodi malum haud amplius est, quod Iesu Christi Ecclesia debeat trans Alpes deflere, sed et quod in hisce Italiae regionibus consitum pestiferis suis fructibus christianam familiam societatemque minitatur inficere. Atque hosce funestos effectus Eppi et locorum Ordinarii animadverterunt; quorum quidem alii opportunis instructionibus monitum ac vigilem fecerunt gregem suum, alii vero ad hanc Apost. Sedem mature confugerunt, ut normas inde haurirent, quibus in tam trepida re ac tanti momenti tuto dirigerent se se. Quamvis autem hoc

sacrum Tribunal haud pauca responsa atque instructiones particularibus petitionibus Summi Pontificis iussu dederit: attamen ut postulationibus, quae in dies augentur, satisfiat, mandavit S. Pater, ut per hoc Tribunal ad omnes locorum Ordinarios, ubi infausta haec lex promulgata fuit, Instructio mitteretur, quae normae cuiusdam loco cuique eorum inserviret, ut et fideles dirigant, et ad morum puritatem sanctitatemque matrimonii christiani sartam tectam servandam uno animo procedant.

2. At vero in exequendis S. Patris mandatis haec S. *Poenitentiaria superfluum putat in memoriam cuiusque revocare, quod est ss. Religionis nostrae notissimum dogma, nimirum Matrimonium unum esse ex septem Sacramentis a Christo Domino institutis, proindeque ad Ecclesiam ipsam, cui idem Christus divinorum suorum mysteriorum dispensationem commisit, illius directionem unice pertinere;* tum etiam *superfluum putat in cuiusque memoriam revocare formam a S. Trid. Synodo praescriptam Sess. 24. c. 1. de ref. matr. sine cuius observantia in locis, ubi illa promulgata fuit, valide contrahi matrimonium nequaquam posset.*

3. Sed ex hisce aliisque axiomatibus et catholicis doctrinis debent animarum pastores practicas instructiones conficere, quibus etiam fidelibus id persvadeant, quod SS. D. N. in Consistorio secreto die 27. Sept. a. 1852 proclamabat, i. e. ,inter fideles matrimonium dari non posse, quin uno eodemque tempore sit sacramentum, atque idcirco quamlibet aliam inter christianos viri et mulieris praeter sacramentum coniunctionem, etiam civilis legis vi factam, nihil aliud esse, nisi turpem atque exitialem concubinatum.'

4. Atque hinc facile deducere poterunt, *civilem actum coram Deo eiusque Ecclesia nedum ut sacramentum, verum nec ut contractum haberi ullo modo posse*; et quemadmodum civilis potestas ligandi quemquam fidelium in matrimonio incapax est, ita et solvendi incapacem esse; ideoque sicut haec S. Poenitentiaria iam alias in nonnullis responsionibus ad dubia particularia declaravit, sententiam omnem de separatione coniugum legitimo matrimonio coram Ecclesia coniun-

ctorum a laica potestate latam nullius valoris esse; et coniugem, qui eiusmodi sententia abutens, alii se personae coniungere auderet, fore verum adulterum: quemadmodum *esset verus concubinarius, qui vi tantum civilis actus in matrimonio persistere praesumeret;* atque utrumque absolutione indignum esse, donec haud resipiscat, ac praescriptionibus Ecclesiae se subiiciens ad poenitentiam convertatur.

5. Quamvis autem verum fidelium matrimonium tum solum contrahatur, quum vir et mulier impedimentorum expertes mutuum consensum patefaciunt coram parocho et testibus iuxta citatam S. Conc. Trid. formam, atque ita contractum matrimonium omnem suum valorem obtineat, nec opus sit, ut a civili potestate ratum habeatur aut confirmetur: attamen ad vexationes poenasque vitandas, et ob prolis bonum, quae alioquin a laica potestate ut legitima nequaquam haberetur, tum etiam ad polygamiae periculum avertendum, *opportunum et expediens videtur, ut iidem fideles postquam matrimonium legitime contraxerint coram Ecclesia, se sistant actum lege decretum exequuturi,* ea tamen intentione (uti Benedictus XIV docet in Brevi diei 17 Sept. 1746 ,Redditae sunt nobis') sistendo se Gubernii Officiali nil aliud faciant, quam ut civilem ceremoniam exequantur.

6. Iisdem de causis, nequaquam vero ut infaustae legis executioni cooperentur, *Parochi ad matrimonii celebrationem coram Ecclesia eos fideles, qui, quoniam lege arceatur, ad civilem actum dein non admitterentur, ac proinde non haberentur ut legitimi coniuges, non ita facile ac promiscue admittant.* Hac in re multa uti debebunt cautela ac prudentia, et Ordinarii consilium exposcere; atque hic facilis ne sit ad annuendum, sed in gravioribus casibus hoc S. Tribunal consulat.

7. *Quodsi opportunum est ac expedit, ut fideles sistentes se ad actum civilem peragendum se probent legitimos coniuges coram lege: hunc tamen actum, antequam matrimonium coram Ecclesia celebraverint, peragere nequaquam debent. Et si qua coactio aut absoluta necessitas, quae facile admittenda non est, eiusmodi ordinis invertendi causa esset: tunc omni diligentia utendum erit, ut matrimonium coram Ecclesia quamprimum contrahatur, atque interim contrahentes seiuncti existant.* Hac

super re unumquemque hortatur haec S. Poenitentiaria, ut doctrinam sequatur ac teneat a Benedicto XIV expositam in Brevi, cuius supra mentio facta est, ad quod tum Pius VI in suo Brevi ad Galliae Eppos ‚Laudabilem maiorum suorum' dato die 20 Sept. 1791. tum Pius VII in suis literis datis die 11 Iun. 1808 ad Eppos Piceni, eosdem Eppos instructionis gratia remittebant, qui normas expostularant, quibus in simili civilis actus contingentia fideles dirigerent. Post haec omnia facile est videre, praxim hactenus observatam circa matrimonium, et speciatim circa parocciales libros, sponsalia et matrimonialia impedimenta cuiusvis naturae ab Ecclesia sive constituta sive admissa nullo modo variari.

8. Et hac sunt generales normae, quas huic S. Poenitentiariae, S. Patris mandatis obsequenti, tradere visum fuit, et iuxta quas eadem videns plures Eppos et Ordinarios suas iam instructiones ad amussim confecisse, maximopere laetatur, speratque fore, ut et ceteri omnes idem faciant, qui ita se Pastores vigiles ostendentes, meritum ac proemium a Iesu Christo Pastorum omnium Pastore consequentur. — Romae in S. Poenit. 15 Ianuar. 1866. A. M. Card. Cagiano, P. M. — *Acta ex iis decerpta, quae apud S. Sedem geruntur.* Romae. 1866. I. 508.

M o n. 248.

Ex Epistola Card. Praefecti S. Congr. Concilii ad Eppos circa graviora quaedam eccl. disciplinae capita. 1867.

— 2. Quanam forma et quibusnam cautelis probetur libertas status pro contrahendis matrimoniis? et utrum ipsimet Eppo vel eius Curiae Eppali reservetur iudicium super status cuiusque contrahentis libertate? quidnam tandem hac super re denuo sancire expediret, prae oculis habita instructione die 21 Aug. 1670 s. m. Clementis X auctoritate edita? 3. Quaenam adhiberi possint remedia ad impedienda mala ex *civili* quod appellant *matrimonio* provenientia? — 15. Quonam modo Eppi judiciariam qua pollent potestatem in co-

gnoscendis causis ecclesiasticis, potissimum matrimonialibus, exerceant, et quanam procedendi atque appellationes interponendi methodo utantur? — — Romae ex S. Congr. Concilii, die 6 Iun. 1867. P. Card. Caterini, Praef. — Petrus, AEp. Sardianus, Secr.

Mon. 249.

Instructio S. Sedis quoad baptismi ceremonias penes proles e matrimonio civili prognatas qualiter adhibendas. 1867.

Parochus N. Sacrae Congregationi sequentia exposuit: Hac in parochia ab immemorabili mos invaluit, ut spurii infantes baptisentur sine populi concursu sonituque organi vel aeris campani, adhibitis tamen in loco sacro ceremoniis a Rituali Rom. praescriptis. Pluribus meis ovibus est nuper ingesta opinio, contractum civilem minime differre a catholico matrimonio, ex hoc, quod prima vice illis, qui solemnem suis natis collationem baptismi postulaverunt, quamvis iungi ab ecclesia renuerint, acquievi etc. Quaerebat itaque Parochus, quomodo se gerere debuisset? Sacra antem Congregatio re cognita, sequentem epistolam ad Eppum eiusdem Parochi mittendam censuit: Pro certo habet Sacra haec Congregatio, Amplitudinem tuam firmiter tenere, *eos, qui matrimonii ut aiunt civilis contractu inito communi contubernio vivunt, quin sacramentale foedus coram Ecclesia celebrent, in locis, ubi lex SS. C. Trid. viget, habendos esse iuxta catholicam doctrinam tamquam publicos concubinarios, eorumque propterea filios censeri et esse illegitimos.* Quamobrem quum in quibusdam tuae dioecesis paroeciis ab immemorabili uti fertur mos invaluerit, ut illegitimi quilibet infantes baptisentur adhibitis tantum in loco sacro ceremoniis a Rituali Romano praescriptis et *absque populi concursu et sine organi aerisque campani sonitu,* quo legitime natorum baptisma celebratur: *Sacra haec Congregatio censet, praefatam consuetudinem,* quae obtinere etiam dignoscitur in pluribus locis tuae dioecesi finitimis, *observandam*

esse in casu, quo aqua baptismi abluendi sint infantes eorum parentum, *qui sub civilis coniugii praetextu scandalosam vitae communionem inierunt, quum nullum prorsus inter eos matrimonium existat coram Deo et Ecclesia, neque legitimi sint filii, qui ex ipsis nascuntur.* Ceterum sublata praedicta consvetudine facile ficret, ut ignarae plebis multitudo nullam prope adesse differentiam suspicaretur inter civilem actum et catholici matrimonii sacramentum, si absque usitata distinctione in extrinseco apparatu eandem solemnitatem, quae hucusque locum tantummodo habuit in legitimorum natorum baptismo, adhiberi cerneret pro illegitimis ex civili contubernio. Quinimo quum extrinseca illa solemnitas, qua aeris campani et organi sonitu populus advocatur ad infantium baptisma, etiam in parentum honorem aliquatenus cedat: ita *sicuti dignum est, ut huiusmodi honore gaudeant ii, qui sancto catholico ritu magnum sacramentum in Christo et Ecclesia susceperunt, sic indignum prorsus reputatur, ut eodem honore fruantur, qui publice in peccato vivunt et gravissimo scandalo ceteris fidelibus offensionem et ruinam pariunt.* Itaque dum curandum potius est, ut infantes ex huiusmodi parentibus nati quantocius per baptismi lavacrum in Ecclesiam recipiantur, cavendum insimul erit, ne praefatae solemnitates pro his adhibeantur. Haec Ampl. tuae significare opportunum duxit Sacer hic Ordo, quoniam relatum est, Parochos, qui praedictae consvetudini inhaerent, per aliquos etiam ecclesiasticos viros incusari, quasi regulas nimis rigorosas sequerentur: dum e contra clare patet, eos se gerere in re tanti momenti, uti probos parochos decet, ac propterea mereri, ut Ampl. tuae auctoritate foveantur ac tutentur. Interim impensos animi mei sensus testatos volo Ampl. tuae, cui fausta omnia adprecor a Domino. Datum Romae ex S. Congr. Concilii die 31 Iul. 1867. Card. Caterini, Praef. — Petrus AEp. Sard. Prosecretarius. — *L' Unita Cattolica.* Torino. 1867. p. 1885.

Mon. 250.

In Constitutione super abrogata ‚Monarchia Sicula' Eppis Siciliae intimata ius et potestas Ecclesiae de causis matrim. cognoscendi diserte vindicatur. 1864. (1867.)

— XI. In causis de nullitate matrimonii observari iubemus Constitutionem Benedicti XIV praed. nostri, quae tertio Nonas Novembris a. 1741 edita incipit ‚Dei miseratione.' *(Sequitur uberior descriptio formae processus matrimonialis secundum Constit. Benedictinam.)* — XIV. Siculorum utilitati et commodo prospicere vehementer cupientes, omnibus et singulis AEppis, Eppis, aliisque locorum nullius dioecesis in Sicilia existentibus Ordinariis ac etiam Vicariis Capitularibus canonice electis specialem facultatem tribuimus concedendi *matrimoniales dispensationes* in tertio et quarto consangvinitatis et affinitatis gradu, sive simplici sive duplici, ac etiam mixto, dummodo primum non attingat, et dummodo canonica adsit causa, et dispensatio gratis omnino concedatur, nullo prorsus vel minimo recepto emolumento, et in eorum tantum favorem, qui vere pauperes sint. Volumus tamen atque praecipimus, ut in singulis dispensationibus concedendis semper expressa fiat mentio huiusce specialis apostolicae facultatis. Atque etiam volumus, huiusmodi de praedictis matrimonialibus dispensationibus concedendis facultatem a nobis tributam ita omnino esse ab omnibus intelligendam, ut nemo unquam eam interpretari queat velut impedimentum, quominus Siculi fideles, si ipsis placuerit, possint supplices hanc Apost. Sedem directe adire ad easdem assequendas dispensationes. XV. Demum declaramus — facultatem dispensandi super enunciatis impedimentis matrimonialibus — ad decennium tantum hinc proximum — esse valituras. — Datum Romae die 28 Ianuar. 1864. (publicata a. 1867.) — *(Ex Actis publicis.)*

Mon. 251.

Brevis dissertatio de Matrimonio Civili ad usum Parochorum. Romae et Taurini edita a. 1867.

Prooemium. Ut rite munere suo fungantur dispensatores mysteriorum Dei, praeter supernaturale auxilium, sine quo nihil validum, nihil sanctum, sacra theologica scientia imbuti esse debent: siquidem cum hominum sint duces, debent ab eis rationabile consequi obsequium, non vero more pecudum illos dirigere. In moralem theologiam debent hinc toto coelo incumbere praesertim, cum humanae actiones sint huius scientiae obiectum. Etsi tamen nomina sua huic omnes in sortem Domini adscripti dent quidem in scholastico tyrocinio, pauci sunt qui morales addiscunt ope ratiocinii veritates, potius ad studium effugiendum nimis laetantes quamdam ipsius scientiae veluti umbram, imaginem, superficiem fuisse consecutos. Ex quo praecipue repetendum, tam varia singulorum haberi iudicia de ipsamet re, quia scientifico carent criterio, quod profecto adipisci nequit nisi studio et ratiociniorum ope. Exemplo sit theoria de *matrimonio civili*: penes plurimos varia incerta et falsa habentur iudicia, et si quidam recte de hoc obiecto censent, minime agnoscunt principia, quibus criterium scientificum exurgat. Quare nonnulla heic exponuntur ad disserendum de hac materia, ea, quae penes multiplices habentur scriptores, in unum colligendo.

§. 1. Matrimonium maximam et intrinsecam relationem habet cum natura, cum religione, cum civili republica: quare illud inspiciendum uti naturalis contractus, uti Sacramentum, et uti civilis contractus; hinc eruitur matr. civile. — §. 2. *Duplici sensu sumi potest matr. civile. Primo, quatenus indicat contractum, qui iuxta leges etiam reipublicae debet iniri ad civiles obtinendos effectus; siquidem cum Societatis sit germen, ipsius etiam est illud dirigere. Secundo, quatenus indicat matrimonium christianorum coram civili magistratu contractum omissa sacra solemnitate ab Ecclesia praescripta.* Qua duplici

exposita significatione dicimus : ex eo, quod christiani Ecclesiae et Caesaris subditi sint, optime illorum matrimonium relate ad civiles effectus Caesaris seu reipublicae legibus dirigi posse, quibus parere tenentur iuxta illud Christi : ‚Reddite quae sunt Caesaris Caesari, et quae sunt Dei Deo.' Verum *etsi matrimonium sit contractus, attamen ita cum naturali lege est connexus, ut quoad suas substantiales proprietates omnimode ab ipsamet dependeat lege*, est enim naturae exclusivum officium, ac ideo a sola regendum natura. Quare *matrimonium quaslibet positivas praecedit leges, ac humana instituta*, siquidem hominis creationi connaturale est, cum Deus hominem ipsum creando distinxerit, dimidiaveritque in masculum et feminam, ut ex eorum compositione totus exurgeret homo : ‚qui fecit hominem ab initio, masculum et feminam fecit eos; erunt duo in carne una; iam non duo, sed una caro.' Sequitur hinc, *quod, cum matrimonium sit prius domestici iuris, seu homini connaturalis, et postea iuris publici, ius publicum, lex civilis neutiquam sane naturam et essentiam matrimonii respicere potest, sed solummodo potest imo debet dirigere quae sunt illi extrinseca, quaeque relationes cum ipsamet civili auctoritate important, effectus nempe civiles, qui a matrimonio possunt ad rempublicam derivare.* — §. 3. Ut quaestio de matrimonio civili omissa sacra solemnitate coram civili magistratu contracto rite enodetur, praemittendum est, *quidnam penes fideles matrimonii Sacramentum constituat.* Hinc ita ratiocinamur : *illud ipsum vinculum seu maritalem coniunctionem a Deo in terrestri paradiso institutam*, de qua protoplastus dixerat : ‚Hoc nunc os ex ossibus meis, et caro de carne mea; quamobrem relinquet homo patrem suum et matrem suam, et adhaerebit uxori suae, et erunt duo in carne una', et quae licet divini Reparatoris cum Ecclesia unionem apte repraesentaret, conferendae tamen gratiae insitam sibi vim non habebat, *Christus Dominus sanctificantis gratiae efficax signum reddens ad Sacramenti extulit dignitatem*, Apostolo dicente : ‚Sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo et in Ecclesia.' At procul dubio coniunctio huiusmodi illa eadem est, quae in ipso matrimoniali contractu inter virum et mulierem indissolubili nexu per mutuum concluditur consensum,

ipsi igitur *matrimoniali contractui, quo mutuo partium consensu maritalis initur unio, Sacramenti dignitas est a Christo Domino attributa.* Nempe, quod idem est, *ipse naturalis contractus supernaturalis effectus fuit ope gratiae,* seu contrahentes, qui Sacramenti sunt capaces, actu ipso, quo matrimonium ineunt, sanctificantem et sacramentalem gratiam ex Christi institutione, obicem non ponentes, suscipiunt. Quare *Sacramenti ratio haud est extrinseca et accidentalis contractus naturae superaddita qualitas, sed ipsi est insita matrimoniali contractui.* Itaque pronum est, *in baptisatorum matrimonio contractum minime posse a Sacramento separari realiter, sed solum mentaliter seu metaphysice, ideoque eorum validas nuptias semper Sacramenti induere naturam.* Confirmat hanc doctrinam Innocentius III, qui cap. de Divort. ‚Quanto' ita docet : ‚Etsi matrimonium verum inter infideles existat, non tamen est ratum ; inter fideles autem verum et ratum existit; quia sacramentum fidei, quod semel est admissum, nunquam amittitur, sed ratum efficit coniugii sacramentum, ut ipsum in coniugibus illo durante perduret.' Et Conc. Tridentinum in exponenda natura Sacramenti Matrimonii non definivit sacramentum quasi extrinsecum matrimoniali contractui, et veluti quiddam ad illum sanctificandum superadditum, sed ipsum definivit contractum essentialiter Sacramentum. — §. 4. Ex hac doctrina sequitur luculenter, *fidelium matrimonia ante Tridentinum Concilium, et etiam nunc, ubi illud Concilium promulgatum haud est,* uti in Anglia, Scotia, Hibernia, Borussia, aliisque septemtrionalibus provinciis, quae a fide defecerunt ante a. 1564, quo Concilii decreta promulgata et confirmata fuere, *dummodo sint legitime inita, fuisse ac esse vera Sacramenta, etsi non celebrata coram parocho et duobus testibus,* siquidem haec solemnitas fuit a Tridentino praescripta, non vero a natura matrimonii requisita, quae etsi sacra, attamen determinatam non exposuit sacram solemnitatem, quamvis aliquid sacrum ex primaeva consvetudine fuerit iugiter eidem adiectum. Probat id Tridentinum cap. 1. de ref. matr. his verbis : ‚Dubitandum non est, clandestina matrimonia, libero contrahentium consensu facta, rata et vera esse matrimonia, quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit; et proinde iure damnandi sunt

illi, ut eos S. Synodus damnat, qui ea vera ac rata esse negant.' —

§. 5. Etsi probavimus, matrimonium omnes praecessisse leges, cum ab ipsamet hominis creatione necessarium repetat directionis ius; verum tamen est, quod cum ipsos homines in qualibet dirigendos actione necessario respiciat, aliquod ipsius naturalis legis debeat adesse oraculum, quod ipsam interpretando legem eiusdem evolvat praecepta et observantiam curet. Insuper cum de hominibus agatur redemtis, ac baptismali ablutis lavacro, *matrimonium non est amplius simplicis naturalis contractus materia sed Sacramenti. Iam vero sola Christi Ecclesia ius habet legem naturalem interpretandi, atque Sacramentorum materiam a Christo Domino institutam fidelibus proponendi.* Verum quidem est, quod et ipsamet civilis lex multoties legitimum habet ius naturalem interpretandi legem, ideoque et relate ad matrimonialem contractum sicut quoad ceteros, uti iure hoc usa semper fuit antequam matrimonium fuerit effectum Sacramentum. Attamen donec civilibus legibus fuit matrimonium subiectum, multa incommoda ac reipublicae totius mala exorta fuerunt, ita, ut pene evanuerit perfecta ac legitima veri matrimonii idea, ut nobis historia testatur; polyandria siquidem, polygamia, divortium, fornicationes, concubinatus, mulierum quaestus vel permissa, vel certo efficaciter haud cohibita fuerunt, quae omnia matrimonii naturae et proprietatibus opponuntur. Opus erat, ut Deus ipse legis naturae ideoque matrimonii auctor a vili, in qua miserrime iacebat, conditione elevaret matrimonium, ac ad primaevam sui revocando institutionem leges ipsi matrimonio connaturales repeteret. Perfecit id Christus Dominus, homo-Deus sua mirabili religione, qua humana fuit sanctificata natura. Hic humanae redemtor naturae catholicam instituit Ecclesiam, cui authenticum tribuit magisterium, ac ius se ipsum repraesentandi legislatorem commisit usque ad consummationem seculi, iuxta illud 2 Cor.: ,Pro Christo ergo legatione fungimur, tamquam Deo exhortante per nos.' Deinde tantum Ecclesia exclusive ius habet quoad ea, quae ad Sacramenta pertinent, uti patet ex Dogmatica Theologia. Ex praeiactis fundamentis eruitur, *solum ius ecclesiasticum*

nempe ius divinum Ecclesiae revelatum et commissum posse matrimonii dirigere substantiam et uti naturalem contractum et uti Sacramentum. Hinc utique Ecclesia potest decernere, nullum fore matrimonium, etsi solo naturae iure inspecto validum foret censendum, atque ita pariter decernere matrimonium non irritum, uti ipsa vult, minime esse Sacramenti materiam. — §. 6. Verum quidem procul dubio est, positivam legem absolute loquendo haud posse naturalem irritare legem, attamen praeterquam quod iure ipso divino utatur Ecclesia, etsi uti simplex positiva lex naturalem nequeat irritare legem, certo potest illam interpretari, ac illius nomine ob praeceptorum collisionem, et praecise ad publicum obtinendum bonum nullum declarare, seu ne naturali quidem iure subsistere, quod apparenter firmum videtur. Idipsum peragit ipsamet civilis lex, puta in donatione, quae etsi firma iure naturae videatur, nulla interveniente solemnitate, attamen irrita a civili lege declaratur, quoties praescriptae solemnitates fuerint praetermissae; ita dicendum de aliis contractibus, uno verbo de omnibus actionibus, quae obligationem quamdam naturalem parere natae sint, quae tamen aliquando perimitur, cum civilis nequeat exoriri obligatio. Similiter negandum haud est, nequire Ecclesiam Sacramentorum materiam et formam substantialiter mutare; attamen nullimode nostrae propositioni id obstat, siquidem Christus ad Sacramenti dignitatem non qualemcunque matrimonialem contractum elevavit, sed solum legitimum, seu iuxta naturae legem initum; cum autem Dominus non definiverit, qualis sit habendus legitimus, Ecclesia ipsa iure proprio, uti probavimus, utitur, decernendo, qualis nomine naturalis legis sit habendus iuxta boni publici exigentiam naturalis contractus matrimonii. Insuper cum materia huius Sacramenti sit contractus, et cum Ecclesiae tamquam perfectae societati ius sit contractibus suae directioni subiectis et relate ad contrahentes sibi subditos quasdam praescribendi conditiones non solum quoad liceitatem, sed etiam quoad valorem: sequitur utique Ecclesiam decernere posse aliquem matrimonialem contractum invalidum esse Sacramenti matr. materiam. Firmum ergo manet sub quolibet respectu ius Ecclesiae, nullum declarandi matrimonium uti sacramentum,

ae uti contractum naturalem. — §. 7. Hoc iure usum fuisse Ecclesiam ab antiquissimis temporibus eruitur ex Patribus et Conciliis, quorum auctoritate constat, *Ecclesiam dirimentia statuisse matr. impedimenta.* Tertullianus lib. de cor. mil. c. 13. impedimentum commemorat, quod ex disparitate cultus oritur, et quod certe ab ethnicorum legibus non fuerat statutum. S. Basilius in ep. ad Diod. inquit prohibitum esse, ne vir secundas nuptias cum sorore prioris uxoris contrahat, propterea, quod sanctiones istae (nempe de imped. affinitatis) a sanctis viris nobis sunt traditae. Concilia eandem Ecclesiae persvasionem et praxim confirmant. C. Eliberitanum initio Sec. IV habitum statuit can. 15: ‚gentilibus minime in matrimonium dandae sunt virgines christianae, ne aetas in flore tumens in adulterio animae resolvatur.‘ C. Agathense a. 506. can. 61. diversos cons. et affin. gradus statuit matrimonium dirimentes. Moguntinum a. 813 can. 54 statuit, ut ‚in quarta generatione nullus amplius coniugio copuletur, ubi autem post interdictum factum inventum fuerit, separetur.‘ Demum ad rem nostram propius accedentes, observamus, praedicto iure usam fuisse Ecclesiam in Conc. Tridentino. Ad praecavenda siquidem multa fidelium mala, quae ex clandestinis solebant oriri coniugiis, uti in cap. 1. de ref. matr. enunciatur, ac ex historia Card. Pallavicini comprobatur, votis Galliae praetertim annuentibus Trident. Patribus, eadem S. Synodus in eodem capite sic decernit: ‚Qui aliter quam praesente parocho etc.‘ — §. 8. *Hoc Tridentini decretum opponitur legi civili, quae matrimonia fidelium valida censet, etsi fuerit omissa ipsius Tridentini sacra praescripta solemnitas.* Ad conciliationem utriusque non defuerunt inter catholicos theologos, qui practice seu realiter in christianorum coniugiis *rationem contractus a Sacramenti ratione separari posse* existimarunt, ac contenderunt inter baptisatos utique posse nuptias dari, quae validae forent in ratione contractus, quin Sacramenti induerent rationem. Hanc sententiam, cuius vestigium apud Patres et antiquos theologos nullum extat, primum fuisse a Guilelmo Parisiensi propugnatam tradit Benedictus XIV. Etenim cum hic theologus sacerdotem Sacramenti matrimonii ministrum constituisset, ut facilius cum

Ecclesiae doctrina, quae clandestina coniugia ante Tridentinum rata habuit, suam posset componere sententiam, illam invexit distinctionem, atque nuptias clandestine initas validas esse dixit in ratione contractus, minime vero in ratione sacramenti. Hoc principium vigere coepit in Gallia, ad finem vergente elapso seculo, atque occasionem praebuit legem statuendi, qua matrimonium civiliter contractum validum censetur, etsi contrahentes fideles catholici sint.

§. 9. Ex omnibus praepositis doctrinis pronum est inferre, quidnam sit sentiendum de *matrimonio sic dicto civili*, contracto nempe absque sacra solemnitate ab Ecclesia statuta. Vel hoc modo contrahentes sunt infideles vel fideles: si infideles, eorum matrimonium validum est, dummodo legitimum, quia, uti patet, solemnitas praescripta illos non respicit; si vero fideles, vel Tridentino Concilio non reguntur quoad hoc, vel eos hoc Concilium quoad omnia respicit; si primum, matrimonium illorum non solum est validum, sed est etiam Sacramentum, uti patet ex superius allato §. 4; si secundum, illorum matrimonium non solum haud est sacramentum, quia deest materia ex Ecclesiae doctrina ad illud conficiendum apta, sed ne matrimonialis quidem est contractus, ideoque *sic inita unio est simplex concubinatus.* Irritum siquidem illum contractum Tridentina Synodus relato decreto declarat, hinc nihil remanet quam concubinatus; *uti aperte iam docuit Summus Pontifex Pius Papa IX die* 27 *Sept.* 1852 *in Allocutione pro Republica Neogranatensi, et uti infallibiliter cum unanimi totius Ecclesiae consensu postremo definivit.* Haec sunt illius doctrinae verba: ‚Nemo ex catholicis ignorat aut ignorare potest, matrimonium esse vere ac proprie unum ex septem evangelicae legis sacramentis a Christo Domino institutum, ac propterea inter fideles matrimonium dari non posse, quin uno eodemque tempore sit Sacramentum, atque idcirco quamlibet aliam inter christianos viri et mulieris praeter sacramentum coniunctionem cuiuscunque etiam civilis legis vi factam nihil aliud esse nisi turpem atque exitialem concubinatum ab Ecclesia tantopere damnatum, ac proinde a coniugali foedere sacramentum separari numquam posse.' — §. 10. Codex, quo nunc regimur, matrimonii

celebrationem statuit l. 1. tit. 5. cap. 4 hoc modo: ‚Il matrimonio deve essere celebrato nella casa comunale e pubblicamente innanzi al' uffiziale dello Stato civile del comune, ove uno degli sposi abbia il domicilio e la residenza.' Interpretatio facienda quoad mentem huius legis recte desumitur a relatione facta a Commissione Senatus regni his verbis: ‚Per matrimonio civile si e inteso quel matrimonio, che contratto nelle forme e secondo le prescrizioni della legge civile produce senz' altro gli effetti civili consistenti nei rapporti della famiglia e della societa Accanto ad esso possono sussistere ed associarvisi forme religiose per libera volonta de' contraenti. Come la religione non si occupa dell' atto della societa civile, cosi questa si tiene estranea all' atto religioso.' Hinc patet, quisnam sit praedictae legis spiritus seu mens et scopus, nempe matrimonium regere quoad civiles effectus; uti ostenditur etiam ex aliis verbis ipsius relationis: dicitur enim: ‚L' atto civile mentre e una consequenza dei doveri del cittadino verso lo Stato, nulla detrae alla santita del Sagramento dei cattolici, e in nulla offende le cattoliche credenze.'

§. 11. Iudicium faciendum de hac lege fundamentum habet in duplici respectu, sub quo lex ipsa examinari potest. Nempe vel quatenus est practica directrix civilium effectuum, vel quatenus ex illa possunt fideles occasionem sumere matrimonium contrahendi omnimode omissa ab Ecclesia Cath. statuta sacra solemnitate. Quoad *primum* utimur auctoritate celebris *Muzzarelli*, qui Angelici Doctoris sapientia fretus ita sapienter ratiocinatur: ‚Non v' ha dubbio, che il principe puo apporre al contratto matrimoniale alcune solennita, senza le quali questo contratto possa considerarsi come invalido per gli effetti civili. Questo e cio che accordano alla potesta politica i Teologi dietro la scorta di S. Tommaso, il quale cosi ne parla lib. IV Sent. dist. 34. q. 1. art. 1. in resp. ad 4: „Matrimonium, in quantum est in officium naturae, statuitur iure naturae; in quantum est in officium communitatis, statuitur iure civili; in quantum est sacramentum, statuitur iure divino. Et ideo ex qualibet dictarum legum potest persona effici ad matrimonium illegitima.“ Rimanga pure alla potesta

politica la sua autorita; nessuno gliela usurpa. Si dichiari pure da lei invalido un contratto matrimoniale che non fu stipulato secondo le solennita da essa prescritte. Sara invalido questo contratto? Si: chi lo nega? Egli non avra valore, ma badate bene, non avra valore nel foro civile: vuol dire che non dara azione legitima ai contraenti nella societa politica, perche questo alla fine e non altro e l' effetto della invalidita di un civile contratto. Ma se la Chiesa giudichera quell' istesso contratto nel foro interno della coscienza essere valido in ordine al Sagramento, quel contratto sara materia valida del Sagramento, e il matrimonio sara indissolubile in faccia alla Chiesa. E perche? Perche non il contratto civile, ma il contratto naturale, divino, spirituale, ecclesiastico e la materia del Sagramento del matrimonio, e i contratti e gli officii spirituali vengono determinati dalle leggi della Chiesa.' Confirmat hanc doctrinam Angelicus dist. 42. his verbis: ,Determinantur contractus et officia spiritualia lege Ecclesiae. Prohibitio legis humanae non sufficeret ad impedimentum matrimonii, nisi interveniret Ecclesiae auctoritas, quae idem etiam interdicit.' Quoad *secundum* dicimus, iuxta principia superius exposita, *fideles, qui solam legem civilem de matrimonio observant, omissa catholicae Ecclesiae legis observantia, non sacramentum, non matrimonium inire, sed exitialem amplecti concubinatum*; ideoque patet, quod isti uti publici peccatores, nisi ab ea fornicaria coniunctione separentur, urgente Christi praecepto ,nolite sanctum dare canibus' a sacramentorum participatione, sive occulte sive publice ea petant, sint removendi, atque Ecclesiae poenas mereantur; eorum denique filii coram Ecclesia et fidelium societate illegitimi habeantur. — §. 12. Ex praedictis, necnon vigentis legis inspecto spiritu deducimus pro praxi, eam omnimode a fidelibus esse observandam. Confirmat hanc doctrinam *S. Poenitentiaria* in Instructione de hac re ad Eppos Italiae sub die 15 Ianuar. 1866. Legitur enim ibi nr. 5: ,ad vexationes poenasque vitandas, et ob prolis bonum, quae alioquin a laica potestate ut legitima nequaquam haberetur, tum etiam ad polygamiae periculum avertendum opportunum et expediens videtur, ut iidem fideles postquam matrimonium legitime contraxerint

coram Ecclesia, se sistant actum lege decretum executuri, ea tamen intentione sistendo se Gubernii Officiali nil aliud faciant, quam ut civilem ceremoniam exequantur.' Ita iam docuerat *Benedictus XIV.* 17 Sept. 1746. Constit. ,Redditae sunt nobis,' ut fideles spirituale effugiant periculum, his verbis: ,Ad huiusmodi vitanda pericula consultius est, ut catholici nonnisi matrimonio iam antea in facie Ecclesiae inter se legitime celebrato, ad illam explendam civilem ceremoniam secularem Magistratum adirent.' Cum vero fortasse aliquando quaedam oppositio exurgere queat inter Ecclesiae statuta ac civilem legem, multa parochorum opus est prudentia; quare sic laudata Poenitentiaria sub nr. 6. praescribit: ,Parochi ad matrimonii celebrationem coram Ecclesia eos fideles, qui quoniam lege arcentur ad civilem actum dein non admitterentur, ac proinde non haberentur ut legitimi coniuges, non ita facile ac promiscue admittant. Hac in re multa uti debebunt cautela ac prudentia, et Ordinarii consilium exposcere; atque hic facilis non sit ad annuendum, sed in gravioribus casibus hoc S. Tribunal consulat.' — §. 13. Paucis comprehendamus universam iam expositam de matrimonio civili doctrinam. Matrimonium fidelium est ipsemet contractus, qui ex naturali effectus fuit essentialiter supernaturalis ope gratiae sanctificantis et sacramentalis, ideoque est sacramentum. Quatenus est contractus naturalis, debet ac potest rite et quoad substantiam a solo divino iure moderari; quatenus est Sacramentum, pariter illud dirigere iuxta Christi institutionem solius est divini iuris Catholicae Ecclesiae commissi. Cum vero matrimonium ad ipsam civilem societatem habeat relationem, et ipsius est illud quoad civiles effectus moderari, ideoque etiam civilis lex est observanda. Ergo matrimonium a fidelibus initum non conformiter iuri divino et ecclesiastico, aliquid quoad eius valorem praescribenti, non solum haud est Sacramentum, sed ne contractus quidem matrimonialis; hinc matrimonium duntaxat civile est simplex et exitialis concubinatus.

Mon. 252.

Altera disquisitio dogmatico-historico-practica de formis et impedimentis civilibus matrimonii in Italia ad usum Parochorum et Confessariorum. Taurini. 1867 edita.

Praefatio. §. **1.** Quod viri cuiusque ordinis praeclarissimi eruditis suis scriptis, Antistitesque sapientissimi cum singillatim tum una simul protestationibus, zelo ac doctrina refertis, et ipsemet Pontifex Maximus augustissimae suae vocis auctoritate avertere conati sunt, id proh dolor! in *Italia*, prout iamdiu timebatur, constitutum esse nuper vidimus. Etenim ibi eo ferme modo, quo in Galliis, Belgio, Hollandia, aliisque quibusdam nationibus, *matrimonium civile,* non consulta nec probante Ecclesia, misere inductum est, ac lege infausta ac summopere adversa tum ecclesiasticae tum civili societati praescriptum ac promulgatum. Unde fit, ut nullum admittatur connubium, nullaque proles habeatur legitima, ubi formae a civili lege praescriptae omissae sint. Cum itaque non modo licitum quin imo necessarium sponsis sit, attentis praesertim adiunctis, legi huic quaecunque ceterum ea sit parere in thesi generali ac se submittere, nemo est qui non videat plurimum interesse, ut *parochi* praesertim ac *confessarii praecipuas matrimonii civilis formas ac impedimenta* nota apprime ac perspecta habeant. Multis enim gravibusque difficultatibus opportune ac facile occurritur, ubi sponsi sive de civilibus matrimonii formis rite recteque implendis, sive de impedimentis et obstaculis, si qua sint, opportune e medio tollendis, quae non raro administrorum civilium scientiam aut saltem memoriam effugiunt, tempestive matureque doceantur. Ex perspicua harum rerum scientia et praxi fit, ut actus civilis, qui matrimonii nomine perperam ornatur, coram publico ministro iure remotis obstaculis perficiatur, aut si haec tolli commode nequeant, saltem ut impediatur generatim, quominus propositum connubium tum civiliter tum religiose contrahatur. Multum enim interest, ut matrimonium coram Ec-

clesia sublato prius impedimento civili, et matrimonium coram ministro civili nullo amplius extante impedimento canonico rite celebretur. Quae cum probe animadverterem, simulque viderem a pluribus e Clero vehementer exposci, ut opusculum, cuius de impedimentis et formis a lege laica praescriptis argumentum esset, in lucem ederetur, Italiaeque regionibus, quantum fieri potest, accomodatum ab omnibus probaretur, utileque haberetur, rem nec inutilem nec ingratam me facturum esse duxi, si huic operi manum admoverem, et quidquid scitu maxime necessarium parocho ac confessario esse posset, ut in tam ardua tantique momenti re tuto sese dirigere queat, satis abunde exponerem ac explanarem. Disputationem vero hanc in tres partes distribuam: prima pars erit *dogmatica*, secunda *historica*, tertia tandem *practica*. — §. 2. In prima parte praecipua quaedam capita delibabo satius quam enucleatim disputabo, eo quod instituti nostri ratio non postulat, ut de matrimonio prout est sacramentum, deque impedimentis canonicis speciatim loquar, cum quaestiones hae ab omnibus auctoribus theologiae moralis ac iuris canonici excutiuntur. In secunda parte de impedimentis ac formis lege laica in Italia statutis, deque actu civili, quem exequi sponsi tenentur, ut eorum coniugium secundum novissimas leges civilibus fructibus frui queat, praecipue loquar ac distincte pertractabo. In tertia parte quaestiones graviores proponam, facilemque eisdem solutionem dabo.

Pars prima Dogmatica. (extractive.) §. 3. Non desunt, qui nostris etiam temporibus repetere non erubescunt, contractum societatis inter virum et uxorem, cum sit totus humanus et corporalis, et ad effectum naturalem directe initus, ad Potestatem Ecclesiasticam, quae tota in se spiritualis est, et ad spiritualia spectans, non posse iure divino pertinere. Dum haec de matrimoniis christianorum dicuntur, nihil in eis est nisi falsum et quidem a fide catholica alienum. — §. 4. Illud secundo loco confidenter asserimus ac strenue defendimus: *Ecclesiae potestatem inesse impedimenta dirimentia constituendi, et eam quidem non precariam, neque a principibus acceptam, sed omnino propriam et nativam.* — §. 5. Porro *potestatem hanc neque per usurpationem, insciis vel invitis ac reluctantibus*

principibus, neque ex principum indulgentia tacita vel expressa, in Ecclesiam manasse, sed ei omnino propriam et a Christo collatam esse tum multis aliis gravissimis rationibus, tum praecipue ex eo deducitur, quod nullus monstrari potest princeps christianus, qui de hac praetensa usurpatione fuerit unquam conquestus, neque assignari tempus potest, quo primum coeperit haec usurpatio, neque via seu medium indicari, per quod potuerit Ecclesia nemine reclamante ad hanc usurpationem pervenire. — Praeterea nullus appellari potest princeps, qui omnium primus Ecclesiae privilegium dederit, ut impedimenta matr. dirimentia constituere posset. Imo Principes saepissime laudarunt eas Ecclesiae leges, quae matrimonium eiusque impedimenta respicerent, et ad illas sua edicta conformarunt; ad ipsam Ecclesiae auctoritatem confugerunt, si forte dispensationem ab aliquo impedimento, quo illigarentur, obtinere voluerint; conceptis pariter verbis se edictis legibusque suis civiles duntaxat matrimonii effectus attingere declararunt. Nonne haec omnia apertam ipsorum Principum confessionem involvunt, quod propria et nativa potestate queat Ecclesia leges ferre circa matrimonium, nec ex eorumdem Principum privilegio aut indulgentia huiusmodi auctoritas per ipsam exerceatur? — §. 6. Affirmamus tertio, et veluti catholicam Ecclesiae doctrinam tuemur, *Sacramentum non esse qualitatem additam matrimonii contractui, sed eius omnino essentiam efformare, ita ut inter christianos matrimonium existere nequeat a Sacramenti essentia disiunctum ac separatum, nec ratio Sacramenti concipi tamquam aliquid matrimonio superveniens iam plene ac perfecte lege civili constituto.* — Matrimonium et Sacramentum non sunt duae res, sed una eademque, quatenus nexus ipse matrimonialis Sacramentum est. — §. 7. Ex quibus omnibus sic expositis ac probatis, duo necessaria consequutione deducuntur: alterum, *quaelibet alia inter christianos viri ac mulieris praeter sacramentum coniunctio cuiuscunque etiam civilis legis vi facta nihil aliud est, nisi turpis et exitialis concubinatus ab Ecclesia tantopere damnatus.* Mirandum itaque est, adhuc inter catholicos viros non paucos inveniri, qui vel salutis suae incuria, vel catholicae religionis contemtu eo labuntur, ut neglecto matrimonii

sacramento *formas mere civiles* adimpleant, atque ita in probroso persistere concubinatu et publice in animae suae exitium vivere non erubescant. Sciant catholici, ut verbis utar *Benedicti XIV*, cum civili magistratui celebrandi matrimonii causa se sistunt, actum se mere civilem exercere, quo suum erga leges et instituta Principum obsequium ostendunt, ceterum tunc quidem nullum a se contrahi matrimonium. *Pius VI* in Instr. pro Galliae negotiis 17 Sept. 1791 ait : nihil impedimento esse, quominus fideles, ut civilibus potiantur effectibus, praescriptam declarationem faciant, illud semper prae oculis habentes, nullum ab ipsis tunc contrahi matrimonium, sed actum mere civilem exerceri. Tandem SS. *Pius IX* manifestis verbis declaravit : quamlibet aliam inter christianos praeter Sacramentum coniunctionem nihil aliud esse, nisi turpem et exitialem concubinatum; et litteris ad Regem Sardiniae addit verbis superius expositis: ‚cosicche l'unione coniugale tra i cristiani non e legittima, se non nel matrimonio Sacramento, fuori del quele non vi e che un pretto concubinato.' — §. 8. Alterum, quod ex dictis infertur, est, *unius Ecclesiae proprium esse impedimenta matrimonium christianum dirimentia constituere, causasque de validitate promissi aut initi foederis ecclesiastico iudicio decernere ac definire.* — §. 9. *Seculares Principes* possunt matrimoniis contrahendis leges dare, sed unaquaeque lex tantum valet, quantum est in potestate legislatoris. Cum igitur secularium principum potestas res tantummodo temporales ac civiles moderetur, consequitur *eorum leges circa matrimonia christianorum in ordine solum civili ratas esse,* adeo, ut matrimonia adversus eas leges inita civilibus effectibus, quantum scilicet attinet ad dotem, successionem, haereditatem, et alia huius generis, priventur; *spirituale autem christiani matrimonii vinculum eius ordinis est, ut civiles leges ad eum pertingere nullo modo possint.* — §. 10. At vero quaenam adversariis ratio est, quamobrem potestas impedimenta matrimonium dirimentia quoad vinculum constituendi in Principes etiam conferatur? Ipsi enim aiunt, plures eosque graves doctores docere, matrimonium sine ministro Ecclesiae et sine aliqua religionis ceremonia initum non esse vere et proprie sacramentum, sed tamen

verum, firmum et legitimum matrimonium habendum esse; quam quidem opinionem *Melchior Canus* quantum potuit, tueri et illustrare conatus est. Cum igitur sacramentum a contractu dividi possit, id consequens est, (uti concludunt) ut Principes quoad contractum leges irritantes edere possint ac valeant. Ulterius dicunt, matrimonium, quamvis ad sacramenti dignitatem elatum sit, suapte natura tamen et primo loco naturalem civilemque contractum esse; omnes vero contractus propter bonum publicum auctoritati Principum obnoxios esse, eaque de causa matrimonii contractum a Principibus irritum fieri posse. Neque eo casu, uti adversarii regerunt, civiles leges sacramentum attingunt, sed contractum unum tollunt irritumque faciunt, contractus namque matrimonii a matrimonii sacramento distingvitur. Sublato autem civili contractu qui est materia sacramenti, nequit sacramentum amplius consistere, quia sine materia nullum sacramentum conficitur. — §. 11. Verum non difficile opus videtur huiusmodi rationibus respondere. Enimvero quod ad primum argumentum pertinet, certum est, neque Canum neque alios eiusdem opinionis patronos ita contractum matrimonii a sacramento dividere, ut contractus et sacramentum seorsim existant, sed tantum contendere, interdum fieri posse, ut verum, firmum et legitimum matrimonium contrahatur, quin sit sacramentum. At vero cum matrimonium ita initur, ut vere et proprie sacramentum sit, tum plane fatentur, contractum et sacramentum non duas esse res inter se distinctas, ut una ab altera secerni possit, sed unam eandemque rem, quia contractus matrimonii est materia sacramenti. — §. 12. Ad alterum argumentum quod spectat, negamus primo, realem dari distinctionem inter contractum et sacramentum, adeoque tenemus, coniugium in suo conceptu formali ac practico nil aliud esse, quam contractum naturalem ad dignitatem sacramenti elatum. Nam licet speculative quadam ratione mente concipi possit aliqua in casu distinctio, reapse tamen et in concreto contractus et sacramentum duas separatas ac divisas entitates reales nullo modo efformant, adeoque Princeps nequit attingere contractum, nec ponere conditionem, unde eius validitas dependeat, quin hoc ipso statuat de re sacra omnino et sacramen-

tali, quae ad civilem potestatem nullo modo spectat. Secundo loco *negamus pertinere ad Principem ullum ius circa contractum matrimonii naturalem*, praesertim quod ante omnem legem civilem a Deo ipso in hominis creatione institutus est, et a Christo Domino ad sacramenti dignitatem evectus, adeo, ut inter coniugium naturale et sacramentum nulla differentia intercedat, unumque cum altero penitus identificetur. Tertio demum *prorsus negamus in civili ac naturali contractu materiam Sacramenti sitam esse, sed in contractu ad praescriptum eccles. legum celebrato*; quapropter S. Thomas in suppl. quaest. 54 art. 4. ad 7: „Sicut Deus, inquit, non coniungit illos, qui coniunguntur contra divinum praeceptum, ita nec coniungit illos, qui coniunguntur contra Ecclesiae praeceptum, quod habet eandem obligandi efficaciam, quam habet divinum praeceptum.' Id perspicuum est ex facto, et consensu totius Ecclesiae: etenim Ecclesia valida semper habuit matrimonia canonice contracta, quodcunque obstaret impedimentum civile, et e contra ea matrimonia, quae contra leges a Conciliis et Summis Pontificibus latas contracta essent, irrita perpetuo retinuit, licet ea civilis lex rata haberet. — §. 13. — Ad partem *his'oricam* progrediar, et de formis ac impedimentis civilibus nuperrime in Italia matrimonio inductis iuxta legis spiritum ac legislatoris mentem sermonem instituam. —

Pars secunda Historica. (extractive.) §. 14. Potestati civili admodum interesse, ut quae celebrantur connubia, nota ipsi sint ac perspecta, nemo est qui audeat denegare. Verum quin matrimonii ipsius vinculum directe attingat, essentialesque eius proprietates impetat, ac prorsus destruat, alia media idonea ac legitima ad finem suum obtinendum civilis auctoritas in promtu habet. Etenim ceteris missis, si statuat, ut eae tantum nuptiae civiles effectus producant, quae publice in facie Ecclesiae contrahuntur, quod nec absonum nec indecorum dici potest, aut si velit, ut matrimonio, cum in Ecclesia celebratur, minister civilis adsit ac praesens sit, qui insuper recipiat a parocho exemplar librorum, ubi matrimonia adnotantur, finis, qui propositus est, apprime ac plene obtinetur, quin Gubernium civile proprios suae auctoritatis

limites praetergrediatur, Ecclesiaeque iura pessumdet. Verum aliter peragi videmus. Novimus profecto auctoritatem civilem leges condidisse, quae ipsum matrimonii contractum directe in sua essentia attingunt, et quibusdam hominibus ita interdicunt, ut nisi illae examussim observentur, aut plane nullum aut saltem dissolvendum et abolendum decernant, aut validum quidem considerent, sed poenis obnoxium, iis infligendis, qui statutas leges perfregerint. Ex quo patet, *in matrimonio mere civili dari etiam impedimenta, quae definiri possunt: leges civiles actum matrimonii vel radicitus irritantes, vel abolendum decernentes, vel solum determinatis poenis prohibentes.* Haec impedimenta, ut ex ipsa definitione liquet, alia sunt prohibentia, alia dirimentia. Porro haec dividuntur in impedimenta radicitus seu stricto sensu dirimentia, et in impedimenta per abrogationem dirimentia. — Notandum praeterea est, nullum existere impedimentum civile, quod matrimonium pleno iure abroget, seu efficiat, ut absque iudicis sententia vinculum disrumpatur, omneque ius ad civiles effectus omittatur. In omni namque coniugio licet radicitus nullo adest semper vel titulus vel saltem quaedam tituli species, quae iudicialiter destrui debet. — (*Inde a §. 15—51 recensentur impedimenta civilia et explicantur, prout legislatio civilis ea sanxerat in Italia, tum facta ad impedimenta canonici iuris applicatione. haec proponuntur §. 48—51:*) — Manifestum est, legem civilem altum silere *de canonicis impedimentis* novem; et ad cetera canonica impedimenta quod spectat, dignoscitur ex dictis, qua ratione quove modo lex ea acceperit ac sua fecerit. Si quis haec omnia serio mente revolvat, attenteque cum iis comparet, quae de impedimentis canonicis ab auctoribus catholicis exponuntur, manifeste perspiciet, nullum ferme adesse canonicum impedimentum, quod in omnibus cum civilibus eiusdem nominis ac generis impedimentis ad amussim concordet, quinimo videbit nonnulla dari, quae maxime discrepant. Duo hic sedulo notanda sunt: alterum, *ex quo lex nonnulla impedimenta canonica non recenseat, non inde inferas ea prorsus reiici.* Alterum, *quod impedimenta, de quibus Codex civilis silet, vim suam coram Ecclesia integre exerunt, eo quia auctoritas civilis impedimentum ab Ecclesia constitutum abro-*

gare nec potest nec vult. Non potest, ut per se patet, et fassus est ipse Napoleon I, quando in discussione haec proferebat: ‚On ne peut obliger le ministre des cultes a bénir les mariages valables, suivant les lois civiles, lorsqu' il apercoit quelque empechement canonique.' Non vult autem, quia laica de matrimonio lex ex legislatoris voluntate conscientiam non attingit, quinimo in individuo quadam mentis abstractione hominem socialem ab homine religioso ita distingvit ac separat, ut alterum quoad relationes mere civiles in ordine tantum externo devinciat, alterum vero liberum prorsus relinquat quoad effectus religiosos in ordine spirituali, seu in iis, quae Deum et conscientiam respiciunt. Ex quo manifestum profecto est, matrimonium christianum in sua integritate cum suis impedimentis canonicis prorsus relinqui, nihilque lege decerni, quod illi uti sacramento, obsistat et adversetur. —Una adhuc quaestio sese offert maximi sane momenti in praxi, scilicet *an matrimonium civile importet impedimentum publicae honestatis.* Duplex hac super re circumfertur sententia. Melius tamen quaestio resolvitur debita distinctione. Etenim *sponsi contrahendo matrimonium civile vel expressa intentione excludunt matrimonium ecclesiasticum, vel ea tantum mente civilis legis praescripto satisfaciunt, ut effectus civiles consequantur, simulque se obligant, saltem implicite, ad vere postea connubium in facie Ecclesiae contrahendum* In *priori* casu contrahentes dum civilis legis praescripto se subiiciunt sine intentione recurrendi ad Ecclesiam, iam *matrimonium vere clandestinum* inire intendunt. Unde in proposito casu quaestio eo reducitur, ut videatur, an impedimentum publicae honestatis inducatur per matrimonium ratum, quod nullum sit et irritum ob impedimentum claudestinitatis, quia videlicet non fuerit contractum iuxta decretum Tridentinum coram parocho et duobus testibus. Iamvero *Sanchez* l. 7. de matr. disp. 70. n. 13. tenet neutiquam induci hoc impedimentum dirimens, quia huiusmodi contractus ex defectu assistentiae parochi et testium non habet formam aut figuram matrimonii, sicut illam habet, quando contractus fiat cum aliquo impedimento. Oritur autem publica honestas ex coniunctione animorum non quacunque sed ex illa, quae fit in forma matrimonii et sponsalium. Contra

vero *Pontius* l. 8. de matr. c. 36. n. 5. asserit, hoc publicae honestatis impedimentum contrahi in proposito casu, quia publica honestas de iure antiquo inducebatur per quodcunque matrimonium ratum, licet nullum et irritum, dummodo non foret irritum ex defectu consensus. Iamvero hoc antiquum ius non fuit correctum circa matrimonium ratum a Concilio Tridentino. — In *altero* casu, quando nempe contrahentes intendunt verum matrimonium postea coram Ecclesia inire, iidem auctores tenent pariter ex civili matrimonio oriri impedimentum publicae honestatis, sed in primo tantum gradu; eo quod simplex ac ferme materialis formarum civilium executio dicenda est quaedam legitimi matrimonii inchoatio, vi cuius sponsi promissione mutua saltem implicita futuri matrimonii devinciuntur, adeo, ut matrimonium civile censeatur ac sit contractus sponsalitius. Alii autem auctores validioribus armis pugnare videntur, dum arbitrantur nullum exinde exurgere impedimentum, eo quod actus civilis nec matrimonium clandestinum, nec contractum sponsalitium importat. Non importare matr. clandestinum ex eo inferunt, quod sponsi nullum prorsus matrimonium volunt contrahere, sed tantum praescripto legis satisfacere intendunt. Non importare vero sponsalia tum auctoritate tum ratione demonstrant. Ratione quidem, quia vel deest ad hoc verus in matrimonio civili assensus, vel si quis adest, is profecto est de praesenti; ast assensus de futuro non autem de praesenti sponsalia constituit, definiente Nicolao Pontifice cap. Nostrates. 30. q. 3. Auctoritate autem, quia S. Conc. Congr. constanter declaravit: matrimonia, quae per Conc. Tridentinum abrogata sunt, in sponsalia minime transire. —

Pars tertia Practica. (extractive.) §. 52. Si res ita procederent, ut matrimonium eadem die tam coram Parocho quam coram administro civili celebraretur, et praescriptis legis tum ecclesiasticae tum laicae simul satisfieret, profecto in praxi vel nulla difficultas adesset, aut exoriretur, vel facile solveretur. Verum non ita se res habent. Nam lex civilis nihil sollicita est de iis, quae a lege canonica praescribuntur, et non modicae inde ambages occurrunt. Quae cum ita sint, officii nostri ratio modo postulat, ut praecipuos casus, qui aliquod

facessere negotium possunt, in hac tertia parte exponamus, et quid in praxi agendum, faciendumque sit, breviter indicemus. Sic enim haud difficile erit decernere, quandonam et quomodo matrimonium civile et ecclesiasticum attentis impedimentis a iure canonico et civili praescriptis secure et sine gravi incommodo contrahi possit. — §. 53. Quaeritur itaque 1-o: *quomodo agendum sit cum poenitente vel parochiano, qui matrimonium in facie tantum ecclesiae posthabitis civilibus formis intendit inire?* Quamvis verum fidelium matrimonium in locis, ubi viget Tridentinum decretum c. 1. Sess. XXIV, tum solum contrahatur, quum vir et mulier impedimentorum expertes mutuum consensum patefaciunt coram parocho et testibus secundum praescriptam a Tridentino formam, atque ita contractum matrimonium omnem suum valorem obtineat, nec opus sit, ut a civili potestate ratum habeatur, aut confirmetur: attamen *valde expedit, ut parochus ad connubium celebrandum sponsos non admittat, nisi serio in antecessum coram testibus etiam, si oporteat., promiserint, leges omnes de formis civilibus religiose se esse servaturos; ea tamen intentione, ut sistendo se Gubernii Officiali nil aliud faciant, quam ut civilem ceremoniam exequantur,* ut docet Benedictus XIV Brevi ‚Redditae sunt' 17 Sept. 1746. — Diximus consulto, id valde expedire; nam non eo progredimur, ut asseramus nusquam dari casum, in quo matrimonium christianum qualibet omissa promissione de implendis formis civilibus celebrari non solum liceat, quinimo omnino oporteat. Nostrum non est hos casus recensere, multoque minus eos indigitare, in quibus parocho permittitur, ut omnibus rerum adiunctis inspectis matrimonio benedicat, etiamsi sponsi legi civili parere perfracte recusent. Illud, quod iuxta legem nuperrimam nemo inficiari potest, est: in mortis articulo parochos pro bono spirituali infirmi matrimonium celebrare tuto ac secure posse, licet is declaret, civiles formas, si unquam convalescat, se haud esse impleturum. — §. 54. Quaeritur 2-o: *quid agendum sit cum poenitente vel parochiano, qui matrimonium in facie ecclesiae cum impedimento civili inire desiderat ac intendit?* Confessarius vel parochus debet diligenti examini subiicere *impedimenti naturam,* quo parochianus vel poenitens detinetur, non qui-

dem ut infaustae legis exequutioni cooperationem tribuat, sed ut bono coniugum et prolis unice provideat. Itaque *si impedimentum tolli civili dispensatione nentiquam potest, omnes industriae nervos in id intendere debet, ut sponsi a proposito matrimonio, quod civiliter irritum, ac fructibus civilibus destitutum semper esset, omnino avertantur.* Si vero impedimentum facile deleri possit, et simul praevideatur matrimonium faustum futurum, consultum sane est, ut sponsi utilibus adiuventur consiliis, quo facilius dispensationem assequantur, eaque obtenta nil vetat, quominus matrimonium coram Ecclesia in Domino celebretur. In hisce rerum adiunctis parochus gratissimum parochianis se reddet, si eos maxima comitate et urbanitate exceperit, et de omnibus, quae peragenda sunt, monitos ac vigiles esse voluerit, accurateque docuerit. *Quum usuvenire aliquando possit, ut praeter civile obstet etiam impedimentum canonicum, parochus et confessarius curare debet, ut apostolica dispensatio obtineatur, antequam ipsum civile matrimonium locum habeat.* Vitandum namque sedulo est, ne sponsi proximae peccandi occasioni sese exponant, *neque ullo modo credant se iam veri matrimonii vinculo esse copulatos, dum tamen matrimonium ob dirimens canonicum impedimentum nullum est.* Quae cum ita sint, nemo est qui non videat, quantum intersit, ut parochus impedimenta tum canonica tum civilia probe noscat. Tunc enim ipse facile poterit utrumque impedimentum tempestive removere, et parvi quidem refert generatim loquendo definire, a quanam dispensatione petenda initium sumi debeat. — §. **55.** Quaeritur 3-o : *quid agendum est, si poenitens vel parochianus in facie Ecclesiae tantum matrimonium valide contraxerit, sive quod actum civilem plane omiserit, sive quod cum impedimento civili dirimente impleverit?* Quum in utroque eventu *matrimonium coram Deo valide contractum* sit, sequitur profecto *poenitentem vel parochianum tuta conscientia uti matrimonio posse,* quinimo ipse graviter peccaret, si coniugem desereret, aut debitum coniugale praestare detrectaret. Nulla de hac re quaestio submoveri potest, quum ex SS. Pontificum et SS. Congregationum responsis aperte liqueat, *hisce matrimoniis suam quoad maritalem nexum inesse vim et valorem, qualiacun-*

brato matrimonio ecclesiastico, perfecerit? Ut huic quaestioni plene respondeatur, videndum inprimis est, an impedimentum *temporariam* tantum vel potius *perpetuam nullitatem* secum trabat. In *priori* casu curandum est in thesi generali, ut nullitas, quantum fieri potest, purgetur, et ubi coniici liquido liceat, id brevi absque obstaculo locum esse habiturum, *permitti poterit, ut matrimonium, nulla interposita mora, coram ecclesia contrahatur.* Si vero praevideatur aut saltem suspicio oriatur, eos, qui interesse habent, statim acturos, ut matrimonium abrogetur, *opportunum erit a matrimonii celebratione supersedere, usquedum iudicium prolatum sit.* Interim poenitens vel parochianus de nullitate matrimonii monitus reddi debet. In *secundo* casu inspiciendum est, an adsit nec ne solida suspicandi ratio, ne quod forte matrimonium ob existens impedimentum aliquando impetatur. Si adest suspicio, nullus dubitationi locus relinquitur, quin parochus ad celebrationem matrimonii fideles non tam facile ac promiscue admittat, quinimo consultum est, ut se abstineat, cum *non expediat in thesi generali matrimonio benedicere, quod nullitate civili laborat,* quodque fortasse impugnabitur ac dissolvetur. Si contra nulla aut levis tantum suspicio habeatur, parochus connubium celebrare poterit, praesertim si hac ratione concubinatui finis imponatur, et gravia incommoda praecaveantur. —

§. 57. Hisce sic enucleate disputatis restat postremo, ut de *Sponsalibus* et de *separatione civili* pauca subiiciamus. Ad Sponsalia quod spectat, notum est, ea nuptiis praemitti non quidem ut valeat matrimonium, sed ut cautius et ordinatius ineatur, quemadmodum magnitudo rei omnino postulat. Verum ex lectione art. 53 Codicis satis abunde patet, quod desponsati nulla ad nuptias contrahendas obligatione devinciuntur, sive simplicibus verbis sive publico instrumento sive privata syngrapha animum suum expresserint. Solum vult lex, ut qui scripto matrimonium promisit, si poeniteat, debeat resarcire parti alteri expensas causa promissi connubii factas. Haec iuris dispositio opponitur, ut quisque videt, iuri canonico, quod vult promissiones nuptiarum ratas et firmas esse, et non svadet modo sed minis etiam urget, ut sponsalibus

satisfiat, quia nibil tam fidei humanae congruum est, quam ut pacta serventur et impleantur. In iure praeterea canonico ex sponsalibus rite factis impedimentum exurgit, quod publicae honestatis dicitur. Parochus itaque, ubi casus occurrat, prae oculis habeat ea omnia, quae de hoc impedimento doctores loquuntur, simulque attente consideret rerum ac circumstantiarum adiuncta, ex quibus facili ratione normas haurire poterit, quibus in tam trepida ac tanti momenti re tuto dirigat sese. — §. 58. Ad *separationem* quod attinet, *certum est eam porrigi tantum ad cohabitationem et bona* ex causis a lege definitis, *firmo remanente matrimonii vinculo. Divortium namque, quo matrimonium civile solvitur quoad vinculum, ita, ut coniugibus liberum sit ad alias transire nuptias, lege non admittitur.* — Parochus in causas sedulo inquirat, quae pro separatione stant, et si leves vel fatuas esse comperecit, a separatione sponsos avertat; si validas quidem invenerit, sed non adeo urgentes reputaverit, ut separationem necessariam prorsus reddant, coniuges ad concordiam vehementer hortetur. Si e contra separatio necessaria sit, videndum est, an causa separationis in foro civili agitata a iudice facile nec ne admittetur. In priori casu iudicium expectetur, in altero parochus multa uti debet cautela ac prudentia, et Ordinarii consilium exposcat. — §. 59. Finem huic disquisitioni ponere non possum, quin hic referam, quae habet *Benedictus XIV* de Syn. Dioec. l. 6. c. 7. n. 5: ‚Consultius utique foret, ut catholici nonnisi matrimonio iam antea in facie Ecclesiae inter se legitime celebrato, ad illam explendam civilem ceremoniam secularem Magistratum adirent.' Eadem ferme habet Pius VII in Instruct. de 14 Ian. 1808. Ubi vero id sine magno incommodo ac periculo impleri nequeat, parochus saltem pro viribus satagat, ut, postquam sponsi Gubernio morem gesserunt, sublato si quod obstat canonico impedimento matrimonium coram Ecclesia, si fieri possit, eadem ipsa die celebrent, vel saltem non diu differant Ecclesiae legibus parere, et interim a matrimonii usu se abstineant. —

Mon. 253.

Decretum S. Congr. Concilii de Sponso, qui post contracta sponsalia cum una, hac derelicta matrimonium civile contraxit cum altera. 1867.

1. *Compendium facti.* Livius et Caja humili genere et loco nati, octo fere annos mutuo amori indulserunt, donec Caja deflorata est, prolemque edidit. Dein Livius relicta Caja nuptias cum muliere alia parare coepit: quare Caja ad Curiam Eppalem se convertens, petiit obtinuitque, ut interponeretur impedimentum, quominus ad alias nuptias Livius procedere posset. Eo impedimento perculsus Livius petiit ab eadem Curia, ut breve temporis spatium adversariae suae praefigeretur, tamquam terminus ad assertum sponsalium impedimentum comprobandum, quo inutiliter elapso locus esset eiusdem impedimenti remotioni. Itaque Curiae procurator sese in Curia stitit, demonstrare paratus haec tria: 1. Livium vere firmiterque promisisse Cajae, se cum eadem initurum matrimonium, et Cajam promissionem acceptasse; 2. Cajam iugiter honestam vitae rationem prosequutam esse; 3. a Livio sub promissione matrimonii et fuisse defloratam, et repetitis accessibus prolem edidisse. Incoepti in Curia processus tabulae cum fere absolutae essent, causa siluit ob politicas subversiones: Livius autem ad S. Sedem se convertit, ut causa definiretur. De more rogatus est Ordinarius, ut congruum praefigeret litigantibus terminum ad deducenda iura sua coram S. Congregatione Concilii, et acta processus transmitteret, suo expresso voto datisque opportunis informationibus. *Ordinarius* faciens his omnibus satis, inter cetera scripsit: *Livium praetextu matrimonii coram civili auctoritate antea contracti concubinarie vivere cum alia muliere alterius dioecesis, prole suscepta.* Ex processus autem tabulis inter cetera haec deprehendebantur: 1. duo documenta aderant, quorum primum ex actis civilibus depromtum testabatur: *Livium a. 1862 mense Maio coram magistratu civili se stitisse,*

ut publicaretur promissio matrimonii cum Caja, quod executioni fuit mandatum, sed eundem postea omisisse curas, ut reliqui actus subsequerentur. Alterum vero documentum ex Curia depromtum testabatur: *mense Iunio a. 1862 fidem favore Livii et Cajae ab Ordinario datam esse, ut contrahere inter se possent matrimonium.* 2. Addnctae praeterea snnt duae epistolae Livii, quibns respondebat querimoniis Cajae, quasi fidem datam ille proculcasset; in una scilicet respondebat, se numquam fuisse proditorem, nec quidquam veritatis in Cajae querimoniis contineri; eamque monebat, ut despecta quavis contraria suspicione de modo cogitaret, quo omnes finiri possent quaestiones. In altera vero eandem fere sententiam Livius scripserat die 31 Aug. 1862. His accedebant depositiones testium, qui ex propria scientia haec testati sunt: Livium dixisse, cito se initurum matrimonium cum Caja; Cajam praesente Livio dixisse, se nupturam esse Livio, qui ad haec nihil respondit; Livium cothurnos sibi suae sponsae comparare quaesivisse, cum matrimonium inire deberet; Livium saepissime questum esse de dotis mulieris defectu et de suorum parentum (Livii) dissensu. Testes plures deposuerunt, alium virum Cajae domnm frequentasse, eiusmodi virum fuisse sponsum sororis Cajae. Ex aliis depositionibus testinm haec eruebantur: Livium sive interpellatum sive reprehensum sive sponte loquentem, fassum esse: se auctorem stupri, sui esse nuptias cum Caja inire, Cajam se illecebris sednxisse cum promissione matrimonii, eamque deflorasse, ut suspicio removeretur ex quodam rumore orta, quem ipse audierat, Cajam non esse virginem, attamen virginem deprehendisse, se differre nuptias ratione dotis. —

Dubium et resolutio. An et quomodo sit locus remotioni impedimenti sponsalium in casu? *Res.* Sacra Congr. Concilii causa cognita die 27 Iul. 1867 respondit: *Non esse locum remotioni impedimenti,* et ad mentem.

Corollaria huius sententiae. 1. Deflorantem honestam puellam cum promissione matrimonii ex deliberato consilio facta, teneri ad eandem matrimonio sibi iungendam. 2. Neque ob eam rationem obligationem cessare, quod vir in ea con-

ditione deinde se constituat, quam *iniqua civilis lex* tuetur per *civile* scilicet *contubernium.* Hic quaeri facile potest, quomodo in his adiunctis se gerere possit Ordinarius, *si sponsus conscientiae suae consulere velit.* Namque difficultas omnibus sese offert: ex una enim parte sponsus obligatione sponsalium obstringitur ad ducendam eam uxorem, cum qua sponsalia contraxit, neque haec tenetur cedere iuri suo cum tanto sui damno; ex altera parte sponsus, licet ex sua malitia, obstringitur tamen vi civili ad convivendum cum civili concubina; et ideo frustra adhiberentur censurae canonicae ad eum cogendum, ut primam mulierem uxorem duceret. Hisce in adiunctis praxis S. Congr. Conc. haec esse videtur, ut sponsus paratum semet ostendat ad omnia damna primae mulieri illata resarcienda, assignando scilicet ei congruam dotem, assumendo sibi onus alendae prolis, si quae fuerit, et deinde supplices porrigat preces Sanctissimo, ut hic super sponsalium obligatione, si mulier suo sponsalium iuri valedicere nolit, dispensare dignetur. — *Acta S. Sedis.* Romae. 1867. III. 302. ss.

Pestini,

Typis Athenaei

1870